

1898.7933

OPVSCVLA

tam Ecclesiastici, quàm Equestris Ordinis,

NOBILIVM VIRORVM

COMPOSITIONIS intet Status NEGOTIO

SERVIENTIA.

Iussu & Auctoritate

JLL^MI ac RND^MI DOMINI,

D. IOANNIS ANDREÆ

PROCHNICKI,

Dei Gratia ARCHIEPISCOPI LEOPOL:

Abb. Sieciechow: Administrat: Perpetui, &c.

Collecta.

MELCHIORIS STEPHANIDAE V. I. D.

Leopol: Chelm: Canonici, Scholast: Zamosc:

operâ,

A Typographicis & Orthographicis erroribus
purgata & recusa.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

Anno Domini, M. DC. XXXII.



ILLMO ET RNDMO DOMINO,

D. IOANNI ANDREÆ IN PROCHNIK PROCHNICKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia,

ARCHIEPISCOPO LEOPOL:

Abbatiæ Sieciechowien: perpetuo Admi-niſtratori,

Domino & Patrono ſingulari.

DOctor ille Angelicus, ILLVSTRISSIME ac REVERENDIS: ARCHIPRAESVL, *dum offenſionum Diuinarum interiores cauſas, in ſuis aureis Operibus, an veriùs ſapientiæ cæleſtis theſauris, inueſtigat;* (D. Thomas, 1. 2. q. 75. 76. 77. 78) *tres potiſsimùm, digito quaſi monſtrauit: atq; harum primam ignorantiæ; animorum ægritudini, alteram; poſtremam, malitiæ attributam eſſe voluit. Quas quidem omnes, tanquam fontes turbidos aſsignauit; ex quibus vti ex lacunis tetris ac putentibus, iam inde ab ipſa humanæ infelicitatis origine, omnium errorum ſcaturigines profluxerunt, & ſine ceſſatione etiamnum profluunt: cùm pleroſq; per ignorantiam; infirmitate ali-*

tate alios; complures malitiæ vi; à summa & prima illa Veritate, quæ Deus est, euidenti cuiusq; salutis exitio, paßim declinare, non absq; vehementi animi dolore, boni omnes perspiciant.

Inter Deum, Ordinem Ecclesiasticum, & Equestrem, Compositio tot annorum spatijs intercurrentibus exoptata; proximis Comitijs, Regia & Ordinum Regni auctoritate, indicta; hoc ipso anno Varsauiæ, omni cum maturitate consiliorum vtrinq; tentata; ne incredibili, & Ecclesiæ, & Reipubl: fructu perficeretur, qui deputatione Venerabilis Capituli nostri Leopolien: pars aliquantula sancti huius negotij fuimus, obseruauimus: quòd vel legum Diuinarum & humanarum ignoratio; vel perturbatio animorum, ab inani quodam metu proficiscens; vel spiritu hæreseos afflatorum hominũ malitia obstiterint, & obicem quasi vtilitati publicæ, ne finem suum obtineret, posuerint. Certè, si laudatißimis SACRAE *olim* MAIESTATIS REGIAE *desiderijs, si* ILLVSTRISS: & REVERENDISS: D. IOANNIS WEZYK, & *in Clero Regni huius Supremi Pontificis, & in Republ: Primi Principis, fidelibus studijs, & conatibus; si eorũ qui in hac Illustri, & Sacra & Ciuili Nobilitatis Corona consederant: quorumq; Deus* (1. Reg: 10.) *tetigerat, paci cōciliandæ, corda, & præparauerat animos, optatis fortuna respondißet; procul dubio, quod per Prophetam* (Psal: 132.) *pollicitus confirmauit Dominus, idẽ ipse, quæ bonitas illius est, huic Regno perniciosè dißidijs laboranti, benedictionem, & vitam perennem iam mandauißet. Et perspecta equidem* ANTISTES ILLVSTRISS: *Tua multis fuerunt desideria, qui quantumuis hinc absens, animo tamen coniunctißimus, vehementer optâsti, vt felicibus* SACRAE MAIESTATIS REGIAE, & ILLVSTRISSIMI PRIMATIS *auspicijs, hæc ipsa Cōpositio ita cohæreret; quò & Ecclesia iuribus & immunitatibus, diuinitùs primùm, tum pietate & munificentia, Diuæ memoriæ Regum antiquorum, sed & Ordinum Regni consensu, sibi concessis, saluis manentibus, lætaretur: & Ordo vniuersus Equestris, ex hac animorum cōiunctione, qua paruæ res crescere consueuerunt, si coalescerent, laudis, honorum, temporariæ benedictionis & æternæ incrementis, feliciter vsq; quaq; potiretur, & gauderet. Nec satis habuisti, vt hoc animitus cuperes, quod boni omnes ardentibus Tecum votis desiderant; etiam modos, & rationes, quibus id quàm commodißimè conficeretur, quæsiuisti: nec conquieuisti, donec omnia monumenta, doctorum hominum, quorum*

 præclara

præclara ingenia, in hoc Compositionis argumento, magna cum laude desudârant, conquireres, ac conquisita in vno volumine, typis mandari, vitijs Chalcographorum, quàm purgatissima, & interpunctionibus distincta, in lucem edi, subq; aspectum planè totius Poloniæ, sumptibus minimè parcendo, commodo ingenti publico, ponere voluisti. Quo consilio, quid aliud egisti, nisi quod Tua singulari prudentia; quod liberalitate Tui ingenij admiranda; Tuo pro tranquillitate Ecclesiæ zelo Diuino; Tua erga Patriam charitate feruente; dignissimum videbatur? quodq; vel Ecclesiæ, vel Politiæ, apud omnem posteritatem, nō sine certa Tui nominis immortalitate, & apud Deum copiosa mercede, vsui perpetuo foret: errorum multiplicium, in Ecclesiæ & Patriæ perniciem; ex ignorantia, vel animorum infirmitate, aut quod grauius est, ex malitia, & cupiditate, dimanantium, fontes, sapientissimis, iustissimis, planè Diuinis rationibus, quæ Socołouij, Lipscij, Dobrocieslij, Smogulecij, & aliorum suæ cuiusq; ætatis, Nobilium virorum, scriptis nobilibus, explicatæ sunt, obstruxisti. Quo loco memorabilem Polonæ Nobilitatis ingenuitatem, in Varsauiensi amplissimo Consessu testatam, silentio prætermittere nefas existimem: quæ vbi palàm conquesta esset, sese non

sese non mediocriter dolere, quòd talibus tantorum virorum monumentis, tanquam luce sibi gratissima, destituta careret: mox ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI PRIMATIS *solenni declaratione, vbi* TVO ILLVSTRISSIMO NOMINE *insinuatum est, in eo Tuas cogitationes esse positas, huc spectare consilia, id Te studiosè agere, vt editione scriptorum istorum tēpestiuâ, & Dei cultum ac honorem promoueres, & Ecclesiam ac Rempubl: quantùm possis, iuuares: Deus bone, quæ vota pro salute Tua, quantæ comprecationes vitæ longioris, quæ omnium prosperitatum optationes ab vtroq; Ordine, honori Tuo seruientes, sorte Tibi felicissima obtigerunt? His enim omnibus libellis, diligēti & attenta lectione, ab ijs quorum interfit, quibusuè expediat, peruolutis; Diuino fauore adiuuante, non est dubium, quin* ILLVSTRISSIME ARCHIPRAESVL, *quod tota mente exoptas, assecuturus sis. Verissimum illud Poëtarum Principis:* Ignoti nullam esse cupidinem, *pronunciatum est. In magna rerum multarū vtilium, & necessariarum ignoratione plurimos passim versari, & prorsus hærere, quis non videat? Sed sumātur in manus scripta Doctorum, expendantur momenta rationum, Iura Diuina, Canonica, huius Regni Co-*

mitialia,

initialia, ad trutinam veritatis examinentur, depulsis ignorantiæ tenebris, scientiæ lumine affulgente; omninò inuenietur nemo ita refractarius, qui non libenter pro manibus, animum victrici veritati det, conceptus ingeniorum comprobet, in ijs conquiescat, & quod ante oppugnauit, id postea constanter propugnet, & strenuè defendat.

Non paucos præterea inuenias, qui nescio cuius perturbationis impulsu, Iurisdictionem Ecclesiæ reformident, seseq́; illi eximere nitantur. Tullius, non diuturni officij esse magistrum, Timorem, *indicauit: qui constantiam generosissimæ Nobilitatis Polonæ, quãtùm dedeceat; vel natura equorum etiam ferociũ, vmbram quandoq́; equitatis suæ, frustra, & ridiculè perhorrescentium: vel ingenium puerorum, fructuosissimas disciplinæ virgulas, nimium quantùm metuentiũ, satis superq́; docere queant. Doctor gentium Apostolus, fideles Romanos, execrando etiam illi Romani Imperij portento, Neroni, obsequentes, eiusq́; potestati subditos esse voluit; & adeòusq́; præcipiebat, vt qui Principi, aut Magistratui, quamuis impio, & ethnico, suo fungenti officio, repugnaret; is non repugnaret homini fungenti, sed Deo, à quo proficisceretur omnis Autoritas:*

tas: Omnem esse potestatem à Deo ordinatam, & qui potestati resisteret, *Censurâ grauißimâ cælesti pronunciauit,* (Rom: 13.) Dei hunc ordinationi resistere: Vis, *inquit,* non timere potestatem? *Bonum fac; rectè viuito; ea quæ alieni iuris sunt, ne inuadito; præter ius, & æquum, occupata, Dominis & possessoribus legitimis restituito; & habebis laudem ex potestate: formando inde animum & conscientiam. Verba, quæ ius quoddam Christianitatis statuerẽt, ac omnibus vt redderentur debita, siue illa tributa, seu vectigalia essent, admonerent quemq́;, & cohortarentur, pari grauitate intulit.* Cui timorem, timorem; cui honorem, honorem: *si quis reuerentiam efflagitet, qua negata putet contemptam authoritatem suam; huic deferendã reuerentiam; si quis honorem ob dignitatis publicæ functionem, sibi deferri vellet; honorem ei solemnem impendendum.*

Quod si potestatis ethnicæ iurisdictionem, Apostolus tanta orationis maiestate tuetur, & commendat: non video cur tantopere Ecclesiasticæ Autoritatis virga timeatur; quam Christi Iesv *Vicarij, ab illo ipso tanquam suo capite, sibi traditam; charitatis, mansuetudinis, lenitatis, spiritu decoram; dulcem etiam, & instar*

instar frondentis illius (Num: 17.) *Aaronicæ, fructus spiritus suaues, cum amygdalinis non comparandos, producentem retinere, se gaudent, & cum Apostolo* (Hebr: 9.) *recognoscunt; vt sicut ille cælitus suos Corinthios, sic illi Ecclesiam Christi, toto orbe diffusam è suæ sanctitatis throno, inclamando compellare videantur: Vultis, in virga veniamus ad vos,* (1. Cor: 4.) *an in charitate, & spiritu mansuetudinis?*

Nobilissima per vniuersam Europam Regna Catholica, noui etiam orbis vltramarina: Ducatus Catholici, quotquot vbiq; gentium extant florentissimi, Potestate spirituali, cui subsunt, Romanâ lætantur, gloriantur; in parte felicitatis, si sapientissimo illius, & æquitatis pleno iudicio, quandoq; obsequantur, ponunt; benedictione illius, impensa sibi gratulantur: solus quiscunq; ille sit, Eques Polonus, innatæ magnanimitatis, ac pietatis maiorum suorum, quasi oblitus, ei sese eximere, & suaue hoc Ordinationis Diuinæ iugum, excutere tentabit, & conabitur? quo iure, qua pietate, qua prudentia, qua fronte, qua deniq; conscientia?

De malitia errorum, fonte postremo, quid hîc cum fructu dicam? Voces vtriusq; Ordinis, & iudicia clarissimorum hominum testatissima, his ipsis libellis consignata,

signata, sufficiant: quæ luculenter docere possint, quantum malorum Ecclesiis in Regno, malitia hæreseon, & cupiditas improbitatis, inuexerint: hinc illæ plenæ pietatis, in vtroq; statu, non paucorum Illustrium virorũ commiserationes. Meliore fortuna apud plerosq;, & conditione, lixas, calones, ac nescio quos vilissimos aurigas, quàm Dei seruitio dicatos homines, eosq; curæ salutis humanæ intentos, censeri; quod illi sua omnia quãdocunq; collubuerit, integra teneant; isti iniurijs obnoxij, bonis spoliati, omni ope & auxiliis humanis destituti, miserè egeant, & tantum non mendicato pane alantur.

His tantis malis remedium præsens vnde expectetur, nisi à mutatione dexteræ Excelsi, (Psal: 76.) *non video: hæc piorum deuotione & precibus mitigata, iustos ex iniustis; ex violentis, mites & mansuetos; ex duris & difficilibus, munificos & liberales efficere: & malitiosi, vt à sua malitia, tanquam à crudeli domina, pertæsi tandem seruitutis illius, discedant, nisi potenter sola, sola hæc ipsa dextera operetur, nulla vis, nulla contentio, vel animi, vel ingenij mortalium, præstare aliud possit. Atq; hæc arma, istæ copiæ auxiliares, hæc spiritualia subsidia, quæ, & qualia, temporum contentionibus,*

tionibus,

tionibus, si importunitate malitiæ incidant, prouidentia humana, sapienter sibi comparare consueuit, sunto: vt in promptu habeat, quibus sese irruente aduersariorum vi, muniat, & tueatur.


Studium porrò hoc Tuum, ILLVSTRISS: & REVERENDISS: ANTISTES, *Deo primùm, qui pacis se, & dilectionis Deum, toties & ore, & calamo Apostolico, dici & conscribi voluit, non poterit non esse acceptissimum* ILLVSTRISS: PATRVM REGNI *totius Episcoporum, conatus hic tuus, vel tacita, sed laudatissima cogitatione, vehementer comprobabitur. Quid amplissima Ecclesiarum per Tuam Russiam consistentia, cum* ILLVSTRISS: ANTISTITIBVS SVIS, & COMPROVINCIALIBVS TVIS, *Capitula, ternis, quaternis, vel pluribus, etiam scriptorum editorum Exemplaribus, quod iam liberalitate animi Tui, in eximij & amoris erga suos & honoris, testificationem, à Te destinatum est, donata facient? operam hanc Tuã ita præclaram, omnes venerabundi suscipient, complectentur; in Archiuis suis, instar pretiosi thesauri, cum perpetuo nominis* ILLVSTRISSIMI PROCHNICIANI, & *beneuolentiæ paternæ monumento, recondita deponent, & asseruabunt: annis succedentibus, succrescent,*

scent, etiam cum posteritate ingenia, Domino in suis suscitante charitatis spiritum; quæ armaturâ istâ spirituali, ita vtentur, vt quod nostris temporibus paucorum temeritate displosum componi non potuit; plurium post, vel omnium etiam vnanimi consensione, & iudiciorũ maturitate, optatissimo Ecclesiæ & Reipubl: fructu, quidquid dissidere videbitur, cohærebit, & vnietur. Quod reliquum est, Deum immortalem precor, ILLVSTRISS: & REVERENDISS: PONTIFEX, & PATRONE MI, *vt hanc Tuam vigentem & virentẽ senectam, longùm foueat: omnium Te bonorum vbertate augeat: & ex iam iam Octuagenario, Ecclesiæ suæ, Patriæ, sed & deuotissimo Tibi, inclyto Leopoliensi Capitulo, Centenarium faciat, & felicem ac beatum conseruet. Zamoscij, Id: Ianuar: Salutis nostræ. M.DC. XXXII.*

Illustriss: ac R̃ndiss: Dominationi Tuæ,

deuotissimus, obsequentissimus,

Melchior Stephanides, V. I. D. Can: Leopol: Chelmeñ. Scholasticus Zamosceñ.



LECTORI

Pio, & iustæ ac æquabilis Compositionis inter Status, Fautori & Amico. S. F.

PRoducimus in aciem Spiritualis nostræ militiæ, pro controuersiarum,ac disceptationum aduersaria, quam cum Illustri Equitum Polonorum Ordine, iam compluribus annis constitutam habemus, sine sanguine dimicaturos: producimus,inquam, Viros sex præstantissimos, armis suis instructos, viros primi *(1. Machab: 9.)* certaminis, vt scriptura ipsa pro illis loqui videatur, omnes potentes. Fundibularios illos Dauidicos, *(1. Reg: 17.)* cum limpidissimis lapidibus, de torrentibus Diuinarum & humanarum Constitutionum depromptis, tumido Goliæ deijciendo aptissimis, existimes: Sagittarios, cælestibus Spiritus Sancti oraculis monstratos, cum sagittis patriarum sanctionũ acutis, quæ corda *(Psal: 44.)* inimicorum Ecclesiæ, salutariter charitate vulnerare,& ignitis carbonibus amoris,ad pacẽ & vnionem inflammare possint, arbitrêre. Fortes Sex,de sexaginta fortissimis *(Cant: 3.)* lectulum veri Salomonis Christi, Ecclesiam sponsam eius dilectam ambientes, omnes viuentis Verbi Dei, *(Hebr: 4.)* & efficacis, ac Legum gladios ancipites *(Psal: 143.)* manibus tenentes, ad bella doctissimos, opinere. Quicunq; isti,quanticunq; sint, vniuersi in sua sapientia, diuinitus ita collustrati sunt, vt si princeps tenebrarum, suis cum tenebrionibus, omnes suas fraudes, versutias, calliditates, ex infelicibus inferorum sedibus eruat; nihil ita virulen-

virulentum, pestiferum, ita exitiosum & mortiferum, iam extrahere posse, credendus sit: cui malo remedium præsens & salutare, in sex istorum antidotarijs planè cælestibus, non in promptu habeatur. Ac primus quidem, in hoc certamen prodit, tanquam primipilus piæ cohortis, Stanislaus Socolouius, sua ætate coram Deo, Magno olim Rege Stephano, Populoq; Polono,potens in opere & sermone Vir: qui grauissima sua pro Dote Ecclesiæ Oratione, Diuinarum, Apostolicarum, Imperialium legum, & Constitutionum authoritate, Ecclesiæ Libertates & Priuilegia, ita omnis æquitatis rationibus firmat, & communit; vt ea quasi perpetua fore diuinet, & ominetur: aduocat inde per quatuor Orbis terrarum partes, Orientem, Meridiem, Aquilonem, Occidentem, diffusos vetustissimos Sanctos Patres, tanquam subsidiarios, qui vnanimi quadam plena pietatis conspiratione, hoc vnum semper & senserunt, & docuerunt; vt quæ Cæsaris Cæsari; quæ Dei, Deo; quæ Ecclesiæ, Ecclesiæ; quæ Dei ministrorum sunt, Dei ministris reddantur. Ac Socolouij quidem eo loco, ex officio etiam ipso pietatis, quòd me sibi beneficijs, memoria immortali dignissimis, obstrinxerit,tãtò libentiùs mentionem facio: quidni Patronum tantum honorificè commemorem? qui me adolescentem, Almæ Cracouiensis Academiæ Studij alumnum,piorum laborum suorum adiutorem, integro quadriennio, sua beneuolentia complexum fouerit: mensæ suæ honore dignatum, pane suo aluerit: primis Academicis honoribus, sua promotione ornârit; & quod mihi summum est, per Ordinem Subdiaconatus initiatum, Deo me, eiusq; seruitio sacrauerit; pro gratijs

gratijs tantis, hunc ipſum bonorum omnium remuneratorem precor, vt & memoria illius in benedictione perpetua ſit, & ſicut Sol refulgens, ita ille in gloria cælesti æternùm fulgeat. Succedit Socolouio, Andreas Lipſcius, Roxolanus noſter, Iureconſultus ſuorum temporum, ſiue ſpeculationem, ſiue praxim, in eo ſpectâſſes, præſtans & eximius: Scholaſtiæ primùm Cracouienſis, tum aliarum in Eccleſia dignitatum honoribus Illuſtris, & Venerandus: poſt Luceorienſis, Vladiſlauienſis, & Pomeraniæ; deniq; Cracouienſis Eccleſiarum Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Pontifex: ſuam Decadem Quæſtionum Publicarum Regni, tanquam decem accenſa lumina, Iuribus, Status Eccleſiaſtici & immunitatibus Illuſtrandis, ne quando ignorantiæ tenebris inuoluantur, præferens: quem ſi fata & Antiſtitem Eccleſiæ, & Senatorem Regno ſeruâſſent, profecto talem ſe geſsiſſet, qualem ſuæ pietatis, prudentiæ, conſilij, ſuæ fortitudinis, & multarum aliarum virtutum, viuam ſuis in ſcriptis imaginem reliquiſſe illum videmus. Progreditur tertius in arenam certaminis huius Eccleſiaſtici, neſcio cuius Anonymi, è fæce Lutheranorum blateronis, procaci maleuolentia, erga Sacrum totius Regni Ordinem prouocatus, Anonymus item Eques Polonus; Vir charitate Chriſtiana inflammatus, & ardens; qui Procerum, ſapientiæ, probitatis, æquitatis, laude tunc clariſsimorum, non ſine inſtinctu Diuino, conſilijs & auctoritati obſecutus, innocentiæ Cleri vniuerſi calamitate (vt temporum ferebat infelicitas) penè fracti, fortiſsimus propugnator, & Patronus, ſcribendo ſtetit: improbitatis hæreticæ furentes conatus, ſi non oppreſsit,

preſſit, ſaltem retardauit, ac nitore ſuæ Orationis cum argumentorum vi, ex Iure Diuino, Regni Statutis, Priuilegiis Principum, ac Præſcriptionibus, impudentiam calumniatoris, toto ſuo præclariſſimo opere, acriter inſectatus, deiecit: ac proſtrauit. Sed illud mirum, quòd Anonymus Anonymum ſcripto exagitârit, vtrinq; quantùm diuinare poſſumus, iuſtis de cauſis, ſuppreſſis nominibus: obſcurauit planus iſte, quæſtu iudiciario paſtus, ſuum nomen æternâ dignum obliuione; pudefactus, eò ſuam audaciam prorupiſſe, vt ad tot calumnias, mendacia, probra contra Eccleſiam Dei, eiuſq; miniſtros, indigniſſima, fronte perfricta, deſcendere, minimè erubuerit: occultauit & alter, quo appellaretur nomine, vt animi ſui modeſtiam, Deo & hominibus teſtatam faceret, & pro publica veritatis confeſsione, mercedem promeritam reciperet. Vnde Anonymum hunc noſtrum, quantumlibet ex ſeſe occultum & latentem, toti Curiæ cælesti nominatiſsimum, ſua decora, ſuos honores, ſua præmia à Deo reportare, quis dubitet? digniſsimum cuius literarum monumenta, cũ fructu & delectatione, ab omnibus per Poloniam, in quorum manus deuenerint, legantur & relegantur. Deſcendit in hoc idem certamen; iunctis quaſi animis & manibus, illuſtre bellatorum par, Smogulecius & Dobrociesſius, vterq; Polonus, nobilitate generis inclytus: alter in Iuris omnis peritia exercitatus & perpolitus; varia, multiplici, liberali, & digna homine Nobili doctrina ornatiſsimus; dexteritate maximis in rebus gerendis & ſuſtinendis, pollens: alter Orator Eccleſiaſticus, vitâ, & verbo clariſsimus: cuius domus ſine dubio Cleri totius oraculum,

lum, temporibus suis, conferri potuisset. Qu. Scæuolam Romanum, in Polonia rediuiuum, Iurisperitorum eloquentissimum; eloquentium, iurisperitissimum putares. Vterque Iurium, & immunitatum Ecclesiæ Dei, Patronus acerrimus: hic Informatoris specie, monitorem sese Officij prudentem & benignum, vtriq; Ordini exhibet: ille in suo de Exorbitantijs grauissimo iudicio, non Sacrum sed Equestrē Ordinem, orbitâ sapientiæ, pietatis, iustitiæ, æquitatis, per omnes planè controuersias, verissimæ veritatis amore, pro sua erga Deum & Ecclesiam deuotione, non tam arguendo, quàm admirabili prudentia cum ciuilitate coniuncta, docēdo; dolet excessisse, & conqueritur: indeq; cornicum, quod dicitur oculos confixisse, videtur. Vterq; in causis Iura Ecclesiæ, & ministrorum eius spectantibus, quod scripta ipsa abundè testantur; sine iure, vel linguam, vel calamum mouere erubescebat, non alio fine & consilio, quàm vt si quis allegationes, ex iure medio, ab vtroq; ad veritatem accommodatè productas, temere aspernari, & reijcere auderet; hic in negotio etiam suæ salutis, Sacrosancti ipsius Euangelij authoritates, facilè repudiare se, & velle, & posse, non sine nota impietatis, crederetur. Accessit his non inferior, quâ Iudicio, quâ Iuris legumq; peritia, Andreas Thulibowski, Iudex Terræ Brestensis, qui verum ac genuinum Confœderationis intentum, & probè penetrauit, & alijs ex Iure patrio, ac Constitutionibus Regni, declarauit.

Claudit tandem agmen, Anonymus Author manuscriptus, Dialogorum consuetudinem, in personas tres, Domini in sua villa Nobilis, Parochi, Villici, sermone distributo, antiquitate idiomatis patrij non ingratam obtinens: hic suæ disputationis, præsertim in illa, & naturalis, & Diuinæ, & ciuilis iustitiæ, de iure suo vnicuiq; reddendo, regula, strenuè, & nauiter tuenda; tum in Catholicæ religionis, contra hominem, si dijs placet, Euangelicum, plus æquo pro suis opinationibus pugnacem, professione, in veterem libertatem & dignitatem vindicanda, grauitatem ita conseruauit: vt tamen verba & sententias totius sermocinationis, festiuitatibus & leporibus, tanquam flosculis, non sine oblectatione legentium, inspergere non omiserit. Magnas gratias, Illustri, & Admodum Reuerendo, Ioanni Baranouio, Archidiacono, Vicario Generali Leopoliensi, qui è supellectili sua literaria, Dialogum hunc, cum veterum Dialogis, in suo genere meritò cōparabilem, instar gemmæ pretiosæ promptum, commodo publico, communicare potiùs, quàm in latebris illum delitescere maluerit; dogma illud scilicet Sapientis (*Eccl: 20.*) secutus: *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus; quæ vtilitas in vtriq;.* Adiecimus deniq; labori huic nostro, manum extremam, tanquam fastigium imponendo; Protestationem Status Ecclesiastici solennem, in negotio Compositionis, debito iuris Ordine, interpositam. Expendat & iudicet posteritas, quæ initia, qui progressus, qui exitus Tractationis huius fuerint: quantò namq; studio diebus aliquot continuato, Ecclesiasticus Ordo laborârit, vt pacē, cuius & nomen dulce, & res ipsa salutaris esset, cum Ordine Equestri faceret: qua fide, qua prudentia, qua constantia, concordiam hanc, fraternæ charitatis conseruandæ desiderio, promouerit: quo deniq; animi dolore, ob istam, indignè ex

gnè ex temporum infortunio, bonis omnibus optabilem pacificationem elusam, ad Protestationem processerit: faciлè quisq; intelliget, cùm diarij more, in ea planè satis & plenè, omnia exposita esse aduerterit. Habes munus, Lector beneuole, Scriptorum Nobilium multorum, & quidem bene sententium opinione magnum; sed apud te perinde erit, vt acceperis: opellâ istâ nostra qualicunq; fruere feliciter, & nobiscum vnà Deum Opt: Max: precare & exora, vt animos, consilia, voluntates eorum, qui id vnquam opus habuerint, potenti sua virtute commutet, & ad concordiæ, ac pacis mutuæ studia inclinet, ac incendat: quò leges Compositionis, inter vtrumq; Ordinem, vnanimiter sancitæ, tanquam propugnacula, murique, & sancti otij in Ecclesia, & tranquillitatis in Republ: constituantur. Zamoscij, Idib: Ianuarij. Anno Salutis nostræ, M. DC. XXXII.

Lectori beneuolo beneuolentissimus,


Melchior Stephanides, D. I. V. Leopolien: Chelmen: Canonicus, Scholasticus Zamoscensis.



APPROBATIO.

Ego IOANNES FOXIVS, *Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Crac: vnus ex Censoribus librorum, in Diœcesi Cracouiensi imprimendorum, recudenda esse septem Opuscula Ecclesiæ Iuribus seruientia; & censeo, & permitto. Dat: Cracouiæ, die 20. Mensis Iunij. Anno Domini, M. DC. XXXII.*





INDEX AVTHORVM,

Compositionis inter Status, materiam tractantium.

IDIOMATE LATINO.

IDIOMATE POLONICO.





O EXORBITANCYACH.

Ktore w tym wieku, niektorzy Ich Mość PP. SWIECCY, *NOWI POLITYCY*, STANOWI DVCHOWNEMV, zádáią.


Zdánie zacney pámięći Jego Mći Páná, MACIEIA SMOGOLECKIEGO, Stárosty Bydgoskiego:

Jeszcze zá żywotá / do ręku Jego Mości X. Arcybiskupá Gnieźnieńskiego / WAWRZYNCA GEMBICKIEGO, podáne.

W KRAKOWIE,
W Drukárni Andrzeiá Piotrkowczyká, I. K. M. Typogr. Roku Páńskiego, 1632.

REGESTR RZECZY,
W tey Kśiąźce záwártych.





I.
O ANNATACH.

Iż Exorbitáncya nic inßego nie ieſt iedno wykroczenie z kolei y zwyczáyne° trybu / ieſli chcemy wiedźieć y dobrze oſądźić kto wykracza z kolei / y ieſli ieſt / y kedy to wykroczenie / trzebá weyźrzeć iáka byłá kolley / iáki tryb rzeczy tych / ktore mienią / że przez ſtan Duchowny / z kolei ſwey wypadáią. A iż naprzod od Annat poczeto / y w tym pierwßą Duchowną Exorbitáncyą / to ieſt iáko ſie rzekło / wykroczenie z kolei pokázuią / weyźrzemy co to ieſt Annatá / y iáki v nas w polßcze od dawnych czáſow w tych Annatách tryb ſie záchowywał. Długiemi ſie ſłowy nie báwiąc / iż człowieká Pan Bog ſtworzył ku chwale ſwey świetey / tá chwałá ponieważ potrzebowáłá / coby koło niey chodźili / vſtáwicznych y oſobnych ſług / ktorzy iż bydź nie mogli / kiedyby byli nie mieli o czym ſłużyć: iáko ſámże Pan Bog w ſtárym Zakonie roſkazał / *Num: 18.* áby wßyſcy Lewitom y ſługom iego / pro miniſterio quo ſeruiunt in tabernaculo fœderis, dawáli Dźieśiećiny / ták záráżem też poſtánowił / żeby z onych Dźieśiećin Lewitowie mnieyßy oddźieláli decimam partem. Decimæ Aaronowi / naywyżßemu Kápłánowi / ktorego dla lepßego rządu w kápłáńſtwie potrzebnego bydź vpátrował. Z tego wizerunku od ſámego Páná Bogá podánego / wźiął Kośćioł Chrześćiáńſki kßtałt w ſtánowieniu Dźieśiećin / dla obeßćia y pożywienia kápłánow: ztądże mamy przykład wnieśiony Decimæ Decimarum, to ieſt / iáko poſpolićie mowią / Decimarũ Papalium, Kollekt / Annat / y tym podobne ſubſidia, ná porátowánie y záttzymánie powagi w kośćiele ś. Namieſtniká Chryſtuſowego nawyżßego Kápłaná / ktorego zwierzchnośći ták w Chrześćiáńſtwie / iáko y w ſtárym Zakonie / porządna ſłużbá Boża potrzebowáłá. Co iż ma w ſobie wielką ſłußność / bo iáko ś. Thomaß piße: Naturalis ratio dictat, quod illis qui habent curam animarum, de communi multitudinis ſtatu prouideatur. Ale ráczey iſtotne ś. Thomaßá *2. 2. q. 87. a. 1* ſłowá tu kłádę: Naturalis

ratio dictat, vt his, qui Diuino cultui miniſtrant, ad ſalutem po-
puli totius populus neceſſaria victus miniſtraret: ſicut & his, qui
communi vtilitati inuigilant Principibus, & militibus. Wiec iż
wiele ná tym należáło / żeby iáko w nawietßey czći y ozdobie naywyż-
ßy Kápłan był zoſtáwiony. Wielka też záwße byłá y gorąca ßczodro-
bliwość ludu Chrześciáńſkiego/ od początku wiáry ś. przećiwko nay-
wyżßym Kośćiołá Bożego Kápłanom/ y Biſkupom Rzymſkim / ro-
zumieiąc/ że co ſie względem chwały Bożey Namieſtnikowi Chryſtu-
ſowemu czyniło / że ſie iákoby ſámemu Pánu czyniło y oddawáło. Za-
zdrośćiło im dźiwnie tego pogáńſtwo/ włáſnie iáko teraz czynią Here-
tycy / y tákież też vrągánia czynili / wyrzucáiąc przed oczy Chrześciá-
nom koßtowne Papieżow bánkiety / y pompy ich / iáko káżdy obaczyć
może z Hiſtoryey przed tyśiącem y pułczwártą ſtá lat/ od Amiana Már-
cellina pogánina piſáney. Ná toż przekeſuiący przymawiáiąc on Rzym-
ſki Præfectus, Prætextatus ſolebat ludens Beato Damaſco dicere:
Facite me Romanæ Vrbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtia-
nus. Ale czym bárźiey to gryzło Pogány y nieprzyiaćioły Kośćiołá
Bożego/ tym ießcze bárźiey y ludźie Chrześciáńſcy do tákowey ſie ßczo-
drobliwośći świetey pobudzáli/ tym chętniey dobrá ſwe/ doſtátki ſwe/
drudzy cáłe Páńſtwá ſwe ná ozdobę Stolice Apoſtolſkiey/ y Kápłaná
ná niey śiedzącego / oddawáli. Ták Konſtántyn/ ták Fráncuſcy y
Niemieccy pierwßy Ceſárze / ták Włoſcy Pánowie nádáli Kośćioło-
wi Rzymſkiemu / ták Krolowie Angielſcy / Hißpáńſcy / Portugálſcy/
Sycyliyſcy/ Węgierſcy/ Słowáccy/ Kárwáccy/ Duńſcy / ſámiż śiebie
w hołd temuż Kośćiołowi podáli / y trybutá mu pewne ná káżdy rok
poſtąpili: ßczęśćie Páńſtw ſwoich/ y ozdoby ſwoie ná tym ſądząc/ gdy
ſie tey ſtolicy poniżáli/ y one ſobie wietßymi dobrodźieyſtwy y ßczodro-
bliwośćią obowiązywáli. Toż rozumienie w Przodkách náßych było/
toż nabożeńſtwo czynili / y ztąd podátek Piotrá ś. od Przodkow ná-
ßych poſtánowiony/ to ieſt głowny po wßytkiey ßláchćie y poddánych
pieniądz/ od káżdey oſoby/ y pewna miárá owſá. Rzecz ieſt / ktora nie
bárzo dawno ze zwyczáiu wyßłá/ ále ieſliśćie zápomnieli/ ábo pomnieć
niechcećie / ſłuchayćie wáßych Hiſtorykow / á miánowićie Długoßá.
A. D. 1045. Volens Caſimirus Rex Poloniæ, parere pactis cum
Summo Pontifice Benedicto primo per Legatos Polonorum fa-
ctis, con-

ctis, concordi omnium deuotione & conſenſu decreta eſt & in-
nouata (bo y przedtym to bywáło / y záraz podobno z wiárą Chrze-
śćiáńſką wniosło ſie było. Gdyż Bolesław wtory záraz po Mieciſłá-
wie Krol Chrześciáńſki/ dawniey ießcze czterdźieſtą lat przed Káźmie-
rzem / ſkárżył ſie przed Papieżem ná Henryká Ceſárzá/ że kwoli niemu
promiſſum Principi Apoſtolorum Petro cenſum perſoluere non
liceret.) Ale ſłuchaymy Długoßá. *A. D. 1013.* Et vniuerſali man-
dato ſancita, mowi/ ſolutio vnius vſualis obuli de capite, tàm Ci-
uitates, quàm Oppida, vicoſq; & rura colentium, in duabus Pro-
uincijs, videlicet Gneſnenſi & Cracouienſi, ac Diœceſibus eiſdẽ
ſubiectis, videlicet Poſnanienſi, Plocenſi, Lubeeenſi, Culmenſi,
& Camenenſi impetrata. Ab eo quoq; tempore Regnum Polo-
niæ factum eſt Romanæ Eccleſiæ, imò Vicario IESV Chriſti
Summo Pontifici feudale, & tributarium, nec vnquam tributi
prædicti ſolutionem paſſum eſt, quacunq; occaſione aut pacto in-
termitti, aut reſcindi: Videbatur autem cenſus iſte, qui denarius
S. Petri appellat, primum Polonis difficilis & grauis, vtpotè, qui
ſecum perpetuam trahebat in Polonos obnoxietatem: poſtea ta-
men proficuus, & commoda varia cognitus eſt, Poloniæ Regno
præſtitiſſe, & præſtare, vt non ab homine, ſed ab ipſo Deo gentis
Polonorum Principi, impoſitio eius credatur profluxiſſe. Quam-
uis enim per multa annorum ſpatia impoſitionem præſentem
ſequentia, Regno Poloniæ in plures Ducatus & Prouincias ſciſſo
ipſum à nonnullis finitimis gentibus & nationibus, præſertim à
Bohemis, & Fratribus domus Teuthonicæ nigram crucem in al-
bo habitu deferentibus, in ſuis Prouincijs & pertinentijs fuerit oc-
cupatum & direptum: nullum tamen tàm validum, tàm efficax
ingenium, quamuis ad id plurimi interpoſiti fuerint induſtrioſi
labores & conatus, poterat reperiri, quo proprietas Regno Polo-
niæ in huiuſmodi terris, & Prouincijs competens, potuiſſet per
huiuſmodi occupationem aboleri. Quinimò denarius S. Petri
prædictus, cæteris teſtimonijs ſuppreſſis, aut vetuſtate abolitis &
conſumptis, & iniuſtam terrarum occupationem vociferatur, &
detegit, & illas de ſorte, iure, proprietateq; Regni Poloniæ fuiſſe,
& eſſe demonſtrat. Ab eo ſiquidem tempore, vſque ad diem hãc,

omnes

omnes veteres Regni Poloniæ Regiones, omneſque Eccleſiæ Polonæ ditiones, vno & perpetuo honore iuris vſurpato, & nunquã intermiſſo tributum denarij S. Eccleſiæ Romanæ tradunt, præter Camenecenſem Diœceſim, ex ſpeciali Apoſtolico priuilegio, ad preces Legati Apoſtolici capti, & ex diuturna ſeruitute opera Epiſcopi Camenecenſi in libertatem reſtituti, liberatam & exemptam. Optarem autem ego, vt & Ruthenæ, Lithuanæ, Pruthenæq́, regiones, poſtea Regno Poloniæ vnitæ, pari cenſu onerarentur, futuro ſæculo, futuræq́; ætati terminos & iura Regni Poloniæ teſtaturo. Dotąd Długoß. Były páńſtwá tey Rzeczypoſpolitey dáleko vboższe/ ßczupleyße/ znedzone/ rozerwáne/ poplondrowáne/ zewßąd od nieprzyiaciol vćiśnione/ á przećie nie mowili Przodkowie náßy Polacy (bo ießcze nie ſłycháć było w Polßcze tych nowych Ewángelickich mądrośći) żeby to ráczey do ſkárbu obracáć. Lecz oni mowili Pánu Bogu ráczey/ ráczey ś. Piotrowi/ y iego Namieſtnikowi. Nayprzednieyßą y napewnieyßą obronę od Páná Bogá záczynáiąc: przez ktorego Reges regnant, ktory transfert Regna & conſtituit, ktory odrobiny/ ktore ſię ná chwałę iego/ ná ſługi chwały iego obracáią/ hoynemi błogoſłáwieńſtwy y ßczęśliwośćią nádgradza. To ták ſámi świeccy przećiwko nawyżßey Piotrá ś. Stolicy/ od dawnych czáſow zá chowywáli ſię: á coż Duchowni? tákże po wßytkim Chrześćiáńſtwie/ Duchowieńſtwo o głowie ſwey/ y ćiężarách ktore ponośi/ o wßytkich rádząc/ pieczą záwße miáło/ y obmyślawáło. Ztąd od kilkunaſtu ſet lat Collectæ, Oblationes, puśćizny po Xiężey/ Decimæ Papales, ſubſidia Eccleſiaſtica, á nietylko decima pars decimarum, ále y tertia pars decimarum: iáko było wßytko Duchowieńſtwo w Polßcze ná trzy látá Innocencyußowi Papieżowi/ ták iákoś przed pułczwártá ſet lat/ *A. D. 1248.* pozwoliło/ od Fryderyká Ceſárzá/ bárzo vtrapionemu. Ztądże Poſłowie ná wybieránie tych rzeczy/ ztąd Kollektorowie Stolice Rzymſkiey/ ztąd zás ná mieyſce onych wyżßey miánowánych ráchunkow náſtąpiły Annaty/ to ieſt pewny podátek zá okresłoną táxą/ ná pierwßym wſtępowániu ná Duchowieńſtwo. W czym myłą ſię bárzo/ ktorzy wnieśienie tych Annat pod Janem XXII. kłádą/ ták iákoś około roku 1316. ábo y ći/ ktorzy pod Bonifácyuſem IX. w roku 1389. Bo dobrze przed nimi zá Klemenſá V. ná Kon-

cylium

cilium Wienneńſkim/ były tráktaty o Annatách/ nie iáko o rzeczy nowey/ ále iáko o zwyczáyney y dawney: y rádzono o tym ná tym Koncilium/ żeby ná mieyſcu ich viceſima redituum, dwudzieſta część Duchownych Dochodow/ do Rzymu oddawána byłá. Lecz iż tá deliberácya ſkutku nie wzięłá/ Annaty poſtáremu ná ſwym mieyſcu zoſtáły. In Conſtantienſi Concilio, *Seſſ: 43.* potym iż były ſkárgi z ſtrony niektorych abuſus w Annatách/ ktore były wprowádzone w rozerwániu Kośćiołá Bożego/ zá niezgodnym Papieżow obierániem/ poſtánowiono ná tym to Koncylium w Konſtáncyey/ áby ſię w to weyzrzáło/ y wedle ſłußnośći zábieżáło. Jákoż vczynił doſyć/ nowy támże obrány Papież Martinus V. Kánony niektore z ſtrony tego poſtánowiwßy/ *Seſſ: 43.* y z narodámi concordata y vgody poczyniwßy. Ná ktore iż pozwoliłá Koroná Polſka/ y kontentowáłá ſię nimi/ znáć po tym/ bo byli ná tym Koncylium/ Arcybiſkup Gnieźnieńſki/ Biſkup Poznáńſki/ byli Poſłowie Krolá Jágiełłá Polſcy/ y Wielkiego Xięſtwá Litewſkiego/ zezwaláiąc ná wßytko/ z ſtrony iákiegoś tylko Záłkemberká łotrá/ ktory ſię puśćił był piſmy vßczypliwemi/ ná ſławę narodow náßych/ ad futurum Concilium ápellowáli: iáko káżdy ex Actis Concilij Conſtantienſis obaczyć może. Ponieważ tedy Annaty od ták wiele ſet lat w Polßcze zwyczáymi dawnemi/ y konſenſámi Rzeczypoſpolitey potwierdzone ſą/ ten tryb był/ tą koleią prowádziły ſię z dawnych czáſow rzeczy Duchowne: iákoż ſię to co ſwą koleią z dawnośći idzie/ wykroczeniem z kolei/ y Exorbitáncyą názywáć może? Niech káżdy báczny y rozumny rozſądzi: y owßem to Exorbitáncya/ zwyczáie ledwie nie záraz z wiárą Chrześćiáńſką przyięte odmieniáć/ poſtánowienia ták wiele wiekow świątobliwych przodkow náßych wzruſząć/ z trybu dawnego/ y z kolei zwyczáyney wyßpaczáć/ á nowe poſtánowienia/ zá iádem dopiero kácerſkim do Polſki wnieśione/ wßczynáć/ y o tym/ co Przodkowie náßy w oſobie Namieſtniká iego Pánu Bogu oddawáli/ z Judáßem przeklętym mowić: *Mar: 14.* Vt quid perditio iſta, poterat vnguentum iſtud venundari pluſquàm trecentis denarijs, & dari pauperibus; to ieſt ná obronę Rzeczypoſpolitey obroćić. Toby Judáßowſką ráczey Exorbitáncyą názywáć: toby wykroczeniem z kolei: nie to co z dawnośći z ſtrony tych to Annat koleią ſwą chodziło/ y do tąd w Polßcze záwße bywáło/ y da Pan Bog będzie.

Ale

dzie. Ale rzeczeß / że te Annaty poślednieyße / Koncylium Bázylijſkie / *Seſſ: 2.* zgániło / y podnioſło. Odpowiádam krociuchno: że po więtßey częśći to nie było Koncylium / ále niezgodne Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis: iáko ie Koncylium Láter. *Seſſ: 1.* ná ktorym też byli Posłowie od Korony Polſkiey / náżywa. A ták ieſli ſie kto ná Koncyliách ſądźi / nie ná niezgodnych y rozerwánych ſądźić ſie ma / ále ráczey to o nich rozumieć / co zgodne Koncylia / y od Kośćiołá wßytkiego Bożego przyięte / o nich ſądzą y rozumieią. Że ſie ná tym fundámenćie oprzeć nie możeß: rzeczeß podobno / co nam do Koncylia y Práw Kośćielnych / kiedy mamy o Annatách ſwe Conſtitucye. A naprzod Zygmuntá ſtárego. Anni 1593 dwie zárázem / iedná po drugiey / ná iednymże Seymie w te słowá nápiſáne.

Annatæ, ne dentur Romano Pontifici amplius, ſed potius in defenſionem Reipublicæ conuertantur.

SAtisfaciendo poſtulationibus D D. Conſiliariorum noſtrorum ſæcularium, & Nunciorum terreſtrium, mittemus ad Patrem Sanctum Papam, petitum Annatas, vt ne eas de Regno efferri permittamus, ſed vt remaneant pro defenſione Reipublicæ in Regno. Quodſi eaſdem impetrare non poſſumus, tum iam ex nunc renunciare illis debemus, eas nos neq; daturos, neq; efferri permiſſuros.

De eiſdem Annatis.

S. R. Maieſtas, inter alias legationum cauſas, apud Romanum Pontificem contendet, vt Annatæ maneant in Regno ad Reipublicæ tutelam.

Nie dármom ie chćiał przed oczy przełożyć / y czás kiedy były vczynione przypomnieć. Bo te Conſtitucye wßytkieby miały bydź podnieśione / iáko Herbort ná końcu ſwego Státutu námienia / y ći ſámi co to piſáli ták rozumieią / y mieć chcą / gdyż zá Exorbitáncyą iedne Duchownych / też to kłádą / że te Conſtitucye / Anni M.D.XLIII. co oniż ſámi czynią / poćiągáiąc ich kiedy im ſmákuią / á odrzucáiąc kiedy im nie wedle myśli gedzą. Ácz tedy ná Conſtitucyách Seymu tego / trudno ſie ſądzić /

ſądźić / iednák iákożkolwiek weyźrzymy w nie / co w ſobie máią / y iáką słußność záwieráią. Naprzod mowi pierwßa / żeby zá prośbą Posłow do Oycá S. posłáć / proßąc o Annaty. Nic słußnieyßego / nic ſpráwiedliwßego. Onego bowiem nie kogo inßego / nie Lutrow / nie Kálwinow / nie Aryußow / nie nowo wyklętych Miniſtrow / záwße Rzeczpoſpolita tá zá głowę Kośćiołá Bożego przyznawáłá / onego zá nayzwyżßego Duchowieńſtwá / y rzeczy Duchownych ſpráwcę y opiekuná miáłá / chętnie z dawnośći też cokolwiek z Páńſtw ſwych dla vczćiwośći / y podpory nayzwyżßego Apoſtolſkiego tronu vdzieláłá. Táki bowiem zwyczay nam był od przodkow podány / byli tego Papieże látá ſty ráchuiąc / in poſſeſſione zdawná nie wątpliwie. Słußna tedy prośić ich o to / do czego záwße práwo mieli / żeby to máiąc w rękách / z ręku ſwych wypuśćili / y ná co inßego obroćić chćieli. Ale to co przy tym przyßyto / áż názbyt gruba niesłußność y nieſpráwiedliwość: ieſli nie vprośim / dáwáć nie będziem ich. Lepiey nie mowić Aue Rabi Namieſtnikowi Chryſtuſowemu / niż ſie tym ſpoſobem kłániáć: lepiey dáleko nie prośić / niż precibus contumacibus więcey ießcze obrázy przydáwáć. Bo ieſli on nie ma práwá / á ia mam práwo do tego / o co proßę? Dla czego / y ná co prośić / y modlić ſie o ſwoie. Fruſtra in negotio tuo, vbi ipſe ſufficere poſſis, alterius opem implores. Lecz ieſlim ia niemiał tego nigdy w ręku / nie miałem iáko żywo do tego práwá / á ten ktorego proßę / zá práwem ſwym był tego z dawnośći in poſſeſſione, dla Bogá co zá słußność / co zá ſpráwiedliwość / y iákie wżdy práwo bez ſądu / bez práwá wydzieráć mu to / y mowić: ieżeli nie zechceß / muśiß / ieżeli nie daß / weźmiemy. Jeżeli to ták dobrze / może bydź / y ieżeli tákie práwo w Polßcze idźie / że Dominus his opus habet, bráć / to zá tym / y przywłaßczáć ſobie / choć do tego práwá nie maß. A kiedyby też Krol Hißpáńſki / ktory nie máłą penſyą poſyła z Kroleſtwá Neápolitáńſkiego Krolowi J. M. do Polſki ná káżdy Rok / vczynił táki Státut / żeby posłáć Posły do Wárßáwy ná Seym / proßąc áby tá penſya ráczey ná obronę Kroleſtwá Neápolitáńſkiego zoſtawáłá: iednák ſi impetrare non poſſumus, tum ex nunc renuntiare debemus, eandem nos neq; daturos, neq; efferri vlla ratione permiſſuros. Prawdá żebyśćie záraz ná to ſárknęli / y rzekli: niesłußne to / nieſpráwiedliwe to / y ießcze podobno gorzey /

gorzey/

gorzey/ poſtánowienie. Dawał Oćiec iego záwße Krol Philip Wtory/ ieſt ná to práwo dobre. A pewnie ſłußnie byśćie to mowili/ y pewnie oſądźili. Lecz wedle tego trzebá y śiebie ſądźić/ ieſli ieſt z ſtrony czyiey/ o ktorym mowił/ penſyey Neápolitáńſkiey/ dobre práwo/ ieſt ießcze dáleko lepße Kośćiołá Rzymſkiego ná Annaty. Bo by o naylepßych práwách y kontráktách/ kiedy ſię ták dálece názbyt nie záſtárzeią/ może iákakolwiek Kontrowerſya bydź/ ále o rzeczách ktore ták wiele ſet lat vżywánie/ y práwá potwierdźiły/ wßytkie práwá mowić zákázuią. Gdyż tákowymi dawnośćiámi vgruntowáne rzeczy/ vim Konſtitucyey máią/ vim tituli, non hominis, ſed legis, & excludunt omnia impedimenta, & prohibitiones, wedle ſámychże Ewángelickich Juryſtow. Przeklęte to ſpoſoby/ ſic volo, ſic iubeo. Boday ſię w Polßcze nie śniły. Nie ták czynili Przodkowie náßy/ nie ták inßy pobożni Krolowie/ y Páńſtwá Chrześćiáńſkie/ nie ták z Stolicą Apoſtolſką poſtępowáli. Przypomnićie ſobie dawne dźieie/ kiedyśćie o ozdobę tytułu Krolewſkiego ſtáráli ſię/ kiedyśćie o Krole prośili/ kiedyśćie zá III. Káźimierzá też prośbę z ſtrony Dźieśięćin/ ták y Swiętopietrza wnośili/ kiedyśćie ſię z Krzyżakámi práwowáli/ ieſliśćie tákich ſpoſobow w prośbách záżywáli/ będźiemy wiedźieć co z tym rzec/ ieſli nie vprośimy. Nie ták czyniono/ ále z wielką záwżdy vczćiwośćią proßąc/ y potrzeby ſwe przekłádáiąc/ ieſli co vproßono/ z dźięką y wdźięcznośćią przyimowano/ iáko od Oycá ſynowie: ieſli też nie/ rzeczom wyrozumiewano. Toż y w inßych Páńſtwách/ że ſię dźiało/ łácno pokázáć. Gdy ſię były ná Anglią ćiężáry wielkie wzgledem expedicyey Palliorum wniosły/ nie ták przećie w tym chodzono/ non permittamus, ále ſam Krol Canutus Magnus nabożną peregrinácyą do Rzymu przedśię wźiąwßy/ ſtáránie vczynił/ że to poſkromiono. Gdy we Fráncyey o też Annaty przyßło było do záburzenia/ ſąd był pierwey/ y ſądowe w Párlámenćie vznánie: y ácz przećiwne Annatom/ iednák to wßytko znieśiono potym/ y przećie Annaty ná plácu zoſtáły ſię. Tákże w Rzeßy Niemieckiey zá Máxymiliáná/ kiedy o Tureckiey woynie rádzono/ y o Annatách też miedzy inßymi ſpoſobámi pieniężnych rátunkow myślono/ nie z tákową legácyą do Rzymu/ do Alexándrá Papieżá/ wypráwowano. Widźieli báczni w ten czás y rozſądni ludźie/ gdy tę Konſtitucyą knowano/ iákie w ſobie abſurda

ſurda

ſurda y nieſłußność miáłá/ dla tego nápiſáli drugą po teyże záraz/ immediatè Konſtitucyą/ ktora ſię też wyżey przed oczy położyłá/ w ktorey to tylko co było ſłußnego/ y co ſię z rozumem zgadzáło/ włożywßy: to ieſt/ żeby do Oycá świętego poſłáć/ y prośić go áby Annaty zá pozwoleniem iego przy Rzeczypoſpolitey zoſtawáły/ oſtátek/ to ieſt owe klauſule/ ſi impetrare non poſſumus, renunciare illi debemus, nos neq; daturos, neq; efferre permiſſuros, iáko inconueniens opuśćili. Tákże choćby były tego Seymu Konſtitucye nie wątpliwey ważnośći/ tedy przećie iedná druga/ pierwßa przez poślednieyßą znieśiona ieſt. Bo ieſli nie ná znieśienie pierwßey/ druga záraz o tymże nápiſána byłá/ niech kto pokaże y wynaydźie inßą przyczynę: ponieważ to w ſobie wßytko ma co pierwßa/to tylko odćiąwßy co było abſurdum, y nieſłußnego. Co ſię tym nie ládáiáko potwierdza/ że potym záraz w drugim Roku ná Seymie/ Roku M. D. XLIV. opußczono tákże on przydátek/ że dáwáć ich nie będźiemy: to tylko włożono/ że per Nuntium Annatas impetrare conabimur. Lecz zániechawßy iuż Konſtitucyey M. D. XLIII. niechcąc ſię ná ważnośći ich ták dálece ſądźić/ rzeczećie że ſą inße poślednieyße práwá o Annatách/ żeby w Koronie zoſtawáły/ná obronę Rzeczypoſpolitey/ zá Auguſtá/ zá Stepháná/ y zá pánowánia ſławney pámięći Zygmuntá III. świeże/ Anni M. DC. VII. Jeſt to ták/ przyznawam: iedno że y te poślednieyße Konſtitucye nic w ſobie ſkutecznego nie máią/ y ták że ſáme ſię przez ſię znoßą. Weyźrzeć w nie zdrowym okiem/ y dobrze vważyć/ gdyż ſcire leges non eſt hoc verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem, tedy łácnie to káżdy przyzna/ y ſamże oſądźi. Pozwalamy/ powiáda/ pierwßa Auguſtowſka Konſtitucya/ áby Annaty zoſtawáły w Koronie/ ná obronę Rzeczypoſpolitey. Druga tákże/ ná teyże ſię funduiąc/ mowi: Jż Annaty pierwßą Konſtitucyą pozwolone ná obronę potoczną/ támże máią bydź oddawáne od poſſeſſorá. Toż trzećia powtarza/ wyżßey miánowáne Konſtitucye ponawiáiąc. Prawdá to ieſt/y niech to ták będźie/ pozwoliłá Rzeczpoſpolita/ ieſli iednák co vczyni wątpię: pozwolili y Duchowni/ áby Annaty w Koronie zoſtawáły. Vczynili to co z nich mogło bydź/ życzą tego y ná pozwoleniu Krolá J. M. ſławney pámięći Zygmuntá III. y inßych nic nie ſchodźi/ ále żeby to było ſkuteczne pozwolenie/ poſtąpić dáley trzebá

było,

było. W káżdym bowiem ſtánowieniu o tákich rzeczách / do ktorych
nie tylko ia ſam / ále y kto inßy ma práwo iákie / záwße ſubeſt tacita
clauſula, ſine præiudicio iuris tertij, ius & inter eſſe habentis, kto-
ra nec abeſſe poteſt, nec abeſſe præſumitur. Ták rozum y ſpráwie-
dliwość vczy / ták wßytkie práwá ſtánowią / ták práwnicy wßyſcy ſie
zgadzáią. Iż tedy Rzeczpoſpolita náßá z przyięćiem Wiáry Chrześći-
áńſkiey / przyięłá też práwá Duchowne: y ſtánowiąc Biſkupſtwá / po-
dáłá ſie pod władzą Duchowną / wyłączywßy z Iurisdikcyey ſwey /
opátrzyłá ie pierwey ießcze niżeli dobrá Szláchecłkie wielkimi wolno-
śćiámi / & immunitatibus Eccleſiaſticis, ápprobowáłá przez ták
wiele ſet lat prærogátywy / y inßego mnieyßego ſwego Duchowień-
ſtwá / y Stolice naywyżßey / iáko z inßych miar / ták z ſtrony Annat /
potrzebá było z ſtrony tego otrzymáć pierwey pozwolenie od Oycá S.
ktorego władzey wedle praw y porządku Kośćiołá powßechnego Ká-
tholickiego / Duchowieńſtwo y rzeczy duchowne podlegáią. Abo
znieść było z Heretyki wßytkie S. Kánony / Koncylia / y poſtánowie-
nie Kośćielne wzruſzyć / porządki ſtárodawne Kátholickie popſowáć /
y náße práwá / z ſtrony immunitates ſtanowi Duchownemu nádá-
nych od Przodkow náßych świątobliwych / y od Krolow poprzyśię-
żnych. Muśiáłoby to pierwey ßwánk wziąć / tákże władza / y præro-
gátywy Stolice Apoſtolſkiey / dopiero zá tym mogłyby mieć tákowe
Konſtitucye ſkuteczną exekucyą. Lecz nie derogowawßy niwczym
temu wßytkiemu / iákoż poki iedno w Polßcze Kátholicy ſą / zá łáſką
Bożą derogowano bydź nie może / nie podobna żeby ſie to oboie ná ie-
dnym plácu zoſtáć mogło / Koncylia / Kánony / Práwá / & immuni-
tates Eccleſiæ, władza rządu Kośćielnego / náwet Wiárá Kátholi-
cka / á przywłaßczánie ſobie dobr od świeckich Kośćielnych / y obra-
cánie ich ná potrzeby świeckie wedle woley ſwey. Gdyż to ieſt prze-
ćiwko wßytkim práwom / y ſámych Pogánow / przećiwko wßytkim
Koncylium / y Kánonom / iáko iedno ſie Chrześćiáńſka Wiárá po-
częłá. Bo nie tylko zákázuią / tykáć ſie świeckim dobr duchownych /
ále y wielkie przeklectwá / ſrogie exkommunikácye / y ánáthematá ná tá-
kowych kłádą / ktorzy to czynią / ábo o tym Státutá piſáć ſie ważą /
ábo w piſániu ich pomagáią / bądź też fautormi ich ſą. Pominąwßy
dla vprzykrzenia ſie / dáwnieyße Kánony y poſtánowienia Concilio-
rum,

rum, Agatenſis, Aurelianenſis, niektore tylko poślednieyße przypo-
mnie / á oſobliwie z vchwały Cōcilij Oecumenici Lateranenſis III.

Ne Laici Eccleſijs imponant onera.

Cap: 46. ſub Innocentio III.

NOn minùs pro peccato eorum qui faciunt, quàm pro illorum
detrimento qui ſuſtinent, grauè nimis eſſe dignoſcitur, quòd
diuerſis in partibus mundi, Rectores & Conſules ciuitatum, nec-
non & alij, qui poteſtatem habere videntur, tot Eccleſijs frequen-
ter onera imponunt, & ita grauibus eas, crebriſq; exactionibus
premunt, vt deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium
videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui Diuinæ legis notitiam
non habebat. Ille quidem omnibus alijs ſeruituti ſubiectis, Sacer-
dotes ſuos, & eorum poſſeſſiones, in priſtina libertàte dimiſit, &
de publico, illis alimoniam miniſtrauit. Iſti verò vniuerſa ferè
onera ſua Eccleſijs imponunt, & tot angarijs eas affligunt, vt il-
lud eis quod Hieremias deplorat, competere videatur. Pinceps
Prouinciarum facta eſt ſub tributo, ſiue quidem foſſata, ſiue ex-
peditiones, ſiue quælibet alia ſibi arbitrentur agenda, de bonis
Eccleſiarum Clericorum, & pauperum Chriſti vſibus deputatis,
cuncta volunt ferè compilari: iuriſdictionem etiam & auctorita-
tem Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum ita euacuant, vt nihil
poteſtatis eis in ſuis hominibus videatur remanſiſſe. Super quo
dolendum eſt pro Eccleſijs, dolendum etiam nihilominùs & pro
ipſis, qui timorem Dei & Eccleſiaſtici ordinis reuerentiam viden-
tur penitus abieciſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione ſe-
ueriùs prohibemus, ne de cætero talia præſumant attentare, niſi
Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem vel vtilitatem aſpexe-
rint, vt abſque coactione ad releuandas communes neceſſitates,
vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exi-
ſtiment conferenda. Si autem Conſules aut alij de cætero id præ-
ſumpſerint, & commoniti deſiſtere fortè noluerint, nec commu-
nioni fidelium reddantur, niſi ſatisfactionem fecerint competen-
tem. Tákże też właśnie y drugie Láteráńſkie Koncylium IV. *Seſſ: 9.*

kim vważeniem czásow / y mieysc słuſznych / po-
stánowionych. Owſzem to rozumienie przeći-
wnikow náſzych / ktore (áby te Práwá ábrogo-
wáne bydź miáły) sobie czynią / státecznym ná
Seymikách/ y Seymách Wálnych popierániem/
iáko śię dobrym Kátholikom godźi/ zbiiaymy y zá-
tłumiaymy. Bo iesli bráterska miłośćią przo-
dkow náſzych / y náſzą dźiało śię: żeśmy o exten-
dowánie win ná wnośićiele do tey Korony błę-
dow y bluźnierstw kácerskich / v zwierzchnośći
nie nálegáli do tych czásow: iednák przećie Praw
tych derogatia żadna tym nie ostáłá śię. Zwyćię-
żáliśmy áffektem Bráterskim te ich przećiwne
nam / y Kośćiołowi Bożemu burzenia: pátrząc
zwłaſzczá ná to/ że Pan Bog sam cudownie/ wie-
le ich do vznánia prawdy Kośćiołá swego przy-
wodźił / á błędy ich przez potomstwo ich / ktorzy

śię do Kośćiołá Kátholickiego náwracáią / po-
tępiał y potępia. Lecz że oni to co Práwem nie
iest / Práwem czynić chcą / á náſze Práwá zátłu-
mić vśiłuią: ná sumnienia náſze gwałtownie ná-
stępuią / Kośćioły ná chwałe Bożą oddáne / ná
bluźnienie Bogá w Troycy iedynego / y Sákrá-
mentow świętych / obracáią: Tedy wczás ocu-
ćić śię nam potrzebá w tym Proceśie ktorego śię
vpomináią / (á iednáko nam służyć ma) zwro-
cenia Kośćiołow/ gruntow/ srebrá / złotá/ y in-
nych ochędostw y dochodow Kośćielnych: tákże
Iura patronatus áby w swey klubie stánely / vpo-
mnieć śię też vmieymy. Niech Wiárom y blu-
źnierstwom swym tákiego mieyscá ſukáią / kędy
tego Práwá pozwaláią / á znáiomośći Bogá
prawdźiwego w Kośćiele świętym iego nie
máſz: á nie tu / kędy y krwią świętych Męczen-
nikow Wiárá powſzechna Kátholicka ſczepiona
iest. Te rácye z Praw náſzych Koronnych/ pra-
wdźiwie spisałem w ten sposob/ áby y ádwersarze
Kośćiołá Kátholickiego obaczyli / że nie widzą
co Práwem zowią: á náſzy też Kátholicy po-
ználi / że bárzo obłędliwie w popieraniu Konfe-
derácyey przy nich stawáią / á sumnieniu swemu
w tym wielką ſzkodę czynią. Jest o tym pismá

po częśći / czego oni pod pretextem pokoiu ßukáią / y iáko nam w tych ich prosbách o ten pokoy ostrożnymi bydź potrzebá: przeto ia tego poniechywam. To com intentione bona nápisał / bácznemu rozsądkowi poruczywßy.



DECAS QVÆSTIONVM PVBLICARVM REGNI.

In quibus

Ecclesiastica iura, & immunitates Ecclesiastici Statûs, elucidantur.

Authore ANDREA LIPSKI *à Lipe,*
I. V. D. Scholastico Cracouien: & Płocen: Custode Gnesnen. Sacræ Reg: Maiest: à Secretis.

Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi, Anno Domini, 1632.



SERENISSIMIS PRINCIPIBVS
AC FRATRIBVS

IOAN: CASIMIRO

SECVNDO GENITO,

IOAN: ALBERTO

TERTIO GENITO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS, DOMINI

D. SIGISMVNDI III.

POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS, &c. &c.

FILIIS.

Dominis meis gratioſiſſimis S. P.

NOn eſt ſanè, Sereniſſmi & Excellmi Principes, quòd mirum cuiquam videatur, me pri-

me primum inter omnes tàm graui & arduo negotio, te nellã iſtam ætatem veſtram, nõ ſolùm præoccupare voluiſſe, ſed vos etiam huic operi meo, in quo ſeriæ quædam, minuſq; ætati Veſtrę arridentes, de controuerſiis inter ſtatum Eccleſiaſticum & Sæcularẽ quæſtiones continentur, Patronos præcipuos & ſingulares elegiſſe. Nam huius mei conſilij, non aliam fuiſſe rationem ingenuè profiteor, niſi quòd vnicè id cuperem, vt ab ipſis quaſi incunabulis, priſcã Religionem, quam à Sereniſſ: pientiſſimiſq; illis maioribus & parẽtibus veſtris

accepiſtis, & in qua nunc à Sereniſſ: Regina, inſigni pietate religioneq; prædita, matre veſtra, omni cura & ſtudio educamini, ita imbibatis & addiſcatis, vt illius amore inflammati, Eccleſiaſticũ quoque ordinem, qui Catholicæ Romanæ fidei præeſt, commẽdatum habeatis, ac diligatis. A teneris etenim aſſueſcere, multum eſt: vt præclarè dixit ille. Ego ſanè, quò amplior eſt Maiorum veſtrorum Maieſtas & Celſitudo, ex quibus prodijſſe tot orbis Chriſtiani Monarchas admiramur; quò magis excellens Sereniſſimorum paren-

tum vestrorum pietas, quò sancti-
or educatio vestra, quò denique
indoles vestra, multis præstantissi-
mis Dei muneribus adornata, prę-
clarior est: hoc maiorem atq; cer-
tiorem spem animo concipio, fu-
turum vt cum eminentissimorum
Maiorum vestrorum, à quibus nõ
prosapiam tantummodò Regiam,
sed etiam augusta illa nomina CA-
SIMIRI & IOANNIS ALBERTI
fausto omine ducitis, vestigijs in-
cesseritis, eorum laudem atque de-
cus sempiternum, nõ æquare mo-
dò, verumetiam superare possitis.
Quam vt vobis largiatur Domin9
IESVS

IESVS sapientiam & gratiam,
qua & ipse dum puer esset, profi-
ciebat aqud Deum & homines, di-
uinam ipsius bonitatem precor.
Viuite igitur incolumes, & in
spem Regnorum egregiè in omni
genere virtutum crescite inclyti
HEROES, atq; magna REGVM
propago.

Serenitatum Vestrarum

deuotiss: atque addict: Seruitor

Andreas Lipski à Lipe, I.V.D.
Scholasticus Cracouien: & Plocen:
Custos Gnesnen, S.R.M. Secret.

INDEX QVÆSTIONVM.

QVÆ-

QVÆSTIONVM PVBLICARVM ANDREÆ LIPSCII, DECAS.

QVÆSTIO I.

De Decimis, & quo iure Decimæ in Polonia Ecclesiastico Ordini debeantur.

SVMMARIA.

1. *Decimæ, vtrum sint de præcepto: necne?*
2. *Decimas, iuris diuini, non autem positiui, esse probatur.*
3. *Præceptum de Decimis, quale fuerit.*
4. *Populus Noui Testamenti, ad maiorem perfectionem obligatur, quàm populus veteris testamẽti.*
5. *Decimæ authoritate Conciliorum probari possunt.*
6. *Religiosi & alij Prædicatores conscientiam pœnitentibus, & auditoribus, de solutione decimarum, facere debent.*
7. *Decimas, iure gentium deberi, probatur.*
8. *Decimarum antiquissima fundatio, à Miecislao, & alijs Regibus Poloniæ, Ordini Ecclesiastico facta.*
9. *Historicorum testimonio standum esse, ostenditur.*
10. *Iaroslai Archiepiscopi Gnesnen: de Decimis sententia, authoritate Casimiri Regis comprobata.*
11. *Vladislai Iagellonis, & aliorum Regum, Priuilegiorum Ecclesiastici Ordinis confirmatio.*
12. *Ludouici Regis Priuilegium, non facit immunem Nobilitatem à solutione Decimarum.*
13. *Ius Decimarũ, Ecclesiasticus Ordo, etiam specialibus & particularibus Priuilegijs, probare potest.*
14. *Decimarum ius, Bullis Pontificum probatur.*
15. *Regalia bona à Decimis non sunt li-*

sunt libera: multò minùs Nobilium libera esse debent.

16. _Ecclesiasticus Ordo, ius Decimarum præscriptione longissima acquisitum habet._
17. _Libri Beneficiorum, vnde habeant originem, & quæ illorum sit authoritas._
18. _Libri Retaxationum, quando, & quam ob causam conscripti._
19. _Decimæ Ecclesijs seu beneficijs ab Episcopis collatæ sunt._
20. _Noualium Decimæ Episcopis debentur._
21. _Immunitas à solutione Decimarũ præscriptione acquiri non potest._
22. _Excusatio Authoris de prolixitate quæstionis._

1 DEcimas,* ante legem quidẽ Moysi fuisse sub consilio; at in lege sub præcepto, nulli dubium est: ita enim de his diuinam Maiestatem ordinâsse & præcepisse, probatur multis sacræ Scripturæ locis. Et primùm Exodi cap: 27. _Decimas & primitias tuas, non tardabis offerre: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, &c._ Et Leuit: cap: vltimo: _Omnes Decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Non eligetur bonum nec malum, nec cum altero commutabitur &c._ Item Num: cap: 18. _Filijs autem Leui dedi omnes Decimas Israelis, in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis._ Deuter: cap: 14. _Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra._ Ac deniq; Malach: c. 3. _Inferte omnem decimam in horreũ meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis catarractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsq; ad abundantiam. Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum._

Vnde satis liquidò constat, Decimas ab ipso Diuino numine ideò constitutas esse, vt persoluantur à populo Israël, filijs Leui, pro ministerio in quo deseruiebant ei in tabernaculo, prout in cap: _Decimas_, ibi: _Decimas à populo Sacerdotibus ac Leuitis esse reddendas Diuinæ legis sanxit auctoritas._ 16. qu.
1. disponitur. Ac proinde* 2
eas esse iuris Diuini, & præcepto ad eas soluendas omnes obligari, exploratissimi iuris esse, text: in cap: tua. 25 ibi. _Neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ diuina constitutione debentur._ Et in cap: in aliquibus. 32. ibi. _Illæ quippe Decimæ necessariò soluendæ sunt, quæ debẽtur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbata._ tit: de decimis, primitijs, & oblat: apertissimè probant. Nec moueor quorundam, non postremi nominis Theologorum, opinione, qui decimas nunc non esse de præcepto, & per consequens, nec iure Diuino, sed positiuo humano eas deberi, existimant, idq; ex ea ratione: quòd quemadmodum ante legem à Moyse datam, Decimæ non erant de præcepto, sed tantùm de consilio: ita & nunc in lege gratiæ, cùm videlicet iam veteris illius legis authoritas, morte Christi abolita sit: tum verò, quòd nõ sint renouatæ aliquo præcepto testamenti noui, non aliter eas deberi, nisi de consilio, dicendum esse videtur. Nam quamuis leges Moysi iudiciales & cæremoniales, Christianos obligare nõ possint: attamen morales, etiam in noua lege necessariò omnes ligant. Præceptum verò
3 illud* de Decimis, primò &
principaliter erat morale, vt potè iure Diuino, & naturali ratione inductnm, quę dictat necessaria ministranda esse à populo ministrantibus in cultu diuino: _dignus est enim operarius mercede sua._ Matt: cap: 10. Quamuis, quo ad quotam, seu determinationem certæ partis, ad iudiciales etiam leges decimæ pertinere videantur, quę etsi obseruari possint, aut non obseruari: si tamen lege aliqua, siue Ecclesiastica, siue seculari, ac multò magis diuina constituantur, ad earum obseruantiam omnes necessariò obligari, S. Th: 2 2. qu: 87. probat. In noua etiam lege Euangelij, ius illud vetus renouatum esse, vel inde dici potest: quod _Luc: cap: 11._ & _Matt: ca: 23._ Saluator ipse docet, his verbis: _Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis menthã & anetum, & cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium ac misericordiã, & fidẽ; hæc oportuit facere, & illa non omittere_
Quin imò* cùm populus no- 4
uæ legis obligetur, ad maiorem perfectionem, quàm populus veteris testamenti, iuxta dictum Christi: _Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, &c._ Matt: cap: 5. maximè verò quòd

quòd non minoris ſit digni-
tatis miniſterium noui teſta-
menti, quod à Clericis & Sa-
cerdotibus hodie exhibetur
populo Chriſtiano, quàm o-
lim fuit miniſterium veteris
teſtamenti, teſte Apoſtolo,
1. Cor: 3. Idcirco meritò, &
optima ratione dicendum vi-
detur, quòd hoc Dei inſtitu-
tum & præceptum, magis
Chriſtianos, quàm Iudæos
ſtringere debeat. Quo argu-
mento Sanctos quoq; Patres
vſos fuiſſe, Sancti Clementis,
D. Petri diſcipuli & ſucceſſo-
ris, exemplum docet, lib:2. A-
poſt: Conſt:cap:29. & ſequen.
Et authoritate S. Auguſtini,
ſerm: 219. de Tempore, com-
probatur. *Quod de Decimis*, in-
quit, *primitijſq; dicimus, quæ olim
dabantur à populo Sacerdotibus atq;
Leuitis, in Eccleſiæ quoque populis
intelligitur: quibus præceptio eſt,
non ſolùm decimas & primitias da-
re, &c. id qui non fecerit, Deum
defraudare & ſupplantare conuin-*
5 *citur.* Vt interim taceam * de
perpetua ab Apoſtolorum
temporibus Decimas pēden-
di conſuetudine, vel ipſa ſan-
ctorum Conciliorum autho-
ritas, Diuino iure nixa, idipſū
cuiuis ſatis manifeſtò decla-
rat. Nam (vt alia breuitatis cau-
ſa prætercam) in Concilio
Moguntineñ: tempore Caroli
Magni celebrato, cap: 38. ſic
dicitur. *Admonemus atq; præcipi-
mus, vt Decimas de omnibus dari
non negligatur: quia Deus ipſe ſibi
dari conſtituit.* Ex quibus liqui-
dò conſtat, Decimas à Deo,
tàm in veteri quàm in nouo
teſtamento, ordinatas & im-
peratas eſſe: ita vt eas iuris di-
uini, non autem iuris poſitiui
humani, eſſe neceſſariò faten-
dum ſit. Ac proinde * ex or- 6
dinatione Eccleſiaſtica, ſi re-
ligioſi, aut alij quipiam Sa-
cerdotes, ſcientes omittunt
facere de hoc præcepto con-
ſcientiam ſibi confitentibus,
aut ſi aliquid dicunt etiam in
priuato, quo aliquis retraha-
tur à ſolutione Decimarum,
grauiſſimè peccant, & pœnā
excōmunicationis incurrunt:
de quo eſt expreſſus textus in
cap: Cupientes. in fin: tit: de
pœnis in Clement. Vbi etiam
religioſis & alijs prędicatori-
bus iniungitur, ſub obteſta-
tione diuini iudicij, & inter-
minatione maledictionis æ-
ternæ, vt quoties prędicabūt,
& confeſſiones audient, con-
ſcientiam auditoribus & pœ-
niten-

nitētibus de Decimis ſoluen-
dis facere non omittant. Do-
7 ceri etiam poſſet, * Decimas
iure gentium introductas eſ-
ſe: ſiquidem ex hiſtorijs pro-
phanis cōſtat, populos etiam
vera Dei cognitione carētes,
ſuis tamen Principibus & Sa-
cerdotibus, Decimas quaſi
debitum quoddam naturale
penſitaſſe, vt videre eſt apud
Plin: lib: 12. cap: 14. & 19. Plu-
tarch: in problem: 17. & in vita
Syllæ. Macrob: lib: 3. Satur: ca:
1. & 2. Herod: lib: 1. Cùm enim
natura eam notionem inſcul-
pſerit hominum mentibus, vt
ijs, qui nobis operam & mi-
niſterium præſtant, præmia
debeantur: eadem quoq; ad-
monente facilè poſſumus iu-
dicare, Sacerdotibus, qui in
populi gratiam multum ſtu-
dij laboriſq; impendunt, ali-
menta eſſe tribuenda. Et vn-
de Regibus vectigalia ſeu tri-
buta, militibus ſtipendia, de-
beri iudicamus: inde quoque
ſacerdotibus Decimas eſſe per
ſoluendas cognoſcimus: cùm
ijs veluti ſubſidijs vitam ſu-
ſtentare debeant. Ac ne quis
dubitare fortè poſſit, hæc ita
ſe habere, vel ipſius Abraha-
mi exēplo, qui Sacerdoti Mel-
chiſedeco Decimas dediſſe
memoratur, facilè conuinci
poteſt. Sed cùm quidam, * re- 8
rum præſertim patriarum ni-
mis religioſi obſeruatores,
iura hæc Gentium & Cano-
nica, tanquam exotica & pe-
regrina, à moribus & conſue-
tudinibus huius Regni pror-
ſus aliena eſſe exiſtiment, vt
potè noſtris hominibus, Re-
gum ſuorum Conſtitutioni-
bus, proprijſque Statutis & cō-
ſuetudinibus pro iure vtenti-
bus: idcirco miſſis hiſce, iam
neceſſariò antiquiſſimorum
optimorumque Principum &
Regum Poloniæ legibus &
inſtitutis, Decimas Ordini Ec-
cleſiaſtico eſſe adſcriptas, pro-
bandum erit. Ac inprimis
Mieciſlaus, ſuſcepto Poloniæ
hæreditario Principatu, An-
no à Chriſto nato 965. in fidē
Chriſti ſacro Baptiſmatis la-
uacro initiatus, tanta religio-
nis Chriſtianæ propagandæ
cupiditate flagrauit, vt mul-
tis ſtatim templis à ſe ædifi-
catis, cenſibus & ampliſſimis
poſſeſſionibus, eas locupleta-
uerit: Epiſcopis inſtitutis, De-
cimas frugum omnis gene-
ris, tàm de ſuis, quàm ſuæ No-
bilitatis, adeoq; plebis agris,
edicto

edicto perpetuo ijſdem adſcri
pſerit: teſte Cromero in vita
eiuſdem Mieciſlai, Dlugoſſo,
& alijs. Hanc autem Mieciſlai
pijſſimi Principis, Decima-
rum ordinationem ſeu inſti-
tutionem, cæteri, qui ipſum
ſecuti ſunt Reges, non ſolùm
approbârunt; verùm etiam
grauiſſimis pœnis, in eos, qui
in pendendis decimis Clero
difficiles ſe præberent, anim-
aduerterent. quòd Boleſlaum
cognomento Chrobry, (qui
anno ſalutis 997. regni guber-
nacula ſuſcepit) feciſſe, idem
Cromerus atteſtatur his ver-
bis: *Nulla autem in re Boleſlaus
erat ſeuerior, quàm in contemptu
religionis, templorum prophanatio-
ne, & Sacerdotum iniurijs atq; con-
tumelijs vindicandis: ad quæ faci-
nora, cùm pleriq; Equeſtris Ordinis
homines, partim priſtinæ impieta-
tis conſuetudine, partim licentiâ mi
litari incitati ferentur, & Decima-
rum quoq; onus detrectarent, Sacer-
dotesq; pulſarent, in authores qui-
dem pœna capitis animaduertit, cæ-
teros partim verberibus atq; minis
caſtigauit.* Hæc Cromerus. ſed
& Dlugoſſius de eodem Bo-
leſlao, hæc memoriæ prodi-
dit: *Nullatenus paſſus eſt*, inquit,
*Decimarũ manipularium pro Ec-
cleſiis & miniſtris Dei in vniuerſis
Principatibus ſuo imperio ſubiectis,
ſolutionem, aut varietate aliqua di-
minui, aut in dubium aliquatenus
reuocari: ſed decreuit & mandauit,
illam eſſe perpetuam & perennem;
varia vltionis diuinæ flagella, filijs,
nepotibus, ſucceſſoribuſq; ſuis inter-
minans, ſi per quempiam illorum
præfatarum Decimarum cõtingeret
ſolutionem intercipi, tranſmutari,
vel reſcindi.* At fortè* quis hæc 9
Hiſtorica eſſe dicet, eaq; mi-
noris fidei & authoritatis eſ-
ſe, ſtudio contradicendi alle-
gabit? Fateor teſtimonijs hi-
ſtoricorum, ijſque omni ex-
ceptione maioribus, ea proba-
ri: at proferat ille mihi ſtatu-
tum, aut legem vnam aliquã
illius temporis, & tunc ſen-
tentiæ huius aſſertor, facilè
palmam obtinebit; ſed verius
eſt, nullas eo tempore, ne dũ
leges ſcriptas, ſed vix aliquas
literas, apud gentem noſtram
extitiſſe. Nam, vt Cromerus*
lib: 1. cap: 3. refert, *vix dum ſex-
centi aut ſeptingenti anni ſunt, ex
quo Slauica ſiue Bulgarica gens li-
teras, vnà cum religione Chriſtia-
na, amplexa eſt.* Equidem, qui
huic tam præclaro atq; illuſtri
Hiſtoricorum teſtimonio fi-
dem abrogare velit, eum gen

tis quoq;

tis quoq; ſuæ originem, & res
geſtas omnes dubias, incer-
taſque redditurum exiſtimo.
Tali igitur teſtimonio, hoc
eſt publicis monumentis in
primis probatum eſt, Eccleſi-
aſticum ordinem, ad exigen-
das decimas ius firmum per-
petuumque habere, non arti-
ficio aliquo comparatum, ſed
vnà cum Chriſti fide funda-
tum, & ab omnibus Regibus
& Principibus conſtantiſſimè
obſeruatum. Verùm enim ue-
10 rò* Boleſlai veſtigijs inſiſtens
Caſimirus Magnus, cùm An-
no 1369. exortâ controuerſiâ
in Minori Polonia eſſet, inter
Bodzantam Epiſcopum Cra-
couien: & ipſum Caſimirum
Regem, non de iure Decima-
rum, ſed tantùm de vecturis,
ac modo decimandi: ita de-
mum eam litem & contro-
uerſiam ſopiuit, vt eam arbi-
trio Iaroſlai Archiepiſcopi
Gneſnen: reliquerit, eaſq; le-
ges Iaroſlao cẽſente, ſumma
Senatorum voluntate edide-
rit, quæ & iura Decimarum
ſtabiliunt, & modum earun-
dem perſoluendarum præ-
ſcribunt. Eam verò ſanctionẽ
Iaroſlai, non priuata ipſius au-
thoritate, ſed iuſſu & manda-
to ipſius Regis promulgatam
fuiſſe, tàm clarum, tamq; eui-
dens eſt, vt nulla prorſus ma-
iori probatione ea res indige-
re videatur. Caſimirus ipſe ſi-
quidem eam legem ſuam, te-
ſtatur his verbis: *Nos Caſimi-
rus Dei gratia Rex Poloniæ Signi-
ficamus tenore præſentium: Quo-
modo cupientes, vt ſubditi noſtri in
Regno noſtro degentes, præſertim
in Regno Poloniæ, & terris, cuiuſ-
cunq; ſtatus & conditionis exiſtant,
honeſtè viuant, alter alterum non
lædat, & ius vnicuiq; tribuatur:
Præterea de conſilio Venerabilis in
Chriſto Patris & Domini Iaroſlai,
ſanctæ Gneſnen: Eccleſiæ Archie-
piſcopi, necnon Prælatorum, Palati-
norum, Baronum, & vniuerſorum
Nobilium noſtrorum de terra Po-
loniæ, ad perpetuam rei memoriam
ſtatuta edidimus infraſcripta, &c.*
Quibus verbis ſanè declarat
Rex Caſimirus, prædicta ſta-
tuta propter concordiam in-
ter Status, à ſe, non à Iaroſlao,
cum conſenſu Prælatorum, &
omnium Ordinum, edita eſſe.
Quod non de alijs ſtatutis in-
telligi debet, niſi de his, quæ
eã prẹfationẽ Caſimiri Regis
ſequuntur. Statim enim poſt
hæc verba atq; titulum legis,
de ſola Decimarum ordinati-

one per

cone, per Iaroslaum facta, ibidem agitur. Vnde satis manifestè constat, prædicta Statuta de decimis in volumen legũ nostrarum comprehensa, per Iaroslaum quidem iussu Regis congesta, sed per eundem ipsum Regem ac alios Ordines admissa, concessa, & in perpetuum promulgata esse: & ideò non Iaroslao, voluntati Regis morem gerenti, sed ipsi Casimiro Regi adscribi debent. Nihil enim interest, verbis, an rebus ipsis & factis, suam volũtatem Princeps declaret; cùm rebus magis, quã verbis leges imponantur. Sed
11 enim * hanc siue legem, siue sanctionem à Iaroslao quidé scriptam, Regis verò Casimiri iussu editam, in veris Regni legibus esse numerandam, illud præterea probare videtur, quod Vladislaus Iagello, hæc atq; similia Cleri Priuilegia, in vniuersum lege communi Ordinum consensu lata, approbauerit: idq; in Castris propè Czervviensko, de Anno 1422. in crastino S. Mariæ Magalenæ. Cuius Priuilegij verba in Codice Statutorum Regni sub verbo *Priuilegium*, ita se habent: *Vt subditi & indigenæ Regni nostri, tam Spirituales quàm Seculares, absq; vlla ambiguitate iuribus & priuilegiis, quæ illis dudum à nostris Prædecessoribus diuæ memoriæ Regibus Poloniæ, & à nobis sunt concessa, securiùs vti possent, & potiri, nec aliqua circa eorum continentiam hæsitatione suspendi: omnia & singula priuilegia, iura, libertates, & concessiones nostras, quas obtinent sub quacunq; forma verborum, in omnibus punctis. &c. approbamus, innouamus.* Quod item ex alio priuilegio eiusdem Regis, de libertatibus Regnicolarum, tam Spiritualium, quàm secularium, in Iedlna concesso; Cracouiæ verò postmodum, Anno 1433. Feria sexta, infra octauas Epiphaniæ promulgato, liquidò patet. At, quid hac in parte clariùs apertiùsque esse possit, eiusdem Vladislai Iagellonis Priuilegio, in Conuentione generali Petricouiẽ: pro festo S. Adalberti, Anno 1458. celebrata, concesso, ac postmodum à Casimiro Rege, filio ipsius, confirmato, nõ video? Eius enim priuilegij hæc sunt verba: *Noscat igitur*, inquit Vladislaus Iagello, *tam præsens ætas, quàm posteritas futurorum, quòd quanq; sacris Canoni-*

bus salubriter sancitum, & lege humana vtiliter sit prouisum, quòd quicunq; Princeps seu Capitaneus, Baro, aut Nobilis, Miles, aut Vassallus, &c. Decimas, (quas sibi Deus in signum vniuersalis Dominij, pro alimento seruientium, reddi censuit) rapuerit, inuaserit, &c. vbi non solùm contra raptores, occupatores, ac detentores Decimarum: sed etiam contra omnes id fieri permittentes, seu ratum habentes, pœnas grauissimas constituit. Quo facto simul etiam ostendit, iura Decimarũ optimo firmissimoq; iure niti, neque à quopiam
12 illis derogari potuisse. * Verũ enimuerò plenis (vt solent) buccis, personabunt hic Ecclesiasticorum aduersarij, Ludouicum Regem ab omnibus contributionibus, censibus Regijs, Nobilitatem Polonam antea fecisse immunẽ; non potuisse ergo Iagellonẽ successorem eius, priuata authoritate Nobilitatem nouis contributionibus onerare. Noua certè, eaq; ridicula consecutio, vt is, cui Dominus cẽsum sibi debitum remittit, propterea etiam alijs diuersa officia pręstare non teneatur. Ludouicus enim Rex, ab ijs tantùm liberam Nobilitatem fecit, à quibus ipsi potestate Regia licuit: à Decimis neque liberat, neq; liberare quidem potuit, cùm id ad ius Diuinũ pertineat, & ante eum Miecislai, Boleslai, & Casimiri Magni leges extiterint, quibus vniuersi ad Decimarum solutionem adstringerentur; prout id superius euidentissimis documentis probatum fuit. Ac proinde, cùm neq; ex verbis dicti Priuilegij, à Ludouico dati, neque ex sententia, abolitio iuris Decimarum, vllo modo elici atq; exprimi possit: non ex verbis, quia ibi nulla mẽtio spiritualium personarum, nullũ verbum tàm de Decimis, quàm de abrogãdis aliquibus legibus inuenitur; non ex sententia, siquidem vera cuiuslibet sententiæ significatio, ex rebus earumq; causis & factis ipsis tum deprehenditur, cùm verba videntur obscuriora: at illius Priuilegij verba ita sunt plana & perspicua, vt ad subtiliorem aliquam demonstrationem decurrere nõ sit necesse. Fraus n. legi fit, vbi id quod fieri noluit, aliquis in eam intrudit: necessariò itaque standum est

dum est iuribus & priuilegijs superiùs recensitis; & tenen- da est vniuersalis illa Regula, quam Imperatores circa con- clusionem suarum legum edi- cere solebant hisce verbis: *Quicquid autem hac lege speciali- ter non videtur expressum, id vete- rum legum constitutionumq; regu- lis, omnes relictum intelligant: quod enim non mutatur, cur stare prohi- betur?* Cæterum non desunt & alia argumẽtorum seu pro- bationum genera, quibus De- cimarum æquitas, & antiqu⁹ vsus asseri & stabiliri possit.
13 Ac inprimis* quòd vetustissi- ma extant Priuilegia, Ecclesi- is quibusdam specialiter con- cessa, ex quibus constat, Or- dini Ecclesiastico statim cùm ipsa Christiana religione, ius Decimas accipiendi fuisse tri- butum. Et quidem primò Ar- chiepiscopum Gnesnen: De- cimas habuisse, antequam Ca- simirus Iustus Poloniæ Dux esset, ex Priuilegio institutio- nis vetustissimæ Abbatiæ Su- leiouien: ostendi potest. Bo- leslaus enim Pudicus, Anno 1202. in diplomate suo, confir- mat & recitat diploma aui sui Casimiri Iusti Anni 1176. in quo sub finem hæc clausula inuenitur: *Sciendum deniq; quòd Dominus Petrus Gnesnen: Archie- piscopus, huius sancti operis coadiu- tor esse cupiens, Diuina instinctione & in ea ex Fulconis Cracouiensis Episcopi petitione, Decimã de Su- leiow cum pertinentiis suis, Decimã de Lánczno, de Mileiow, &c. contu- lit fratribus: Ecclesiam quoq; de Bal- drzykow cum Decimis, Decimam de Stándow, de Pásturow contulit, & sigilli nostri, & sui, & Fulconis Epi- scopi Cracouien: munimine robora- uit.* Istæ porrò villæ, aut sanè ex his pleræque Casimiri Du- cis tunc erant, vti ex eodem Priuilegio colligitur, Archie- piscopus nihilominus in eis Decimas possidebat, quas fra- tribus, petente Fulcone Cra- couiensi Episcopo, est elargi- tus. Hoc idem de Decimis Cle- ri reliqui, ex antiquissimo Pri- uilegio institutionis Abbatiæ Wangrouicensis, à Sbilutho Nobili Polono, coram Mie- scone Duce facto, colligi po- test, in quo hæc clausula sub fine adijcitur: *Et hæ sunt villæ, quarum Decimæ attinent B. Petro, Bártodzieie, Słoszyn, Bukowa, Dam- browniki, &c.* Et deinde: *Igitur si quis hæc violauerit, anathema sit.* Casimirus quoq; Magnus, in singulari ac præcipuo quodã diplo-

diplomate Ecclesiæ Gnesnen: Cracouiæ Anno 1357. con- cesso, de Decimis ita decreuit: *Adijcimus decernẽtes, quòd milites non impediant, nec prohibeant in- grandiùs villanorum suorum vendi- tionem liberam Decimarũ, ne pro- pter hoc Deus prouocetur, cùm iux- ta ius naturale liberum esse debeat, de re propria disponere prout placet.* Iure ergò naturæ & Diuino, si Casimiro credamus, Decimæ ad Clerum spectant. Idem e- tiam ipse Rex Ecclesiæ Cra- couiensi, Anno 1352. Calend: Iulij. Priuilegium (cuius au- thenticum in Archiuio eius- dem Ecclesiæ asseruatur) cõ- cessit, in quo præcipitur om- nibus & singulis Colonis & Cmethonibus, terras, agros, & prædia quælibet colentib⁹, in suis vel Baronum & mili- tum, & aliorũ quorumcunq; villis Polonicalibus, seu Theu- tonicalibus, in tota Diœcesi Cracouiensi, vt de cætero, Episcopo & Capitulo, Præ- latis & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Crac: & empto- ribus Decimarum, necnõ Ab- batibus, Prępositis, Prioribus, Plebanis, Ecclesiarum Colle- giatarum, Parochialium Re- ctoribus, ac alijs quibuslibet Clericis Secularibus seu Regu laribus, exemptis, & non exẽ- ptis, in dicta Diœcesi com- morantibus, Decimas fru- gum suarum cuiuslibet semi- nis, canapi & lini, tempore messis quolibet Anno curri- bus suis, sine dolo & fraude ad horrea Episcopi & Cleri- corum, vel alia certa loca vil- larum, in quibus huiusmodi Decimæ consistunt, conduce- re temporibus perpetuis. Cõ- stat itidem ex Priuilegio Po- snaniæ Anno 1360. dato, eun- dem Casimirum Regem con- cordiam inijsse, perpetuo du- raturam, consilio Baronum terræ Poloniæ, cum Iaroslao Gnesnen: Archiepiscopo, de Decimis, de Maldratis, de Fer- tonibus, ex terris Maioris Po- loniæ & Lanciciæ, ad Clerum spectantibus. Sed & Vladislai Iagellonis Regis diploma Cracouiensi Ecclesiæ Anno 1433. specialiter datũ, expressè probat, illum ius Decimarum non tantùm non aboleuisse, sed etiam decreuisse & statuis- se, *vt dum aliquis indigena Re- gni cuiuscunque status & conditio- nis existat, propter raptum Decima- rum, & aliarum rerum Ecclesiasti- carum occupationem, &c. senten-* *tia excom-*

tia excommunicationis iuſtè fuerit
innodatus, ipſamq́; vltra annum le-
galem pertinaciter ſuſtinuerit, nec
curauerit ad gremiũ Sanctæ matris
Eccleſiæ redire, extunc anno huiuſ-
modi elapſo: omnia eiuſdem excom-
municati bona mobilia & immobi-
lia, quæ tunc poſſederit, debent re-
cipi per locorum Capitaneos, quibus
ſubiacent; & poſſidenda tàm diu
per Capitaneos, quouſq; per eoſdem
excommunicatos, vel per Capita-
neos memoratos, de huiuſmodi bo-
nis damna, valor rei, & intereſſe læ-
ſis, vel iniuriam paſſis, plenariè exol-
uantur. Quibus ſolutis, bona præli-
bata prædictis excommunicatis, non
niſi abſolutis, erunt reſtituenda.
Quod Priuilegium poſtmo-
dùm Caſimirus Rex, filius
ipſius, Anno Domini, 1458. in
Conuentione generali Petri-
couien: Feria quinta poſt fe-
ſtum S. Georgij celebratâ, in
omnibus & ſingulis punctis
& conditionibus, de conſen-
ſu & voluntate Prælatorum,
Baronum, & Conſiliariorum
Regni, approbauit, innoua-
uit, & confirmauit; præcipié-
do omnibus & ſingulis, præ-
ſentibus & futuris Regni Ca-
pitaneis, Tenutarijs, & eorum
Viceſgerentibus, vt prefatum
Priuilegium ſeu Statutum, in
omnibus conditionibus tene-
ant, & ad vnguem perpetuò
& inuiolabiliter obſeruent.
Quodſi in præmiſſorum exe-
cutione dicti Capitanei, Te-
nutarij, ſeu eorum Viceſge-
ren: remiſſi & negligentes fu-
erint: ſubijcit eoſdem excom-
municationum ſententijs &
cenſuris Eccleſiaſticis, in ipſos
per Loci ordinarios, eorumq́;
Vicarios & Officiales gene-
rales, fulminandis & promul-
gandis, tàm diu percellendis,
quouſq́ue ad eorum executio-
nem curauerint procedere cũ
effectu. Teſtis inſuper * eſt ve-
tuſtiſſimæ Decimas penden- 14
di in Polonia conſuetudinis,
Innocentij ſecundi Pontificis,
qui poſt Chriſti fidem in Po-
lonia receptam, annum circi-
ter centeſimum & trigeſimũ
vixit, Bulla, Anno Incarnatio-
nis Dominicæ, 1136. edita. in
qua iam Diœceſes in Polonia
conſtitutas, & præſertim Gne-
ſnen: cum bonis Eccleſiæ ei-
dem attributis, nominatim
commemorat, & Decimas
manipulares cuiuſuis gene-
ris, etiam ferri, plumbi, pelli-
um, mellis. &c. quæ ad Eccle-
ſiam Gneſnen: ſpectabant, &
antea perſoluebantur recen-
ſet, ipſaſq́

ſet, ipſaſq́ue ſuo quoq; diplo-
mate roborat & confirmat.
Quam quidem Bullam appro-
bat, & ſe vidiſſe teſtatur Caſi-
mirus Magnus Rex Poloniæ
in ſuo illo Priuilegio Anni
1357. cuius ſuperiùs mentio
facta eſt. Atque ita in eorum
bonorum & Decimarum poſ-
ſeſſione & vſu ab illo tempo-
re Eccleſia Gneſneñ: fuit; &
teſtis deniq́: eſt & alia Eugenij
Tertij huius nominis, ſummi
Pontificis Bulla, Anno Do-
mini, 1148. edita, & in libro
Priuilegiorum Eccleſiæ Vla-
diſlauien: comprehenſa, qua
donationem factam Vernero
Vladiſlauienſi Epiſcopo Ca-
ſtri Gdansk in Pomerania cũ
Decima, tàm annonæ, quàm
omnium eorum, quæ de na-
uibus ſoluuntur, ratam legi-
timamq́ue decernit. Teſtes in-
numeræ aliæ ſanctiones & di-
plomata vetuſtiſſimorũ Prin-
cipum, Premiſlai Ducis Polo-
niæ Anno 1252. item Boleſlai
in Sochaczevv, Anno 1292 Se-
mouiti, Boleſlai alterius, Ca-
ſimiri, aliorumq́ue Maſouiæ
Ducum, Anno 1300. & Ludo-
uici Vngariæ & Poloniæ Re-
gis, Budæ 1355 die 24. Ianua-
rij, aliorumq́ue Poloniæ Re-
gum recentiorum, Eccleſijs
Poloniæ ſingulariter conceſ-
ſa: quæ breuitatis ſtudio vo-
lens atque lubens prætereo.
Alterum verò * pro Decimarũ
iure probando & aſſerendo, e- 15
tiam illud non poſtremæ au-
thoritatis videtur eſſe argu-
mentum, quod ex Regum at-
que Principum Poloniæ de-
ſumitur exemplo. Conſtat
omnes, qui hactenus vixerunt
Reges, Decimas ex agris ſuis
Regijs, Ordini Eccleſiaſtico
dependiſſe, atque etiamnum
hunc ipſum optimum Prin-
cipem, nunc feliciter regnan-
tem, in promouendis iuribus
Decimarum, ſtrenuum zelo-
ſumq́ue eſſe: prout in cauſa
mea cum Oppidanis Zatorień:
non ita pridem agitata, ſin-
gulare ſpecimen Maieſtatem
ipſius dediſſe, decretum in ea
cauſa latum, admodum claro
documento eſt; cuius, quo
perpetua extaret memoria,
tenorem hîc adijcere operæ-
pretium viſum eſt.
SIGISMVNDVS Tertius, Dei
gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux
Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſo-
uiæ, Samogitiæ, Liuoniæq́; necnon
Suecorum, Gottorum, Vandalo-
rumq́; hæreditarius Rex. Signifi-

camus

camus præsentibus literis nostris, quorum interest, vniuersis & singulis, citatos fuisse ad Nos, iudiciumq; Nostrum, literis citationis nostræ secundæ, famatos Proconsulem, Consules, Viceaduocatum & Scabinos, totamq; communitatem Oppidi nostri, ac incolas suburbij nostri Zathorien: laneorum atq; agrorum ciuilium possessores, de officijs ac bonis ipsorum omnibus, ad instantiam Venerabilis Andreæ Lipski, Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Custodis, necnon Cathedralis Cracouiensis Ecclesiæ Scholastici, Secretarij nostri: Ideò, quòd ipsi in derogationem iurium ac immunitatum Ecclesiæ Cathedralis Crac. necnon prouentuum ex primæua fundatione Diuorum Prædecessorum nostrorum, pro Prælatura Scholasteriæ Cracouien: spectantium, diminutionem, Decimam manipularem omnis grani & seminis, ex agris ciuilibus, pro Scholasteria Ecclesiæ Cathedralis Crac: eiusq; Prælatis antiquitus prouenientem, ac pendi debitam, necnon recensitum Actorem vigore iurium concernentem, pro annis tribus inclusiuè, ab Anno Millesimo sexcentesimo vndecimo, Millesimo sexcentesimo duodecimo; & pro anno Millesimo sexcentesimo decimotertio, proximè præterito retinuerunt, & non extradiderunt: imò eandem temerè ac violenter vsurpârunt atq; receperunt, nec eam ad requisitionem Actoris & antecessorum illius extradere voluerũt, prout citatio præfata taxam mille Marcarum Polonicalium, totidemq; damni continẽs, latiùs de præmissis testatur. In termino itaq; hodierno iudicij relationum nostrarum propriarum, ex appellatione à sententia assessorum Iudicij nostri, per Actorem ad Nos interposita, incidente, & hucusq; cõtinuato, partibus præfatis actore personaliter: citata verò per Honoratum Thomam Lypczyński plenipotentem suum, corã nobis comparentibus, eumq; terminum attentantib. Et actore ex sua citatione contra citatam proponente, & manipularem Decimam à citatis exigente. Citata pars extractu certo ex libris Beneficiorum descripto, quo prouentus tantum in specie Ecclesiæ Parochialis Zatoriensis, non autem Scholasteriæ Crac. (cuius ibidem obiter tantummodò mentio facta est) continentur, non manipularem, sed pecuniariam Decimam se præstare debere: Antecessoresq; Actoris Scholasticos Crac. in vsu & possessione manipularis Decimæ non fuisse, neq; eam à Ciuibus exegisse contendebat; ac in eam rẽ quietationes plurimorũ annorũ producebat, & ad iuramentũ, quòd manipu-

manipularem Decimam non pendebant, prouocabat. Ex aduerso Actore ex primæua Regum atq; Principum Poloniæ Decimarum fundatione probante & deducente, quòd nimirum Decimæ omnis generis frugum ab ipso Christianæ religionis in hoc Regno exordio, tam de Regalibus, quàm de Nobilium plebeiisq; agris, Ecclesiastico Ordini adscriptæ atq; applicatæ sunt, ac proinde naturam Decimarum à primæuo origine & institutione eam esse, vt in manipulis, non verò in pecunijs repræsentẽtur: Ex libro quoq; Beneficiorum, in quo specificè omnes prouentus eiusdem Scholasteriæ recensentur, patere, olim ex Oppido Zathor manipularem Decimã præstari solitam fuisse; sed postea per abusum & negligentiam Scholasticorum Crac: in pecuniariam conuersam esse; hunc tamen abusum & negligentiã Antecessorum, Ecclesiæ & sibi præiudicare non posse, & præscriptionem longissimi temporis in rebus Ecclesiæ, maximè verò in rebus Decimarum, quæ à secularibus (cùm sint iuris Diuini) possideri minimè possunt, locum non habere replicabat, & citatos pro annis præteritis, ac in futurum ad extraditionẽ Decimæ manipularis compelli expetebat. Nos cum Consiliarijs nostris lateri nostro assidentibus, auditâ, & benè considerata partium cõtrouersia, eoq; considerato, quod Actor ex libro Beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis Cracou: (cuius semper certa & indubitata apud Nos & Diuos Antecessores nostros habita fuit fides & authoritas) rescriptum coram nobis produxit, ex quo manifestè apparet, Scholasteriæ quidem Cracouien: à primæua fundatione Decimam manipularem ex Oppido Zator attributam, & in prouentus illius relatam fuisse, verùm postea negligentia & abusu possessorum iniquitateq; temporum, in pecuniariam transmutatam esse. Quoniam verò in bonis, reditibus, & iuribus Ecclesiasticis, tum vel maximè in Decimis, quas Deus sibi in signum vniuersalis Dominij, pro alimento seruientium, reddi censuit, neq; abusus antecessorum, neq; præscriptio longissimi temporis obesse potest: ideò inhærendo vestigijs Diuorum Antecessorum nostrorum Regum Poloniæ, qui ab initio introductæ Dei beneficio in Regnũ & receptæ fidei ac religionis Catholicæ, ex bonis suis Regalibus Decimas manipulares Ecclesiis à se nouiter extructis & erectis, dicârũt, adscripserũt: decreuimus, prout decernimus, Citatos Actori non pecuniariam, sed manipularem Decimã præstare teneri, volumusq;, vt Citati pro annis quidem

quidem præteritis decimotertio, ac currenti decimoquarto, valorem Decimæ manipularis Scholaſtico Crac: præſtari debitæ, coram Actis Caſtren: Capitaneal: Cracouien in octo ſeptimanis, à data præſentium computando, iuramento duorum è medio ſui (quandoquidem Actor illud illis refert) liquident, ibidemq́ ſtatim poſt præſtitum iuramentum ſoluant & numerent, ſub pœna taxæ in citatione expreſſæ, videlicet mille Marcarum Polonicalium; & inpoſterum liberam Decimam manipularem ex omnibus agris, tam oppidanorum, quàm ſuburbanorũ, omnium frugum, tam hyemalium, quàm æſtiualium, Actori permittant, neq; vllo modo impediant, quinimò in horreum ab Actore in fundo eiuſdem Oppidi aſſignatum, proprijs curribus, prout moris eſt in Regno, eaſdem Decimas conuehant, ſub eadem pœna taxæ in citatione appoſitæ. Habent itaq; & habituræ ſunt partes terminum, citata præſtandi, & decreto noſtro præſenti ſatisfaciendi: Actorea verò illud attentandi coram præfato officio Caſtrẽ: Capitaneali Cracouien: in octo vti præmiſſum eſt ſeptimanis, à data præſentium computando. In defectu verò ſatisfactionis & ſolutionis Decimæ præfatæ, coram iudicio noſtro comparendi & attentandi vlteriorem proceſſum, & ad decernẽ: quod de iure venerit, in duodecim ſeptimanis à data ibidem præſentiũ computã: quem vtrumque terminum, Nos partibus peremptoriè præfigimus, aſſignamus, & conſeruamus, præſentis Decreti noſtri vigore. In cuius rei fidem ſigillum Regni Noſtri præſentibus eſt appreſſum. Datum Varſouiæ, Feria ſexta poſt Feſtum S. Luciæ Virginis proxima, Anno Domini 1614. Regnorum Noſtrorum Polon: 27. Suetici verò 21. anno.

Quod ſanè pijſſimi Regis asque Principis noſtri decretum, etiamſi de Decimis nulla omninò extaret lex, loco legis meritò habendum eſſet. Eſt enim omnium gentium, ac inprimis Poloniæ conſuetudo, vt vbi lex ſcripta deeſt, ad exempla maiorum, ac Regum ſuorum maximè, recurratur, ab ijſdemque quid ſtatuendum aut ſequendum ſit, in dubiijs & ambiguis petatur. Neque aliquis exiſtimare debet, meliori conditione, ac maioribus prærogatiuis bona Nobilium, quàm ipſorum Regum eſſe: cùm omnes, ſi quæ præcipuè in Regno prærogatiuæ inueniuntur, vel circa Reges potiſſimùm ſunt, vel eorum

eorum beneficio, nonniſi ab ijs ſolis, cæteris conceduntur. Nemo autem alteri concedere quicquam poteſt, quod ipſe non habeat. Quocirca Regibus ipſis talem immunitatem de non pendendis Decimis, ſibi nunquam arrogantibus, ſubditi multominùs eam arrogare ſibi poſſunt; vtpotè, quòd quibuſcunq; bonis atq; libertatibus fruuntur, eas principaliter non aliundè quàm à Principibus obtinent. *Si n.* inquit S. Ambroſius, *Filius Dei cenſum ſoluit, quis tu tantus es, qui ſibi non putas eſſe ſoluendum?* Por-
16 rò tertium * de *Validitate* Decimarum, ex ipſa præſcriptione firmiſſimùm ſumi poteſt argumentum: ſiquidem Statutis Regni dictantibus, triennali alicuius rei poſſeſſione ius quodlibet vſque adeo firmatur, vt nullo modo in poſterum ab eo poſſeſſor dimoueri queat, prout id ex Statuto Caſimiri Magni Viſliciæ, Anno 1368. condito, (quod incipit: *De cætero ſtatuimus*, in verbo Præſcriptio) liquidò conſtat. Quoniam verò Eccleſiaſticus Ordo, non iam trium annorum ſpatio, ſed tot ſæculorum, ab ipſo Chriſtianæ religionis principio, in pacifica atq; continua Decimarum extitit poſſeſſione: quomodo igitur ius illud Decimarum, immemorabilis tẽporis præſcriptione ſtabilitũ, plurimiſq; poſterioribus Statutis approbatum, conuelli aut infirmari poteſt? Ad extremum, * neq; illud ſilentio 17
prætereundum eſſe cenſeo, quòd in omnibus Cathedralibus Eccleſijs, Codices vetuſtiſſimi, ijq; omni exceptione maiores reperiantur, (qui vulgò libri Beneficiorum appellari ſolent) in quibus omnium & ſingularum Præbendarum, Canonicatuum, Parochialium, & aliorum beneficiorum, dotes atq; reditus, tam ex Decimis, quàm ex cenſibus, aut prædijs ſeu villis prouenientes, egregio ordine, optimaq; & indubitata fide, connotati reperiuntur. Extat in Baſilica quoque Cracouienſi huiuſmodi liber, à doctiſſimo illo viro, optimoque ſene Ioanne Dlugoſſo maiore, Canonico Cracouien: Anno Domini, 1448 ſanctè & religioſè compoſitus, atque in charta pergamenea accuratiſſimè conſcriptus; vt ex ipſius ſtyli

us ſtyli atque characteris vetuſtate, opus illud non nouũ, aut artificio aliquo comparatum, ſed ante tot ſæcula literis traditum, quiuis facilè iudicare poſſit. Cauſam verò huius operis, hanc fuiſſe animaduerti: quòd ſub Caſimiro eius nominis tertio Rege, Polonia bellis Turcicis atque Tartaricis, poſt cladem duntaxat illam Varnen: preſſa, opem Nicolai V. ſummi Pontificis implorauerit, atq; ab eodem Decimam Decimæ ab Eccleſiaſtico Ordine pendi ſolitæ, in ſubſidium contra Paganos poſtulauerit. Vt autem earum decimarum modus & ratio, melius exactiuſque conſtare poſſet, à Sbigneo Cardinali, Epiſcopo Cracouieñ: prædicto Dlugoſſo id oneris impoſitum fuit, quo is per modum viſitationis generalis, de vſu & poſſeſſione earum Decimarum, quæ & quales ſingulis beneficijs tunc temporis applicatæ eſſent, ſedulò inquireret, eaque omnia diligentiſſimè literis connotata, in Archiuium Eccleſiæ eiuſdem referret. Nec eſt quòd quiſpiam cauillationibus aſſuetus, huic vetuſtiſſimo operi, ac ſi nullis authenticis documentis ſtabilitum ſit, fidem & authoritatem demere præſumat. Nam ſi libris Mercatorum, (quæ illi Regeſta vocant) maiores noſtri tantam fidem adhiberi voluerunt, vt debitum in illis connotatum, ſiue Nobilis, ſiue alius quiſpiam, nulla ratione negare poſſit, (prout id ex conſtitutione Sigiſmundi Regis, Anno 1540. lata, quæ ſub titulo Mercatores, in volumine ſtatutorum continetur, liquidò conſtat) cur auguſtiſſimo huic operi, non à priuato quopiam leuioris ſortis homine, ſed à viro nobiliſſimo, omnique fide digniſſimo, compoſito, tanto maior fides atque authoritas præſtari non debeat? An maior eſt fides alicuius circumforanei, quàm ſacerdotis: an aliquot recentium chartarum hinc inde varijs mendis atq; expunctionibus adſperſarum, quàm libri vetuſtate conſpicui, atque perpetua veneratione digni, maior authoritas eſſe debet? Pudeat nobilem virum talia cogitâſſe, nedum proloqui; maximè verò, quòd Dlugoſſius rem non nouã, neque arbitrio ſuo,

ſed

ſed iuſſu & mandato ſui ſuperioris, diligenti inquiſitione præmiſſa, quæ cuiq; Eccleſiæ ſeu Præbendæ, tunc temporis applicatæ fuerant Decimæ, recenſuerit. Neq; minor
18* proculdubiò librorum quoque Retaxationum fides & autoritas eſſe debet; nam & hi non in fauorem Cleri, ſed pro vſu & commodo Reipub: cõſcripti eſſe cenſentur. Cùm enim pro defenſione Reipub: (vt verbis ſtatuti loquar) & tuendis finibus Chriſtianorũ ab incurſione infidelium, & liberatione captiuorum de poteſtate ferociſſimæ gentis Tartaricæ, contributio illa in ſingula capita, (quæ in iure Capitatio appellari ſolet) in Conuentione Regni Bydgoſtiæ, Anno 1520. ſciſceretur; Ordo quoque Eccleſiaſticus, eam pientiſſimi Regis Sigiſmundi primi, defendendæ patriæ curam & ſollicitudinem egregiam, pro modulo ſuo promouere cupiens, facilè huic contributioni aſſenſum ſuum præbuit. Ac proinde vt eò diligentior huiuſmodi contributionis exactio fieret, placuit eidem, præuijs iuramentis beneficiatorum, nouam omnium beneficiorũ Eccleſiaſticorum taxam ſeu deſcriptionẽ inſtituere, quò nimirum qui ſingulis beneficijs acceſſerunt, tum qui ſucceſſu temporis ab illis abſtracti ſunt prouentus, liquidò conſtaret. Nemo autem præſumitur voluiſſe tunc temporis augere beneficiorum ſuorum reditus, ſiquidem tantò maior contributio illi ſoluenda erat, quantò ampliora & pinguiora beneficia poſſideret; quemadmodum neque ſeculares fundorum ſuorum auctionem fieri libenter patiuntur, quinimò, quando publicè aliquid contribuendum illis eſt, mox ad Regeſtra, ſeu quietationes Anni 1578. tanquam ad ſacram anchoram confugere ſolent. Vnde neq; illud quenquam mouere poteſt, quod aliquando libri Beneficiorum cum libris Retaxationum non conueniant; nam non nouum, neque inuſitatum eſt in rebus humanis, quòd dominia rerum tractu temporis mutentur, aut in alios transferantur varijs atque diuerſis modis, ita vt quod optimo iure huic vel illi hodie competebat, cras in bo-

 nis vel

nis vel dominio ſit alterius. Cuius rei exempla, non ſolùm in Actis terreſtribus, ſed etiam in Tribunalis Regni, paſſim obuia ſunt; non tamen ob iſtiuſmodi mutationem & varietatem, Actis publicis vitium falſitatis obijci aut imputari poteſt. Cæterùm
19 iura* Decimarum, non (vt falſò quidam autumant) à Nobilitate, aut priuatis quibuſdam perſonis Clero, præſertim inferioris Ordinis Sacerdotibus, primò & principaliter attributa & fundata eſſe: ſed ex primæua illa Regum atque Principum Poloniæ (de quibus ſupra fuſiùs dictum eſt) fundatione, Epiſcopis huius Regni facta, dependere, atque ab ipſis poſtmodum cæteris Eccleſijs, pro arbitrio ſuo, vel ad poſtulationem fundatorum Eccleſiarum, donata atq; applicata fuiſſe, claro admodum teſtimonio Cromeri probari videtur; qui de Miecislao verba faciens, ita de his quoque memoriæ prodidit: *Decimas,* inquit, *omnis generis frugum, de ſuis iuxta ac Nobilitatis plebisq; agris, edicto perpetuo Epiſcopis adſcribit. Inde autem inferioris ordinis Sacerdotibus, & miniſtris Eccleſiaſticis, Prælatis videlicet (vt vocantur) Canonicis & Parochis, in ſua cuiuſq; Diœceſi, certæ portiones, Epiſcoporũ arbitrio, iure ſempiterno deciſæ & attributæ ſunt, vt eſſent ij ſocij, conſiliarij, & adminiſtri ipſorum, in propaganda ac tuenda religione, cultuq; Diuino.* Hæc Cromerus. Quamuis inficiari non poſſimus, ab Epiſcopis etiam ipſis, & alijs Clericis atque Nobilibus, Eccleſijs & Monaſterijs diuerſis, non Decimas tantùm, ſed bona quoq; patrimonialia interdum attributa donataque fuiſſe: cuius rei ſi quiſpiam fortè de ea dubitaret, multa præclara poſſent adferri teſtimonia; nunc verò vnicum ſaltem diploma, illudq; admodum ſingulare, eò quòd priſcam illam redoleat religionem & pietatem, hîc inſerere ſufficiat.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Quia nos, qui diſpenſatores Eccleſiæ ſumus, ampliùs cæteris donis debemus, & quod plura de donis eius ipſo largiente accepimus, eò ſanè vigilantius nobis curandum eſt, vt quæ noſtræ tutelæ credita ſunt, ſic ſtudeamus procurare, vt quãdo meſſis Diuina aduenerit, fructum noſtri laboris mereamur percipere.

cipere. Honeſtum ac beatum eſſe conſtat votum, imò ſanctum & laudabile patet eſſe commercium, dare ſua tranſitoria, & recipere pro his æterna; terrena ſibi diſplicere, & cæleſtia poſſidere. Huius itaq; tam ſanctæ negotiationis amore, ego Ioannes Poloniarum Archiepiſcopus, ſuperna inſpirante gratia, meduliter agnoſcens decorem domus Domini, & locum habitationis gloriæ ſuæ diligens, ſimulq; in libro vitæ cum iuſtis conſcribi cupiens, patrimonij mei liberam portionem, villas ſcilicet has, Rắchočino, Potok, Liſſakowo, Luncyno, Rákowo, Tárſowa, Chorewa cum Decimis ſuis: præterea Epiſcopus bonæ memoriæ Mauritius, qui eandẽ Eccleſiam conſecrauit, & Rádoſth ſuccceſſor ſuus, Decimas ſuper villas has addiderunt ſub anathemate, Oſſarowice, Prenczláwe, Konary, Michowo, Bechlowo, Borowa, Prokopa, Lunowo, omnium bonorũ largitori Domino ad gloriam & laudem, eiuſq; genitrici, necnon Decimam villæ, quæ vocatur Hoſſyce, Beato Adalberto ad honorem, cum intimæ deuotionis humilitate concredidi, & exinde in vna conſcriptarum villarum Briſinik, videlicet domicilium Domino fieri, dotari, inueſtiri, cum deuoti deſiderij puritate inſtitui. Pro cuius domicilij ſpiritualiter diſponenda gubernatione, pro continuanda ibi Diuinæ ſeruitutis adminiſtratione, pro ſtatuenda etiam ibidem Regularis ac ſpiritualis diſciplinæ religione, viros quoſdam ſpirituales, militantes Domino ſub Regula Beati Benedicti, in Ordine ſancto Ciſtercienſium, à quo ſequeſtrata eſt omnis iniquitas, vel prorſus relegata impietas, prout potui reuerẽter aduocaui, ſuſcepi, dilexi, locaui. Quibus in eodem Bryſſynek loco ſpiritualiter degentibus, villas particulatas cum reditibus earum vniuerſis, in vſum liberrimum extunc, & in perpetuum, quaſi pauperibus Chriſti, pauper ipſe, ſine vlla contradictione delegaui. Quas ergo oblationes noſtræ deuotionis, pias & vt ſperamus Domino acceptas, ac in mẽbrana literis ſignari voluimus, ad notitiam ſucceſſorum noſtrorũ, vt inuiolabile obtineant per ſuccedentia tempora, cæram ipſi imprimi præcipimus inſignitam ſigillo noſtræ dignitatis, & auctoritate Domini noſtri IESV CHRISTI, *necnon & præcipuorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, ac Domini noſtri Romanæ Sedis Epiſcopi, & omnium Orthodoxorum Patrum, & noſtri banni ſententia eis conſumationem illibatã indicimus, ne quiſquam vel magnificentiæ homo, vel potentiæ, præſumat ſupradicta donaria ali-*

ri aliqua ratione alienare ab Eccleſia, cui donata à nobis tanta auctoritate conſtant. Si quis autem in tantã mentis ſuæ cæcitatẽ ceciderit, vt poſt hanc noſtram confirmationẽ adeo terribilem, prædictam oblationem quocunque modo inquietare præſumpſerit, ſciat ſe cum Iuda proditore Domini noſtri Ieſu Christi ſententiam æternæ damnationis ſubiturum, niſi fortè pœnitentia ductus, cuncta ablata legaliter Eccleſiæ reſtituat, quam læſit, cum omni compenſatione Canonica. Obſeruatoribus verò, ac amatoribus huius noſtri instituti, ſit Domini pax & gaudium cum omnibus Sanctis, nunc & per infinita ſæcula. Facta autem eſt hæc oblatio, ſiue donatio noſtræ humilitatis, Anno Domini, Milleſimo, Centeſimo, Quinquageſimo quarto, primæ Sedis Pontificalis regimen tenente, Domino digno ac verè Beato Eugenio; necnon Boleſlao, Meſcone, Henrico germanis fratribus, Principatum in Polonia tenentibus, multis aſtantibus Nobilibus, quorum hæc ſunt nomina: Ego Ioannes Archiepiſcopus, & Clemens frater meus. Domini Iáczo, Michorá, Miechiſlaus, Martinus, Zbiluth, Nicolaus Tribunus Comes Bogemelucium.

20 Sed & illud * huic rei non exiguo argumento eſſe poteſt, quòd etiamnum de noualibus per progreſſum faciendis, Decima ſoli Epiſcopo, nõ autem illi, qui ex antiquis agris Decimam percipit, debeatur: iuxta præſcriptum Statutorum Regni, de quo videtur: de Decimis. Cui adſtipulantur hac in parte etiam Statuta Prouincialia, vſuſque & praxis huius Regni. Vnde neceſſariò dicendum videtur, eas Decimas, quas nunc quilibet beneficiatus poſſidet, vel quas ſibi deberi authoritate libri Beneficiorum comprobat, antiquitus à ſuperioribus Epiſcopis illi applicatas atque donatas fuiſſe, vt iam neceſſe non ſit, de titulo ſeu donatione huius vel illius Decimæ curioſiùs inquirere; ſatis eſt iam abundè probatum, fuiſſe omnes Regnicolas ad præſtationem Decimarum Epiſcopis obligatos, nec quenquam ab ijs immunem fieri poſſe. Si itaque quiſpiam huic vel illi Sacerdoti detrectet concedere ius Decimandi, vtique neceſſariò ad Epiſcopũ illa pertinebit; qui cùm iuri ſuo derogari patiatur, non eſt cur Nobilem, ſeu quempiam aliũ iuri Decimandi obnoxium, id afficere debeat. Ac proinde

21 * neque illud multùm attendi debet, quod plerique neſcio quam præſcriptionem Eccleſiaſtico Ordini obijcere ſolent, ac ſi ob longam intermiſſionem iuris Decimandi, iure ſuo priuari debeat, ipſi verò ius illud ſibi acquirant? Equidem nihil eò abſurdius, nihilque inconuenientius dici poſſe puto: ſi quidem laicus, ſpiritualia (quale eſt ius Decimarum) poſſidere non poteſt; ſine poſſeſſione verò nemo præſcribit. Quinimò, neq; libertatem à ſolutione Decimarum, præſcriptione aut conſuetudine, aut alio quopiam modo, laicus conſequi poteſt, idque ob eam rationem, quia ius Diuinum aut naturale per conſuetudinem & per conſequens per præſcriptionem tolli non poteſt, etiamſi mille anni tranſierint, ſecundùm Ioannem Andr. in cap. 2. de Præbend. lib. 6. per text. in cap. *Cauſam*, extra, de præſcriptionibus. Quod eò minùs locum habere debet, ſi per vim & iniuriam (ſicut plerumque apud nos fieri ſolet) huiuſmodi iura Decimarum ab Eccleſijs abſtrahantur. Atque hæc de iure Decimarum Eccleſiaſtico Ordini, diuino & naturali iure debitarum, ſtatutis atque priuilegijs Regum & Principum Poloniæ adſcriptarum, vſu denique & præſcriptione tot ſeculorum roboratarum, dicta ſufficiant.

Quodſi * quiſpiam fortè 22
prolixitatis in hoc tractatu pertæſus, metas inſtituti mei me exceſſiſſe redarguat, is non fruſtra me huic labori, mihi alioquin etiam multum operoſo, tantum inſudaſſe ſciat velim. Cùm n. tot aduerſarios Ordinis Eccleſiaſtici, tot impugnatores iuris Decimarum, tot denique Cleri accuſatores, qui graues minimèq; tolerandas exactiones, atque inſolita quædam ſibi à Clero imponi onera temerè queritantur, in hoc Regno reperiri animaduerterem; cum verò, qui ſcripto aliquo in lucem edito, æquiſſimam hanc Ordinis Eccleſiaſtici cauſam defenderet, neminem (præter Anonymum quendam) eſſe ſcirem: optimo pietatis atq; iuſtitiæ zelo ductus, hunc laborem neceſſariò ſubeundum mihi, eaque omnia paulò altiùs repetenda eſſe duxi, vt nimi-

vt nimirum hac ratione, vel ij ſaltem, qui non odio in Clerum, ſed fortaſſis quadam ignorantiæ culpa laborant, re meliùs intellecta, cauſæ huius æquitatem compertam exploratamq́ue habeant, atque inpoſterum huiuſmodi querelis, accuſationibuſq́ue Cleri abſtineant. Nam alioquin, qui Diuinæ legis ſanctitatem, aut neſciendo omittunt, aut negligendo violant & offendunt, ſacrilegium committunt. leg: 1. Cod: de crimine ſacrilegij.

QVÆSTIO II.

Suſpenſio Decimarum ad cõpoſitionem inter ſtatus, an iuribus Eccleſiaſtici Ordinis derogare poſsit, necne?

SVMMARIA.

1. *Conſtitutiones Anni 1578. & Anni 1581. an derogent iuribus Eccleſiæ antiquis.*
2. *Compoſitionis definitio iniqua, & à vero ſenſu aliena.*
3. *Legum antiquarum abrogandarum modus.*
4. *Obiectio, quòd ſtante compoſitionis termino, Decimas repetendi non videatur facultas eſſe conceſſa.*
5. *Terminorum prorogandorum in praxi duplex modus.*
6. *Suſpenſio Decimarum, poſt peracta prima Comitia Regni, meritò expirare debuerat.*
7. *Abſurdum quale foret, ſi compoſitio de Decimis, arbitrio Decimas debentium cõmitteretur.*
8. *Conſtitutionis Anni 1581. verba quid in ſe contineant.*
9. *Receſſu Anni 1588. compoſitioni faciendæ proximè ſequentia Comitia aſſignantur.*
10. *Compoſitioni, tacitâ ſtatus ſecularis diſſimulatione, videtur eſſe renunciatum.*
11. *Conſtitutiones recentiores de compoſitione facienda, cur ſuum non fuerint ſortitæ effectum?*
12. *Proteſtatio Eccleſiaſticorum, quòd non per illos ſteterit, quominùs compoſitionis negotium ad effectum deduceretur.*

ETiam illud * vulgò iactare quidam ſolent: Conſtitutionem nouam compoſitionis inter ſtatus faciendæ, à Stephano Rege in Conuentione generali Varſouienſi, Anno Domini 1578. promulgatam, atque poſtmodum ab eodem

eodem Rege, Anno 1581. repetitam, antiquis Eccleſiæ iuribus derogâſſe, atque ita illis legum vinculis ſe iam ſolutos eſſe; ſiquidem poſteriora in iure ligant. Eam verò compoſitionis poſteriorem legem, nec obligatoriam eſſe, nec iudicialem, imò vim omnem ſuperiorum in ea materia legum, legali obligatione ac neceſſitate exutam, in ſolum conſenſum & liberum arbitrium partium eſſe tranſlatam, vel ipſius compoſitionis natura declarat, quâ Decimarum actiones, ab omni foro & iudicijs ſunt excluſæ. Vnde concludunt, omni iure atque aditu ad repetendas Decimas ordinem Eccleſiaſticum iſtis legibus recentioribus, non ſolùm penitus eſſe priuatum, ſed neceſſariò expectandum illi eſſe huius compoſitionis exitum. At nè quiſpiam fortè, tam ſpecioſa eorum, qui multum ſibi arrogant, libertatis argumentatione in errorem manifeſtiſſimum inducatur; tam conſtitutionem ſuperiùs cõmemoratam, quàm ipſius verbi cõpoſitionis vim & interpretationem, penitùs cognoſcere operæpretiũ eſt.

Puto * quemlibet medio- 2
cris etiam iudicij hominem facilè perſpicere poſſe, quàm ſit iniqua, & à vero ſenſu aliena, eiuſmodi compoſitionis definitio, ex ſolis verborum aucupijs concinnata. Illis enim conſtitutionibus quid aliud præſcriptum eſt, niſi vt exequutio Decretorum de Decimis, ex bonis hæreditarijs Nobilium,) iure cuiuſlibet in eo ſtatu, prout nunc eſt, permanente) transferatur ad compoſitionem in proximo Cõuentu perficiendam. Quoniam igitur Conſtitutiones prædictæ, differunt tantummodò & ſuſpendunt Decimarum cauſas & actiones in aliud commodius tempus, idque inſuper tali cautione adhibita, nè videlicet tali prorogatione termini, ius alicuius partis de ſuo moueatur ſtatu: idcircò non video, quâ fronte eas iuribus Eccleſiaſticis derogare, vel de authoritate veterum legum detrahere, aut denique aliquid noui ſtatuere voluiſſe, quiſpiam affirmare audeat.

Leges* ſiquidem non alio, 3
quàm quo conſtituuntur modo, id eſt per verba aperta, plana,

plana, expressa, rem & sententiam explicantia, & non per subtiliores aliquas interpretationes abrogari solent. Vnde consequens est, posteriores leges eatenus derogare prioribus, quatenus priores, contraria lege posteriori, specialiter & nominatim abrogatæ fuerint. Quæ quidem sententia, eleganter explicatur priuilegio confirmationis Stephani Regis, in Conuentione generali Coronationis ipsius, Anno 1576. factæ, cuius is est tenor: *Quoniam*, inquit, *Antecessores nostri suarum Constitutionum à fundamento confirmationis iurium initium sumebant, ne per nouas sanctiones vetera loco suo moueri videantur: ideo nos nolentes ea in dubium vocari, vestigijs Antecessorum nostrorum insistentes, omnia iura, priuilegia, confirmamus, approbamus, &c.*

4 At sagacior * fortè quispiã etiam illud hîc obijcet: quòd etsi expressè his legibus sublatum non sit ius repetendarum Decimarum, cùm tamen stante eo compositionis termino, rem prosequi licere nõ sit permissum, pro vetito id esse habendum. Facilis admodum, eaq; per se plana ad hæc solutio dari potest. Si n. alicui vetera eaq; integra constant iura, quid in promouendis illis noua concessione opus est? Non nouum sanè eiusmodi prorogandorũ terminorum, seu suspensionum modum, quinimò inter priuatos quoque vsitatissimum esse, praxis continua docet.

5 Quod * ex Statuto Sigismũdi Regis anni 1523. sub litera *Termini*, euidentissimè liquet; vbi duo genera harum suspensionum præscripta habemus: Vnum, cùm Iudex competens motu proprio ex certis respectibus causam inter partes litigantes ad aliud iudiciorum tempus differt: Alterum, cùm de consensu & voluntate partium, itidem transfertur terminus in aliud tempus. Quo vtroque casu, id potissimum edici solet, nè ius partium lædatur, sed saluum integrumque permaneat. Ac proinde, sicut in priuatis terminorum prorogationibus, elapso tempore dilationis, ad prosequendam continuandamque causam, sine præiudicio iuris sui partes admittuntur: ita quoque in hac publica (vti asseritur) De-

tur) Decimarum suspensione, non est cur Ecclesiasticus Ordo, de noua aliqua ius suum prosequẽdi facultate, nimiùm anxius sollicitusuè esse debeat.

6 Verumenimuerò * postquã prima Regni Comitia compositioni huic assignata, post illam Regis Stephani Constitutionem præterierant, suspẽsionem istam iam penitùs expirâsse quis dubitare potest? Id enim cùm ex ratione apertissima, tùm ex verbis ipsius constitutionis plenissimè ostenditur. Ratio est, quia alioquin absurdissimum id foret, si non proxima Comitia, sed incertum compositionis tempus ea suspensione relinqueretur, ita nimirum, vt nisi finita quandocunque compositione, Clero ad iustitiam aditus patere debeat.

7 Hoc enim * ex eo sequeretur, quòd cùm ea compositio, illorum qui iuri Decimarum sunt obnoxij, consensum & voluntatem necessariò requirat, possent ipsi in perpetuum dissentire, nè compositio illa effectum sortiretur, atque ita ius Decimarum, vel per indirectum eluderetur, vel penitus aboleretur. Quo quid alienius, quidue absurdius dici potest? Quis enim rerum suarum tàm prodigus esse censebitur, qui rei debitæ solutionem, arbitrio sui debitoris committere velit? alioquin idem fortè eueniret illi, quod cuidam, eligendi stipitis in quo strangularetur, facultatem ipsi facinoroso tribuenti, accidisse memoratur.

8 Quantum * verò attinet dictæ Constitutionis Anni 1581. ipsa verba; neminem esse arbitror, qui in alium sensum ea retorquere possit, quàm quòd ad proxima Comitia referantur; cùm expressè ibi dicatur: *Exequutionem Decretorum de Decimis ex bonis Nobilium, ad alterum Conuentum suspendimus, vbi etiam compositio fieri debet, sine præiudicio vtriusq; partis.* Quod si illa verba ad alterum Cõuentum, non de proximo, sed de tertio, quarto, quinto, aut deinceps in infinitum accipienda forent: vereor nè contra vulgatissima & certissima iura id fieret, quæ omnes & singulos actus primæ vice terminari, & infinitatem in iure apprimè vitandam esse, præscribunt. Sed & illud huic interpretationi, quod ibidem

ibidem adijcitur: *in quo Conuentu fieri debet etiam compoſitio*, optimè conuenit. Nam ſi ad compoſitionem quandocunque futuram, & non ad certum Conuentum fieret iſta ſuſpenſio, nihil certè adijceret hæc ipſa clauſula. Sic & dictio *etiam*, quàm vulgò conſtat alterius rei eſſe implicatiuam, minimè quadraret. Ac multò etiam minùs quadrarent vltima illius conſtitutionis verba, *ſine præiudicio vtriuſq; partis*. Nemo enim exiſtimabit vnquã, abſque Cleri præiudicio fieri poſſe, vt ſuſpenſio ſolutionis Decimarum, pro debitorum arbitrio, in infinitum protrahatur.

9 Sed eſto ſanè * quod illa verba *ad alterum Conuentum*, in contextu dictæ Conſtitutionis, non de proximo, ſed remotiore aliquo Conuentu intelligi oporteat; quid iam Cõſtitutioni ſeu receſſui (vt vulgò vocant) Anni 1588. in Coronatione Sereniſſ: moderni Regis promulgato, obijci queat, non video. vbi expreſſè & nominatim id cauetur, quòd compoſitio toties nominata, in proximè ſequentibus Comitijs determinari debuerit.

Licet verò Comitia ſequenti ſtatim anno, puta 1589. Varſouiæ celebrata fuerint, nullum tamen ea compoſitio nedum exitum habuit, ſed neque vlla ab iſtis ſuſpenſionis ſæpiùs commemoratæ aſſertoribus, eius rei facta fuit mentio.

Vnde neceſſariò * dicendū 10
videtur, illos hac ſua tacita diſſimulatione, huius iuris beneficio, pro ſe (vt illi exiſtimant) introducto renunciâſſe, atque eo facto, finitam ſublatamque iam penitùs eſſe dictam ſuſpenſionem, agnouiſſe. Atqui certè ſatis hoc eſſe deberet, vt ne ampliùs in poſterum Ordini Eccleſiaſtico obiectaretur hæc ſuſpenſio, vtque iam tandem iuriſdictio Eccleſiaſtica reaſſumeretur, & Capitanei officij ſui memores, ſententias illorum præſertim pro Decimis latas exequerentur. Sed neſcio qua ratione, hoc Lernæi iſtius monſtri caput, iuris atque iuſtitiæ telo, toties præciſum atque iugulatum, tam facilè reuiuiſcat.

Nam * & recentioribus ali- 11
quot Comitijs, maximè verò Anni 1607. item Anni 1609. eandem cantilenam de compoſitione repetitam fuiſſe, li-

quidò conſtat; vbi non iam proxima Comitia, (quemadmodum in anterioribus legibus fieri ſolebat) ſed certum atque determinatum tempus, puta dies Diuo Martino Epiſcopo & Confeſſori ſacratus, eiuſdem anni, perficiendæ huius compoſitionis cauſa, authoritate publica præſcriptus fuit. Etſi verò Clerus huius Regni, pro tempore dieque aſſignato, Varſouiam (vbi negotium hoc tractari debuerat) frequens admodum confluxiſſet: attamen ſecularis ſtatus vel culpâ vel negligentiâ id euenit, quò re infecta (præmiſſa tamen prius ab Eccleſiaſticis ſolenni proteſtatione) inde diſceſſum ſit.

12 Eius verò * proteſtationis, (nè cui res hæc ignota eſſe videatur) exemplum, conſultò hîc adijcere volui, cuius is eſt tenor: *Coram Officio & Actis præſentibus Caſtren: Capitaneal: Varſouien: conſtituti perſonaliter Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini, Petrus Tylicki, Epiſcopus Cracouien. Albertus Baranowſki, Epiſcopus Vladiſlauien: & Pomeraniæ. Laurentius Gembicki, Epiſcopus Culmenſis: necnon Reuerendi Nicolaus Pácz, Epiſcopus Metonien: Suffraganeus Vilnen. Michael Máliſſowſki, Abbas Sanctæ Crucis. Staniſlaus Romiſſowſki, Abbas Paradiſien. Franciſcus Lipſki: Adamus, Nowodworſki, Canonici Gneſnen. Albertus Baranowſki, de Baranow, Præpoſitus Kośćielnen. Albertus Drwalewſki, Cuſtos Curzelouienſis. Valentinus Wargocki, Decanus Leopolien. Hieronymus Ręczáyſki, Archidiaconus Cracouienſis: Nicolaus Dobroćieſki: Andreas Lipſki, Canonici Cracouien. Paulus Sczerbic, Præpoſitus Sandomirien. Ioannes Albertus Grochowicki, Præpoſitus Vladiſlauien. Baltazar Miaſkowſki, Archidiaconus Pomeraniæ. Nicolaus Iaśinſki, Cantor Vilnen. Ioannes Gorſki, Archidiaconus Pultouien. Melchior Eliaſſowic, Parochus Croſnen: Mednicen: Diœceſis; ſuo, & aliorum omnium, ex omnibus Diœceſibus, ad negotium infraſcriptum deputatorum nomine, ſolenniter proteſtati ſunt. Quia ipſi, nè Conſtitutioni Conuentus generalis Varſouien. proximè præteriti, (citra tamen approbationem quarundam, Conſtitutionum, in ijſdem Comitiis in præiudicium Ordinis Eccleſiaſtici, inuitis, imò inſciis & non conſentiẽtibus Senatoribus eiuſdem Ordinis vniuerſis, latarum) defuiſſe viderentur, quâ vtriq; ſtatui, tàm videlicet ſpirituali, quàm ſe-*

culari sancitum est, vt spirituales quidem ex Diœcesibus suis, seculares verò ex Palatinatibus deputatos suos, in pari numero, Varsouiam pro festo Sancti Martini proximè præterito mittant, ad tractandum negotium compositionis inter status spiritualem & secularem, iam inde à multis annis motum, & aliquoties diuersis temporibus tractatum; nouissimè autem, modo quo supra dictum est, pro die & tempore superiùs expressis institutum. Habitis primùm per omnes Diœceses Synodis, indicta etiam Synodo generali Prouinciali Petricouien: non parcendo molestiis & sumptibus, his vndiq; periculosis temporibus, huc Varsouiam in pleno ex parte sua numero conuenerunt, paratiq; fuerunt ad omnia, quæcunq; ad complanandas differentias vtrinq; inter status spiritualem & secularem exortas, retinendamq; charitatem fraternam, & Reipublicæ tranquillitatem spectare viderentur. Sed cùm iam rem ipsam aggredi instituerēt, animaduerterentq; magnam partem deputatorum secularium, tàm ex Senatorio, quàm Equestri ordine ex præcipuis Palatinatibus, quos potissimùm hoc negotium compositionis concernere videbatur, desiderari: ita, vt qui præsentes aderant, obstante maioris partis absentia, nihil se posse in eo negotio tractare, iudicarent: Ordoq; spiritualis videret, ad eam compositionem, totam ferè partem, cum qua negotium compositionis tractandum erat, abesse: magno cum animi dolore à re toties tentata supersedere coacti sunt. Quapropter quemadmodum in cõsessu communi coram iis, qui præsentes aderant protestati sunt: ita iterum atque iterum, coram Officio præsenti solenniter protestantur, tàm suo, quàm totius Ordinis Ecclesiastici Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ nomine, quòd non per illos stetit, quominus præmissa effectum suum sortita fuerint: sed per eos, qui ex Ordine seculari ad tractandum negotium præfatum non conuenerunt: præcauendo hac in re indemnitati iuris sui, quòd hìc & vbiq;, quolibet loco & tempore, coram quibuscunq; instantiis & iudiciis, saluum & integrum esse volunt. Quæ quidem protestatio ad Acta præsentia suscepta est. Actum &c.

Hinc itaque facilè iudicari potest, cuius culpâ id acciderit, quominùs dictæ compositioni finis impositus fuerit. Ecclesiasticis certè, vel ob eã causam adscribi ea culpa non potest: siquidem & si huic compositioni, (quæ de rebus tantùm controuersis ac dubiis, non autem de certis, & iusto atque proprio iure ad aliquem pertinentibus, regulariter fieri solet) legibusque de ea sancitis nunquam consenserint, quinimò expressè & solenni ritu contradixerint: attamen fraternæ charitatis cum Statu & Ordine seculari conseruandæ causâ, etiam hac in parte illi hanc gratiam præstare cupiebant, si non tot variis artibus, simulatæ huius compositionis negotium, toties elusum fuisset. Quare, vt hanc totam disputationem de compositione, eiusque prole genuina suspensione, concludam; nihil magis sacris præceptis atque institutis, Regniq; legibus consentaneum, nihil rectæ rationi conducibilius, nihil denique Christiano homine dignius esse existimo, quàm vt Decimæ, quibus iure debentur, sine fastidio, atq; scrupulosis istiusmodi quæstionibus omissis, dependantur. In quo, si non duros nec difficiles nos præberemus, & affluentiâ omnium rerum ipsi abundaremus, & Clerus à talibus vexationibus immunis, Dei ministerio vocationiq; suæ, impensiùs vacaret. *Maiores enim nostri*, inquit sanctus Augustinus, *ideò copiis omnibus abundabant, quia Deo Decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modo autem, quia discessit deuotio Dei, accedit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo Decimas, modò autem totum tollitur.*

QVÆSTIO III.

De Iurisdictione Ecclesiastica: & an causæ de Decimis coram seculari Iudice tractari debeant?

SVMMARIA.

1. *Clericus potest conuenire laicum coram Iudice Ecclesiastico.*
2. *Decimarum causæ, ad forum spirituale pertinent.*
3. *De Decimis quatenùs agitur iure petitorio, censentur pro re spirituali: secus, quando agitur possessorio.*
4. *In Regno causas de Decimis soli Iudices seculares cognoscunt.*
5. *Iurisdictio Ecclesiastica quomodo olim Ordini sacro constabat.*
6. *Statutum Sigismundi Regis anni 1543. abrogatum sit, necne?*
7. *Adnotatio compilatoris Statutorum Regni,*

rum Regni, de abrogatione Statuti Anni 1543. quomodo intelligenda sit?

8. *Constitutiones quædam Statuto Herborti adiectæ, non vsq; adeò receptæ sunt.*
9. *Inhibitio Sigismundi Augusti Regis, Anni 1565. exequutionem decretorum, de Decimis prolatorum, impediuisse videtur.*
10. *Modus atq; forma condendarum legum in Polonia.*
11. *Inhibitioni Sigismundi Augusti Regis, Ordinem Ecclesiasticum contradixisse, probatur.*
12. *Authoris conclusio, quòd ob iurisdictionem Ecclesiasticam impeditam, grauissimis sceleribus fenestra aperiatur.*

1 Regulariter * Clericus potest conuenire laicum coram Iudice Ecclesiastico, quãdo agitur de re Ecclesiæ vel Clerici; per textum in cap: *Si Clericus.* 5. tit: de foro competenti. Ratio est, quia ex mala detentione, quæ in dubio præsumitur, ex quo res est Ecclesiæ, pro sacrilegio censeri debet; prout in cap: *Cùm sit.* 8. in verbis: *In fauorem Ecclesiæ est introductum, vt malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum rectores, possint sub quo voluerint Iudice conuenire:* tit: de for. comp: disponitur. Sacrilegium verò crimen esse Ecclesiasticum. cap: in Canonibus: 57. caus. 16. qu: 1. probatur.

2 Ac proinde, * quia Decimæ sunt res spirituales, & reditus Ecclesiæ, per textum in cap: *Tua.* in verbis: *Porrò, cùm laicis nulla sit de spiritualibus condendi vel disponendi facultas: imperialis concessio, quantumcunq; fiat generaliter, neminem potest à solutione Decimarum eximere, quæ Diuina constitutione debentur.* tit: de Decimis, primitijs, & oblat: iure merito Decimarum controuersiæ, ad forum spirituale, seu ad Ecclesiasticum Iudicem, pertinere debent, siue reus sit Clericus, siue laicus; per textum in cap: *Dispendiosam.* Clement: de Iudic: & in cap: *Liberas.* de iuram: calum: tot: tit: de Decimis. Fallit enim illa regula, quod Actor sequi debeat forum rei. cap: *Cùm sit.* 8. tit: de foro competenti.

3 Quod tamen * eatenus verum esse dicendum videtur, quatenus de iure (an videlicet Decimæ debeantur) non autem de facto, quæstio est. Nam si controuersia incidat, de tardata vel prorsus denegata solutione Decimarũ, de eo Iudex quoque laicus rectè cognoscere potest, quia Decimas non esse solutas, quæstio meri facti est, per tex: in l. *asseruatio. Cod: de non numerat: pecun.* Et ita communiter DD. tenent, idque ex authoritate Glossæ, in cap: *Literas.* de iuram: calum: quæ asserit, possessionem etiam quarumcunque rerum spiritualium, non esse spirituale quid, sed temporale; quia licet respectu Ecclesiæ agatur, non tamen de iure spirituali quæstio est, sed tantum super facto quæritur, an talis, vel talis Clericus fuerit in possessione percipiendi Decimas: argum: cap: fin: tit: de iudic.

4 Cæterùm apud nos * in Regno, hoc præsertim rerum statu, quo ferè status Ecclesiastici deterior conditio facta videtur, licet summo quodam iure, causæ de Decimis, vtroque casu, tàm videlicet in petitorio, quàm in possessorio, coram secularibus Iudicibus agitari soleant: id tamen contra iura Regni, perpetuamq; consuetudinem fieri certissimum est.

5 Olim siquidem * iudicium de Decimis, sicuti & de alijs ad religionem pertinentibus causis, nulli alij, præterquam Ecclesiastico Ordini competijsse, clara & admodum euidenti Regis Sigismundi lege, Cracouiæ, Anno Domini, 1543. (quæ in Statuto Herborti, sub verbo, *Spiritualis.* extat) sancita, sufficientissimè probatur. En ipsa legis verba clara & perspicua: *In primis,* inquit Sigismũdus Rex, *ad spirituale iudicium pertinet iudicare differentias religionis, hæreses videlicet, schismata, blasphemias contra Deum, & Apostasias, pro Decimis, septem Sacramentis Ecclesiæ, veneficijs, Sacrilegijs, & Simonia, &c.* Quinimò vt præfecti arcium (quos nostri Capitaneos vocant) Decreta seu censuras Ecclesiasticas, eo nomine contra vsurpatores seu detentores Decimarum promulgatas, omninò exequi tenerentur, iam olim Vladislaum Iagellonem, Cracouiæ, Anno 1433. & postmodum Casimirum filium ipsius Petricouiæ, Anno 1458. statuisse, expressa Statuti verba declarant: quæ sic se habent: *Nos igitur,* inquit Vladislaus, *qui intensis*

intensis desiderijs, Prædecessorum Nostrorum exemplo, tanquam tutor & conseruator iurium, libertatum, & priuilegiorum in Ecclesia, personarumq; sibi subiectarum, propagationem libertatis Ecclesiasticæ ex debito affectamus, ad executionem debitam statutorum huiusmodi procedere cupientes; (cùm frustra conderentur leges, nisi executioni debitæ demandarentur, ex quo etiam, quos timor Dei & mucro spiritualis à malo non reuocat, pœna temporalis debet coercere) præsenti nostro Regio Decreto, de consilio & vnanimi Prælatorum & Baronum nostrorum voto, scientia & assensu, volumus, decernimus, & firmissimè & irrefragabiliter perpetuò obseruari pollicemur, statuimusq; & ordinamus, per præsentes: vt dum aliquis indigena Regni nostri, cuiuscunq; status & conditionis existat, propter raptum Decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiasticarum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunq;, siue etiam in contumaciam, de non parendo iuri, & mandatis Sanctæ Ecclesiæ, sententia excommunicationis iustè fuerit innodatus, ipsamq; vltra annum legalem, pertinaciter sustinuerit, nec curauerit ad gremiũ Sanctæ Matris Ecclesiæ redire, & pro excessu debitam emendam exhibere: extunc Anno huiusmodi elapso, omnia bona eiusdem excommunicati, mobilia & immobilia, quæ tunc possideret, debent recipi per locorum Capitaneos, quibus subiacent, & apprehendi, tenenda & possidenda tam diu per Capitaneos huiusmodi, quousq; per eosdem excommunicatos, vel Capitaneos memoratos, de huiusmodi bonis, damna vel valor rei, ipsis læsis vel iniuriam passis, plenariè exoluantur. Quibus solutis, bona prælibata præfatis excommunicatis, nonnisi absolutis, decernimus viceuersa restituenda per Capitaneos prænotatos. Mandamus igitur omnibus & singulis Regni nostri Capitaneis, & Vicesgerentibus eorundem, quatenus ad compescendam talium excommunicatorum pertinaciam, duritiam, & temeritatem, præmissa nostra saluberrima decreta, executioni debitæ debeant demãdari perpetuò & in æuum, totiens, quotiens per Prælatos, aliasq; personas, tam Ecclesiasticas, quàm Seculares, super hoc fuerint requisiti & moniti. Quodsi præfati Capitanei, Tenutarijq; nostri, aut loca tenentes eorundem, pro tempore existentes, in executione præmissorum tardi fuerint, vel negligentes: extunc ipsos omnes, pro huiusmodi negligentia per Loci ordinarios iaculo anathematis indulgemus feriendos.

Alexander quoque Rex expressè testatur, se ad informationem subditorum suorum, spiritualium & secularium, decisionem de corpore iuris, & de libris Ecclesiæ Doctorum, super Statuto Prouinciali Gnesnen: de raptu Decimarum, & inuasione bonorum, tum & violatione personarũ Ecclesiasticarum, per Venerabilem Nicolaum Kotficz, Archidiaconum Posnanieñ: & Canonicum Gnesneñ: collectam, Priuilegijs communibus adscripsisse; prout id in Statuto, sub litera *Spiritualis*, videre est. Quid quæso his sanctionibus potest extare liquidius & euidentius? & ne quis minùs legitimas eas appellare possit, ipsi Principes, omnium Ordinum consensu latas esse asseuerant, atque etiam in librum Statutorum relatas, vt cæteras omnes, ita & has quoque vniuersi Ordines suo suffragio comprobârunt. Extat etiam apud Dlugossium, clarissimum & vetustissimum huius rei testimonium, cuius in quæstione præcedẽti facta est mentio. Cùm enim tempore Boleslai Regis, Anno videlicet 1022. Nobiles quidam, Decimarum pendendarum consuetudini refragarentur, nec Ecclesias frequentarent, (verba sunt Dlugossi) ministros & Sacerdotes de eorum Ecclesiis pellerent: Boleslaus Rex, gliscentem conspirationem in ipso suo exortu extinxit, nemine eum impediente, quin adiuuantibus potiùs vniuersis, authores illius (inquid idem) missis militibus comprehendit, & capita conspirationis, partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus mulctauit.] Ex his omnibus liquet, Ordinẽ Ecclesiasticũ sine omni controuersia, iurisdictionem suam, maximè verò, in causis Decimarum, iam inde à tempore suscepræ religionis exercuisse. Cuius rei ex vetustissimis Poloniæ Regum, & aliorũ Principum priuilegijs; cum ex munimentis, Actisque publicis, plurima possent adferri testimonia, quæ breuitatis studio lubens prætereo. Equidem * 6
non ignoro, sciolos quosdam abrogationem dictorum iurium & Constitutionum, præsertim verò illius Statuti Sigismundi Regis Anni 1543 allegare,

gare, eoque argumento, tanquam validissimâ aliquâ machina, iura & priuilegia, atq; adeò iustissimam hanc Ordinis Ecclesiastici causam expugnare, & penitus conuellere velle. Statutum (inquiunt illi) Sigismundi Regis Anni 1543. abrogatum esse constat, per filium ipsius Sigismundum Augustum Regem, idq; Constitutione Anni 1550. per ea verba: *Ad petitionem Nunciorum Minoris Poloniæ, Statutum Anni 1543. in suo robore reseruamus ad alium Conuentum, quousq; aliquid meliùs iure communi statuamus.* Demirari certè satis nequeo, istos talia comminisci, quasi verò hoc pacto abrogari soleant leges, per ea nimirum verba, *in robore conseruamus:* quin potiùs, istis verbis Constitutiones prædictæ, tanquam denuò latæ, ac reuera confirmatæ, censeri debent. Ea enim verba ex generali confirmatione, rursum per Sigismundum Augustum in Conuentione generali Petricouien: eodem Anno 1550. facta, excerpta esse videntur. Quod autem attinet, vltima eiusdem Constitutionis verba, *quousq; aliquid melius statuamus:* Nec ista dici possunt abrogatoria. Neque enim talis est abrogandæ vnius alicuius legis forma, sed est omnium optimarum legum conditio, vt tam diu valeant & obseruentur, donec meliores atque vtiliores inuentæ fuerint: quæ quoniam in hac materia, nec meliores, nec deteriores aliquæ sunt posteriùs latæ, ideò priores iure merito in suo robore permanere debent; non enim temeritate hominum, dignitas legum amittitur.

Verùm * adhuc, prædictas Constitutiones esse abroga- 7
tas, iidem contendunt: quòd in libro Statutorum ab Herborto digestorũ, in calce ipsius libri, seu potius in charta extrema libro applicata, per Authorem, vel (vt quidam existimant) Typographum, in admonitionibus ad Lectorẽ, circa ipsum vale, annotata sint hæc verba: *Porrò, quanquam Constitutiones Anni Domini 1543. abrogatæ sint: non tamen eas supprimendas esse putauimus, propterea quòd aliquando latæ fuerant. tandẽ vale, operæ nostræ non ingratus.* O validam & perquam grauẽ probationem! Typographum

vel vt hoc etiam ipsis concedamus, authorem ipsum, extra codicem Statutorum, quinimò extra margines libri, titulo & capite nullo, nulla allegata authoritate, ex solo rumore, seu potiùs opinione aliqua, fixisse vel refixisse legẽ, qui etiamsi millies annotâsset, latam vel abrogatam esse aliquam legem, non autem expressisset, à quo Rege, quo tempore, quo in loco lata, vel abrogata esset; tale scriptum tanquam priuatum, & nullo fundamento nixum, nullam quoque authoritatem acquirere posset. Non enim authoris censura, neque typi, imponunt nomen legibus: sed legittima authoritas Regia, & cõsensus omnium Ordinum, sola efficiens est legum causa. Hæc illis vim & authoritatem plenam tribuunt, etiamsi non typis excusæ, sed manu scriptæ leges fuerint. Cuius sanè
8 * rei, etiam illud non postremum argumentum esse potest, quòd in libris Statutorum eiusdem authoris, nouiter Zamoscij Anno 1597. excusis, ad calcem libri, post ipsam conclusionem statutorum, ab authore factam, singulares quædam leges, â Magnifico viro Domino, Ioanne Felice Herborto, dicti authoris filio, in publicum prolatæ, huic eidem codici Statutorum adiectæ, adscriptæque sint: quæ etsi ex veteribus (vti ibidem asseritur) legum codicibus excerptæ, tempus locum, & authoritatem Regum adscriptã habeant, Regnicolisque apprimè vtiles, & necessariæ videantur; attamen, quia extra volumen ipsarum legum, atque adeò extra corpus dictorum Statutorum adiectæ sunt, paruam, aut omninò nullam, in iudiciorum subsellijs, fidem, authoritatemque illis dari videmus. Quantò igitur minoris, vel potiùs nullius authoritatis esse debent ea, quæ in extrema charta, etiam post adiectionem repertarum legum, incertum ab authorenè, an à calcographo adscripta sunt.

Sed his adhuc * fortè non 9
contenti, isti ordinis Ecclesiastici suggillatores, inhibitionem Sigismundi Augusti Regis, Anno 1565. Petricouiæ editam, quâ ille vetuisse visus est, ne decreta iudicij spiritualis, Capitanei exequerentur,

audacter & cum tripudio quodam obijcient? At simul fateantur necesse est, hanc siue inhibitionem, siue Constitutionem potiùs dici malunt, legibus Regni, priuilegijs Cleri, adeoque iudiciorum iuribus, repugnare, nullamque vim habere, ad leges antiquas, sanctè atque religiosè latas, abrogandas. Si enim edictum illud Sigismundi Regis inhibitio est, prout reuera (siquidem ius & iustitiam, in grauamen & præiudicium quærentium fieri prohibet) rectè eo nomine appellari potest: illam ex diametro repugnare Casimiri, Ioannis Alberti, Alexandri, & Sigismundi Regum, atque adeò ipsius Sigismundi Augusti legibus, de inhibitionibus in iudicijs non admittendis promulgatis: quæ in Statuto, sub verbo *Inhibitio*, recensentur. Vnde etiam tùm, cùm esse cæperat, nullius roboris nulliusué momenti eam fuisse, & nunc quoque inualidam esse, quis dubitare potest? Quodsi mutato edicti seu mandati huius nomine proprio & conuenienti, non inhibitionem, sed constitutionem magis appellare lubeat: non video qua ratione nomen authoritatemque publicæ legis ea sortiri possit.

Si quidem * antiquissimis 19 huius Regni moribus, modus atq; forma condendarum legum, ea præscripta sit, vt nonnisi illæ, quæ de consensu omnium Ordinum, tàm videlicet Spiritualium, quàm Secularium constitutæ sunt, vim legis habeant, & pro iustis atque legitimis Constitutionibus reputentur. Longum esset singularum legum verba & sententias adducere, minusque necessarium videtur; sunt enim sub vno eodemque titulo, in codice Statutorum, sub verbo *Constitutio*, comprehensa: vnum saltim illud Alexandri Regis decretum, in Radom: Anno 1505. latum, probandæ eius rei causa, hìc adijcere lubet, cuius hæc sunt verba: *Quoniam iura communia & Constitutiones publicæ, non vnum sed communem populum afficiunt, itaq; in hac Radomiensi Conuentione, cum vniuersis Regni nostri Prælatis, Consiliariis, Baronibus, & Nunciis terrarum, æquum & rationabile censuimus, ac etiam statuimus, vt deinceps futuris perpetuis temporibus, nihil noui constitui debeat, per nos, & successores nostros, sine communi Consiliariorum, Nunciorum terrestrium consensu, quod fieret in præiudicium grauamenq; Reipublicæ, & damnũ atq; incommodum cuiuslibet priuatum; ad innouationemq; iuris communis, & publicæ libertatis.* Quod itidem Sigismundus primus Rex, Anno 1538. Petricouiæ comprobat his verbis: *Constitutiones nouas, non nisi cum Consiliariorum (puta spiritualium & secularium) ac Nunciorum terrestrium consensu, secundum Statutum*
21 *Alexandri faciemus.* Eius * verò inhibitionis, (nam legis nomen vix meretur,) vnum tantummodò ordinem, nempè secularem, authorem & suffragatorem extitisse, vel ex ipsius inhibitionis contextu perspici potest. Ecclesiasticos verò, (puta Episcopos) non modò publicè eidem contradixisse: verùm etiam de grauamine, (vt loqui solemus) protestatione solenniter præmissa, vim videlicet Ordini suo inferri, omnes ex Senatu discessisse. Extat siquidem in Archiuio Ecclesiæ Cracouiensis eius rei diploma, sub inscriptione manus propriæ & sigillo eiusdem Regis. Cuius tenorem hic inserendũ censui.

Sigismundus Augustus, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, &c. Dominus & hæres. Significamus tenore præsentium, quorum interest, vniuersis & singulis, præsentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quomodo constituti personaliter coram nobis in præsentia Senatorum, ac Nunciorum Terrestrium, in moderna Conuentione Generali Petricouien: congregatorum, Reuerendissimi in Christo Patres Domini, Dñi, Jacobus Vchánski, Dei gratia, Archiepiscopus Gnesnen: Legatus natus, & Regni Poloniæ Primas, Philippus Padniewski, Cracouien. Nicolaus Wolski, Vladislauien. Adam Konárski, Posnanien. Albertus Stározrzebski, Chelmen. Dionysius Seczygniowski, Camenecen: Episcopi, nomine suo, & aliorum Reuerendissi: Dominorum Episcoporum absentium, ac totius status Ecclesiastici & Spiritualis Regni nostri, productis & exhibitis factis & inscriptis, certis suis scriptis, & solennibus protestationibus etiam verbo ibidem factis, & inhæren: suis prioribus protestationibus, ante biennium; videlicet Anno Domini, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Tertio, solenniter, publicè & per expressum

expressum protestati sunt, & dixerunt: Quòd, quantum in ipsis situm est, nequaquam consentire possunt, neq; consentiunt, in ea placita, Constitutionem, Decreta, seu declarationem, quæcunq; in præiudicium Ecclesiarum Dei, & Status Spiritualis in hac Conuentione generali quomodolibet statuuntur contra iura & libertates Ecclesiasticas, sacris Canonibus munitas, & in derogationem libertatum, & immunitatum Ecclesiasticarum totius Prouinciæ, & omnium Ecclesiarum Regni, literis, Priuilegijs, Statutis, Constitutionibus, & indultis, per olim Serenissimos Principes, & Dominos Duces & Reges Poloniæ, Ecclesiis ipsis, & personis earum legitimè concessarum, per eosdem Duces & Reges, tum vsum continuum ab antiquo approbatarum, quibus publicè & legitimè cautum & prouisum est, nullas videlicet debere fieri in eodẽ Regno Constitutiones, placita & Ordinationes, nisi de omnium Consiliariorum consensu & voluntate, & etiam, quod nullus status in alterũ, libertatibus & immunitatibus gaudentem, in tam libero Regno potest de iure quicquam noui, præsertim contra immunitatem & libertatem alterius, constituere & laudare, nouasq; leges & Statuta condere, per quod alter status grauari, & in suis libertatibus opprimi posset: & præsertim, quod contra fidei Catholicæ, & Ecclesiæ Sanctæ Ordinationem & institutum fieret: alijs nihilominùs Senatoribus, necnon terrarum Nuncijs, præsertim Catholicis repugnantibus, renitentibus, consensumq; suum præfatis Constitutionibus & Ordinationibus, Religioni, Iurisdictioni, libertatibus ac immunitatibus Ecclesiasticis contrarijs, denegantibus; immò suadentibus & postulantibus, iura & libertates Ecclesiasticas, & omnes dignitates in vigore & robore suo conseruari. Et insuper protestantibus, quod nihil omninò Catholicæ Religioni, & iurisdictioni, ac libertatibus & immunitatibus status Spiritualis derogare velint, per quascunq; Constitutiones, seu Ordinationes. Intelligentesq; & animaduertentes supradicti Reueren: Domini Archiepiscopi & Episcopi, in præsenti Conuentione nonnulla Statuta & Constitutiones & placita, ad nonnullorũ Senatorũ & Nunciorum status secularis instantiam, cõtra religionem, iurisdictionẽ, immunitates Ecclesiasticas, Ordinisq; sui & Ecclesiarum, fieri & laudari: præsertim de, & super executione Processuum à foro Spirituali ad Capitaneos loci remitti solitorum, & roboratione seu confirmatione Constitutionis Piotrco: ante biennium editæ. Quæ quidem Constitutiones in eam vim sunt factæ, vt nulla executio per loci Capitaneos, Processuum remissorum & remittendorum ad Capitaneos locorum, fieret ampliùs, manifestè contra iura, libertates & immunitates Ecclesiasticas, necnon contra Priuilegia & Statuta Regni, immò etiã contra dictam Constitutionem ante biennium editam, prout ex collatione istarum, vt vocant, Constitutionum manifestè apparet, ipsas esse inter se cõtrarias, & pugnare (quod aiunt) ex Diametro. Quamuis alij audeant affirmare, quòd nihil noui hîc statuatur, sed idem, quod ante biennium, nisi quòd hæc moderna Constitutio sit prioris declaratio: cùm tamen manifestum sit, non esse vnam & eandem rem, neq; declarationem Constitutionis ante biennium factæ, sed est noua Constitutio biennali planè contraria, & hoc in eo, quòd in biennali Constitutione contineatur: quòd Nuncij Terrestres noluerunt intrare in aliquas disputationes cum Dominis Spiritualibus. Hîc verò in ista constitutione noua, statum Spiritualem implicant seu ingerunt; cùm tamen ne dum sententiati, sed nec vocati, nec auditi fuerint Spirituales, neq; terminum vllum hactenus coram Maiestate Regia habuerint; manifesti verò iuris est, præsertim in Polonia, neminem cuiuscunq; conditionis, nè Iudæum quidem, extra terminũ condemnari legitimè posse. Præterea quod etiam ante biennium factum est, nomine Constitutionis vocari non potest, sed tantum nomine mandati: quod in illa Constitutione non extat scriptum Statuimus, constituimus, vel aliud simile, sed tantùm Mandamus, neque vllo verbo meminit Constitutionis. Et insuper quod tantùm ex consensu Dominorum secularium Consiliariorũ, ante biennium Regia Maiestas id factum seu Mandatum scribi iussit, vnde apparet ad hæc nunquam consensisse Consiliarios Spirituales, quemadmodum protestabãtur de præiudicio & grauamine contra præfatum Mandatum. Postremò quia planum est, tàm ipsum mandatum biennale, quod Constitutionem vocant, quàm Statutum Iagellonis in Iedlna, folio 50. ad quod seipsum mandatum refert, nihil de Spiritualibus continere, sed tantùm de Maiestate Regia & subditis, in quibus vtiq; sunt tã spirituales quàm seculares: ideò iusto iudicio nihil Processibus iuris Spiritualis obesse ac derogare potuit, sicut ipsum Statutum Iagellonis, ita hoc mandatum biennale, vocatum

vocatum Constitutionis nomine, quod sese ad ipsum Statutum Iagellonis duobus in locis refert planissimè. Quis igitur non videat manifestam iniuriam, maximum præiudicium & violationem, seu confractionem libertatum, iurium, & immunitatum status Spiritualis: & quòd sine ipsorum consensu hæc ita fiant, tàm ante biennium, quàm etiam nunc, primi vtique status in Consilio Regni, & exinde etiam iurium statui Spirituali concessorum, & diu laudatorum, tàm in Conciliis generalibus seu Oecumenicis, quàm per Imperarores Christianos, & Duces ac Reges Poloniæ, collatis omnibus Spiritualibus, & præsertim Ecclesiis & Ecclesiasticis personis in Regno Poloniæ: & quidem non modo de Decimarum, & aliarum rerum Spiritualibus annexarum, sed etiam de merè Spiritualium iurisdictione talis & moderna Constitutio facta est, quæ omnem iurisdictionem Spiritualem tollit, & in nihilum redigit, idq; apertè contra Statuta Regni & Priuilegia Ecclesiastica atq; Spiritualia, prouocabant, & ea ostendebant, ex quo iam nulla executio in Castro de Brachio Regali sequitur. Quod quidem officium Castrense, sicuti est, etiam vocatur Brachium seculare, seu Regale, & ob id coram dicta Sacra Maiestate Regia, & Consiliarijs secularibus, ac Terrarum Nuncijs, protunc in Conuentione generali congregatis, solenniter & expressè protestati sunt, quòd, quantum in ipsis situm est, nequaquam consentire possunt, neq; consentiunt in ea placita & Constitutiones, quæcunq; in præiudicium Ecclesiarum Dei, in hac Conuentione generali, quomodolibet statuuntur, contra iura, libertates Ecclesiasticas, olim sacris Canonibus munitas, & per Illustrissimos Duces & Hæredes Regni, necnon Serenissimos Reges Poloniæ, Ecclesiis & Ecclesiasticis personis legitimè & benignè concessas, vti præmissum est, coram dicta Regia Maiestate exhibitis, & demonstratis: petieruntq; submissè dicti Reuerendissimi Domini se circa Priuilegia, immunitates, Constitutiones Ecclesiarum Regni conseruari, eaq; executioni debitæ demandari: & nè in formam Constitutionum & ordinationum eadem placita & Constitutiones seu ordinationes prætactæ, Ecclesiæ & statui Ecclesiastico præiudiciales, in quibuscunq; rebus referantur, neq; Ecclesias Dei, ac earum ministros afficere quouis modo permittat. Ex quo Constitutiones & Statuta Conuentionalia, non possunt nec debent, etiam de iure Regni statui & laudari,

dari, nisi de mutuo & omnium consensu, tàm Spiritualium, quàm Secularium Consiliariorum. Ideò subiacere non teneantur, cum vniuerso suo Clero, talibus Constitutionibus seu Ordinationibus, quæ non fuerint, prout non sunt, omnes de consensu tàm Spiritualium, quàm Secularium Consiliariorum profectæ & constitutæ, immò vt supra scriptum est, per alios Dominos Consiliarios & Nuncios Terrestres, præsertim Catholicos, reprobatæ, vti præiudiciales religioni, Ecclesiæ Dei, ac iurisdictioni Ecclesiasticæ, & iuribus ac Priuilegijs, necnon libertatibus & immunitatibus status spiritualis præiudiciales & nociuæ. Et ob id iterum, atque iterum, omnibus quibus melùs efficaciusq; debuerunt, protestati sunt, se cum vniuerso Clero, talibus Constitutionibus immunitati Ecclesiasticæ contrarijs nolle subiacere. Et ea protestatione solenni facta, petierunt à nobis prædicti Reuerendissimi Domini hanc protestationem ipsis per nos pro religione, iurisdictione, immunitate & libertate Ecclesiastica, statusq; spiritualis consignari, & de remedio iustitiæ, Ecclesiæq; Dei, ac Ecclesiasticis personis in Regno nostro prouideri, ac ipsos cum eorum Ecclesiis & vniuerso Clero, in iuribus, libertatibus, & immunitatibus Ecclesiasticis, conseruari, & manu teneri. Nos verò volentes vnicuiq; quod suum est reddere, & agnoscentes nos æquè Spiritualibus ac Secularibus iura & priuilegia, immunitates ac libertates confirmâsse, tàm literis, quàm iureiurando nostro: ideoq; ea inuiolabiliter cõseruare, & manutenere debere, & protestationem ipsorum Reuerendissimorum Dominorum consignari iussimus: adhæren: simul protestationibus, in facie nostræ factis, tàm Consiliariorum, quàm Nunciorum Terrestrium, præsertim Catholicorum, qui sarta tecta iura Ecclesiastica omnia, & personarum Ecclesiasticarum esse voluerunt, & postularunt: Et ipsos, inprimis verò Ecclesias omnes in iuribus & libertatibus, & immunitatibus earundem plenissimè conseruan: ac manuten: duximus, prout conseruamus, & manutenere volumus, & conseruari, ac manuteneri per successores nostros perpetuis temporibus, & in eum decernimus; in nullo præiudican: neque derogan: præfatis iuribus, libertatibus, & immunitatibus omnium Ecclesiarum, in Dominijs nostris consistentium, & personarum Ecclesiasticarum. In cuius rei fidem & euidens testimonium manu nostra subscripsimus, & sigillum nostrum appendi iussimus.

iussimus. Datum Petricouiæ, in Generali Regni Conuentione, die Sabbato ante Dominicam Palmarum. Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Quinto, Regni nostri Trigesimo Sexto. Præsentibus Magnificis, Generosis, & Venerabilibus, Spytkone Iordan de Zakliczyn, Cracouien: ac Przemislien: Camionecenq; Capitaneo; Stanislao de Tarnow, Sandomirien: ac Siradien: Ostrzessouienq; Capitaneo; Ioanne de Slussewo Brzesten: Koninen: Miedzyrzecensiq; Capitaneo; Ioanne Krotowski Iuniwladislauien: Ioanne de Dambrowicá, Lublinen: & Casimirien: Rohatinenq; Capitaneo; Andrea Sierpski de Gulczewo: Rauen: & Capitaneo Plocen: Palatinis; Stanislao Myßkowski de Mirow, Sandomirien. Cracouien: Generali, Rathnenq; Capitaneo; Georgio Konárski, Calissien: Ioanne Thomicki, Gnesnen: Ioanne Lutomierski, Siradien: ac Lancicien: Radomienq; Capitaneo, Iacobo Lásoczki, Lancicien: Raphaële Działynski, Bresten: & Brodnicen: Capitaneo; Floriano Zebrzydowski, Lublinen: ac Sandecen: Capitaneo; Anselmo Gostomski, Plocen: & Capitaneo Rauen: Stanislao Wolski, Rauen: Curiæ nostræ Marschalco, & Capitaneo Krzepicen: Stanislao Sobek à Suleiow, Sandecen: Regni nostri Thesaurario, ac Máłogoscen: Capitaneo; Sebastiano de Mielec: Vislicen: & Capitaneo Brzesten: Gasparo Zebrzydowski, Rogoznen: Ioanne Sirakowski, Landen: Curiæ nostræ Referendario, & Przedecen: Capitaneo; Ioanne Tarło, Máłogoscen: & Capitaneo Pilznen: Francisco Rusocki, Naklen: Alberto Czarnkowski, Sanocen: Castellanis. Valentino Dembiński, Regni nostri Cancellario, ac Lubomlien: Capitaneo; Petro Myßkowski, Regni nostri Vicecancellario, Decano Cracouien: Gnesnen: Plocen: Lancicien: Varsauienq; Præposito; Stanislao Karnkowski Secretario Maiore, & Curiæ nostræ Referendario, Cantore Gnesnen: Schol: Lancicien: Iacobo Paczyński, Decano Vladislauien: Præposito Crusuicen: & Andrea Przeremski, Gnesnensi, Cracouiensiq; Canonico, tum & Nuncijs, Baronibus, ac alijs plurimis fide dignis, circa præmissa existentibus.

Sigismundus Augustus Rex.

His itaque tot & tantis legum grauissimis authoritatibus, benè perpensis, necessariò fatendum est; eam qualemcunq; inhibitionem, nullius debere esse momenti atque ponderis ad Ecclesiasticam iurisdictionem, vel imminuendam, vel infirmandam.

12 Equidem * multò satiùs, consultiùsq; agi existimarem, si pristina illa sacro ordini cõstaret authoritas & iurisdictio. Non enim grassarentur inter homines, tot immania scelera: puta, blasphemiæ, sacrilegia, hæreses, & his similia, quibus grauissimè offenditur diuina bonitas, nimirum, si brachium seculare suum Ordini Ecclesiastico præstaret officium; alioquin verendum est, nè aliquando diuina vltione infligente pœnas, eò licentiæ deueniatur, vt diuina humanaque iura violentur, ac perturbentur omnia. Quod nè accidat, secularis potestatis est prouidere. Hoc enim illi onus Diuina lege incumbit, vt, quæ iudices Ecclesiastici Diuino numini aduersari, pœnisque digna censuerint, ea ipsi seuerè vindicent. Reges enim, atque eadem ratione cæteri Magistratus Politici, Ecclesiæ nutritij sunt, Esaiæ Cap: 49. Debent ergò illi seruire, eamque tueri ac defendere, ac veluti terrenum Regnum, (vt Diuus Gregorius inquit) cælesti debet famulari.

QVÆSTIO IV.

De foro Spiritualium, & an Clerici apud Iudicem secularem conueniri debeant?

SVMMARIA.

1. *Clerici à Iudice laico, iudicari non possunt.*
2. *Clerici in criminalibus causis, quando coram Iudice Ecclesiastico forum sortiuntur.*
3. *Clericis iure, præsertim nouo, fori Priuilegium concessum.*
4. *Clerici, fori Priuilegio renunciare non possunt.*
5. *Fori priuilegium Clerici, nùm in causis tantummodò personalibus sortiantur.*
6. *Ecclesiasticus Ordo in Polonia, passim in omnibus realibus causis foro seculari subest.*
7. *Spirituales in quibus causis, iuxta dispositionem Statutorum Regni, coram Iudice seculari conueniri possunt.*
8. *Ecclesiasticos in Regno, etiam in personalibus forum habere in iudicio seculari, quidam contendunt.*
9. *Statuti Vladislai Regis, Anni 1422. plana & perspicua interpretatio.*

10. Iura Canonica, quantæ apud omnes authoritatis eſſe debent.

11. Iudiciorum diuerſa ſubſellia, in Regno Poloniæ.

12. Appellationes ad Curiam Romanam, an prohiberi poſſint?

1 CLericos, * coram Iudice laico regulariter conueniri non poſſe, ſed coram ſuo Iudice Eccleſiaſtico, tàm à ſui ordinis hominibus, puta Clericis, quàm à laicis conueniendos eſſe, iura non ſolùm Canonica, ſed Ciuilia quoque atteſtantur. Et iure quidem Canonico clarè admodum ea de re diſponitur, in cap: *Nullus.* 2. ibi. *Nullus Iudicum, neq; Presbyterum, neq; Diaconum, aut Clericum vllum, aut minores Eccleſiæ, ſine permiſſu Pontificis, per ſe diſtringere aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia Dei, cui iniuriam irrogare dignoſcitur, tàm diu ſit ſequeſtratus, quouſq; reatum ſuum cognoſcat & emendet*, tit: de foro competen. Quod nō
2 * ſolum in Ciuilibus, ſed in criminalibus quoque cauſis, (non obſtante in contrarium conſuetudine) obſeruari, patet ex textu, in cap: *Clerici.* 8. ibi. *Cùm Imperator dicat, quòd leges non dedignantur ſacros Canones imitari, in quibus generaliter traditur, vt de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico iudice conueniri, non debet in hac parte Canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium generari*, tit: de Iudicijs. Quamuis alioquin, ob crimen aliquod commiſſum, depoſitionis, atq; excommunicationis, ac denique anathematis pœnâ (ſi nimirum inculpatus de crimine incorrigibilis appareat) ſubſequuta, Clericus per Iudicem ſecularem comprimendus ſit; per text: in cap: *Cùm non ab homine* 8. in verbis: *Quod ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia creſcente, anathematis mucrone feriri; poſtmodum verò, ſi in profundum malorum veniens contempſerit, quum Eccleſia non habeat vltra quid faciat, nè poſſit eſſe vltra perditio plurimorum, per ſecularem comprimendus eſt poteſtatem, &c.* dicto tit: de iudicijs. Neque tamen etiam hoc caſu tenetur Iudex Eccleſiaſticus taliter depoſitum tradere Iudici ſeculari, ſed ipſe Iudex ſecularis debet eum comprehendere, per text: in cap: *Et ſi Clerici.* 4. ibi. *Sed non debet quemlibet depoſitum tradere Iudici ſeculari pro ſuis exceſſibus, cùm ſit ſuo functus officio, nec duplici debeat ipſum contritione conterrere.* dicto titulo de Iudicijs.

Iure quoque * Ciuili, præſertim nouo Iuſtinianeo, hanc fori prærogatiuam, clericis in vniuerſum conceſſam, attributamque 3

tamque

tamque eſſe, pluribus eiuſdem iuris legibus, probari poteſt: ſed breuitatis ſtudio cæteris omiſſis, vnam ſaltem imperatoris Friderici conſtitutionem, quæ habetur in auth: *Statuimus.* Cod. de Epiſcop: & Cleric: hic adijcere lubet. *Statuimus*, inquit imperator, *vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel Ciuili, trahere ad Iudicium ſeculare præſumat, contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas ſanctiones: Quod ſi actor fecerit, à ſuo iure cadat, iudicatum non teneat, & Iudex ex tunc poteſtate iudicandi priuetur.* Eandem Iuſtiniani quoq; Imperatoris, hac de re, fuiſſe ſententiam, apertiſſimè liquet, idq; ex textu in auth: *Clericus.* ibi. *Clericus quoq; in lite pulſatus pecuniaria cauſa, prius apud Epiſcopum conueniatur, per quem ſine damno cauſa decidatur.* Cod. de Epiſcop. & Cleric. Quibus itidem adſtipulatur, alia eiuſdem Imp. nouella Conſtitutio, cuius hæc ſunt verba: *Cauſa, quæ ſit cum Monacho, vel cum muliere qualibet in Monaſterio conſiſtente, non apud Iudicem Ciuilem ventiletur; ſed apud Epiſcopum, qui de perſonæ præſentia, quod conuenit, ſtatuet, ſiue per Abbatem, vel Antiſtitem, vel per alios hoc fieri debeat, qui ſecundum legem rem diſponat, & ſacras regulas, ſalua debita perſonæ reuerentia*, auth: *Cauſa.* Cod: eod. Et reuera, (vt cum Imperatore Iuſtiniano loquar) indignum eſt, ſacerdotes & religioſos viros turbulenta obſeruatione prætorij vacare, vbi neque eis beatitudinis honor debitus reſeruetur, neque Oratorum adfluens in defenſionibus copia, præſtari queat.

Ac proinde * etiamſi Clericus iuriſdictionem ſecularis Iudicis prorogare vellet, nequaquam id ei permiſſum eſt. Ratio, quia cùm hoc beneficium ſeu priuilegium fori nō ſit perſonale, ſed toti Ordini Eccleſiaſtico publicè indultū, renunciatio ſeu prorogatio iſtiuſmodi, ſiue expreſſa, ſiue tacita, abſque conſenſu ſuperioris facta, nullius eſt momēti: de quo eſt expreſſus textus in cap: *Si diligenti.* 12. §. fin: ibi. *Manifeſtè patet, quod non ſolùm inuiti, ſed etiam voluntarij, paciſci non poſſunt, vt ſecularia iudicia ſubeant: cùm non ſit hoc beneficium perſonale, cui renunciari valeat, ſed potius toti Collegio Eccleſiaſtico ſit publicè indultum, cui, priuatorum pacto, derogari non poteſt*; tit: de foro compet. Pro quo facit etiam textus, in cap. *Significaſti.* 18. in verbis: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod licet priuatorum conſenſus, eum, qui iuriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit iudicem conſtituere: Clerici tamen in Iudicem* 4

dicem

dicem non ſuum, (niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi Diœceſani voluntas accedat,) conſentiri non poſſunt. tit. eodem.

5 Cæterum hæc * fori priuilegia, etſi in perſonalibus tantùm, non autem in realibus cauſis, clericis eſſe conceſſa, hac ratione quidam concludant, quòd in actione reali, perſona non cenſeatur obligata, per textum §. *omninò*, Inſtit. *de actionibus*: & ſic non trahatur in iudicium ſeculare perſona Eccleſiaſtica, ſed res ipſa. Regulariter enim ratione rei quis ſortitur forum in loco, vbi res ſita eſt, idq́ue per rationem l. fin. Cod. vbi in rem act: & eſt textus in l. 3. §. ſi aliter fundus, ibi. *quoniam magis fundo quàm perſonis adiudicari partes intelliguntur.* ff. fin. regund. Verùm Doctores, communiori opinioni contrarium, hac in parte videntur ſentire, videlicet laicum non poſſe eſſe Iudicem Clerici, etiam in realibus, nec coram eo conueniri; vt notat Minſing. ob-
6 ſer: 22. libro 1. Apud nos * in Regno, Eccleſiaſticos ex recepta potiùs quadam inueterataq́ue conſuetudine, quàm ex iuris præſcripto, aut neceſſitate, in omnibus iam paſſim actionibus realibus, forum & iuriſdictionem ſecularem ſortiri, praxis continua docet: cùm tamen, quatuor tantummodo caſus in iure noſtro reperiantur, in quibus cauſæ ſpiritualium, iuri terreſtri (quod idem eſt iudici ſeculari) ſubeſſe debeant; idq; iuxta diſpoſitionem Statuti Regis Alexandri, in Radom, Anno 1505. conditi; cuius ea ſunt verba.
*Spirituales * pro bonis ſiue iniuriis bono-* 7
rum iuri communi ſubiectorum, iure terreſtri experiantur. Iniuriæ ſunt, ſuper limitibus, kmetonibus fugitiuis, cæde & vulneribus, alias iuxta Statuta Alberti Regis. Quinimò Sigiſmundus Rex, poſteaquàm Statuto Añi 1543. cauſas omnes, de quibus Iudices ſpirituales cognoſcere debeant, & in quibus ſpirituales ad iudicium ſeculare trahi poſſent, luculentiſſimè expoſuiſſet, pœnā quoq; in eos, qui perſonas Eccleſiaſticas ad forū ſeculare trahere præſumerēt, ſtatuere voluit, quod apertiſſimè declaratur his verbis: *Similiter etiam ſi quis ſecularis ſpiritualem ad ius ſeculare terreſtre, pro his articulis iudicio ſpirituali pertinentibus, euocaret, talis etiam debet condemnari in pœna 14. Marcar. Nihilominùs per hanc Conſtitutionem noſtram, nolumus vt in aliquo derogetur iuribus & priuilegiis ſpiritualium, in Statutis deſcriptis; hoc eſt, ne in illis mutaretur vel deſtrueretur, quod eſt plus in illis ſcriptum, quàm hæc Conſtitutio habet. Ita enim cum Conſiliariis noſtris, & Nunciis terrarum conſtituimus, quia hoc debemus vnicuiq;, tàm ſpirituali, quàm ſeculari ſubdito noſtro tenere, & reformare iuxta Conſtitutiones priores.* Deus bone! quid clarius, quidué euidentius, de hac Ordinis Eccleſiaſtici fori prærogatiua, dici aut ſtatui potuit, quàm quod hic ab optimo pijſſimoq́ue Rege dictum atque ſtatutum eſt? Puto in tam perſpicuis, & luce meridiana clarioribus, huius ſtatuti verbis, etiam cæcucientes, id quod res eſt, manu palpare poſſe.

8 Neq; tamen * defuiſſe, imò neque nunc deeſſe eos, qui Eccleſiaſticos, non tantùm in realibus quibuſuis cauſis, verùm etiam in perſonalibus, ſine diſcrimine ſtatûs & conditionis, coram Iudice ſeculari forum ſortiri debere, ſumma contentione, nè dicam temeritate & pertinacia, arguunt. Eius verò rei optimam ſe habere cauſam exiſtimant, quòd videlicet ſecundùm Statuta Caſimiri Regis, in omnibus terris, Regno Poloniæ ſubiectis, vnum ius, vna conſuetudo iudicij debeat obſeruari.

Ita enim * Statutum illud 9
Caſimiri Regis, à Vladiſlao Iagellone in Caſtris propè Czervviensko, Año Dñi 1422. confirmatum, de his diſponit. *Præterea perpetuo edicto ſtatuimus, vt omnes & ſinguli homines Regni noſtri, cuiuſcunq; conditionis, ſtatus, dignitatis, aut gradus fuerint, cauſas in iudiciis noſtris terreſtribus proponentes, vel proponere volentes, ſingulariter ſinguli, & generaliter vniuerſi, eodem iure, modis, conſuetudinibus, & ritibus, per Regnum noſtrum potiantur: nec audeant iudices, ſedibus & tribunalibus iudiciorum noſtrorum præſidentes, alios modos, ritus, & conſuetudines, circa terminos & ſententias obſeruare, niſi illos, quos præfati Domini Caſimiri liber & conſtitutiones doceant, & informent; ad quem ſemper recurrant. Quicquid autem per ipſos aliter fuerit iudicatum & ſententiatum, irritum remaneat, & nullius roboris vel momenti.* Iam hîc iſti, illud inculcabunt. En legis verba, vnum ius, vnam conſuetudinem, in vno Regno omnium eſſe debere: quorſum igitur hæc exotica (ita illi ius Canonicum vocant) & peregrina iura, vtpotè patrijs legibus, & conſuetudinibus contraria? Sanè hor-
ret * refugitq́ue animus, iſti- 10
uſmodi hominum turpitudinem, nè dicam impietatem propalare, qui tàm pias ſacro-

rum Conciliorum ſanctiones, tàm religioſa ſanctorum Patrum, atq; Summorum Pontificum decreta, ipſorum deniq; Apoſtolorum, pura ſacroſanctaq; dogmata, pro exoticis & peregrinis iuribus reputare non vereantur. Equidem talium rerum aſſertes, cùm ab ea ſanctorum communione, quæ in hiſce ſacrorum Canonum regulis continetur, pertinaciter ſegregare ſeſe cupiāt: non video, quâ ratione Chriſtianorum Catholicorumuè nomen deinceps mereri poſſint aut debeant? Quis enim vnquā populus, quæué natio, Chriſti nomen profeſſa, eò impietatis deueniſſe dici poteſt, vt ſacros Canones, tanquā peregrinos, & à communi fidelium ſenſu alienos, reijciendos eſſe putaret? quinimò antiquiſſimos illos Chriſtiani nominis Reges atq; Imperatores, palàm profeſſos fuiſſe cōſtat, quòd leges ipſorū ſacros Canones imitari nō dedignarentur. Maiores deniq; noſtri, qua pietate, quaué religionis obſeruantiâ, hæc tàm pia dogmata coluerint, ijſque perpetuò adhæſerint, vel hoc ipſum indicio eſt; quod non ſentētias ſolummodò illi, ſed interdum integros Canones ex eo ipſo iure excerptos, Statutis atque Conſtitutionibus ſuis ingeſſerint: eaq; ratione proculdubio legibus ſuis, ſanctitatis opinionem, & venerationem quandam conciliare voluerint. Quid! auis nè poſteritatem prudentiorem, nè dicam vitioſiorem, (quæ notā illis impietatis hac in parte affingere volet) ætas noſtra dabit? Abſit ab ingenuo & generoſo pectore quouis, tàm immane ſcelus, ignominiæ perpetuâ labe piandum. Verum enimuerò miſſis iam hiſce, ad explicationem ſuperius commemorati Statuti redeūdo, cuius recti æquique ſtudioſo, planum atq; perſpicuū eſſe poteſt, ſtatutum illud, non de ſtatibus & ordinibus Regni, ſed de diuerſitate ſeu varietate tantùmmodò legum, iurium, & conſuetudinum, in terris & Prouincijs Regno ſubiectis diſponere; puta, quòd tunc maioris Poloniæ incolæ, alijs atque diuerſis iuribus & conſuetudinibus ſubeſſent, quàm quæ minoris Poloniæ terricolis in vſu fuerūt. Vnde Caſimirus Rex, ſub vno

vno Principe & capite, diuerſas leges obſeruari, indignum maieſtate ſua eſſe exiſtimans, id hac ſua ſanctione efficere voluit, quò omnes in vniuerſum Regnicolæ, vno iure, nempè terreſtri inpoſterum vterentur: vbi iuris Canonici, aut ſtatus ſpiritualis, nullam factam fuiſſe mentionem liquidò apparet. Siquidem & aliâs Regibus noſtris, id moris fuiſſe certiſſimum eſt, quòd quotieſcunque de vnionibus Prouinciarum & ditionum ſibi ſubiectarum, iura illis ferre contingeret, ſemper id præcipuè edictis ſuis inuehebant, quòd omnes Terras, Ducatus atque Prouincias, quæ diuerſum ius, diuerſaſq; conſuetudines tenerent, ad vnum ius & vnam legem, omnibus Regnicolis communem, reducturi eſſent: quod etiam in priuilegio Regis Vladiſlai in Iedlna conceſſo, ac poſtmodum Cracouiæ Anno 1433. confirmato, videre eſt; cuius is eſt tenor: *Item pollicemur, quòd omnes terras noſtras Regni noſtri Poloniæ, etiam terram Ruſſiæ includendo, ſaluis tamē auenæ contributionibus (de quibus nobis, ad tempora vitæ noſtræ, ſola Ruſſia reſpondebit) ad vnum ius, & vnam legem communem omnibus terris, reducemus, reducimuſq;, adunamus, & vnimus, tenore præſentium mediante.* Ex quibus apertiſſimè conſtat, huiuſmodi & ſimilibus Statutis, ne dùm Eccleſiaſtica, ſed neq; aliorum ſubſelliorum iudicia eſſe abrogata. Extant * ſi- 11
quidem etiamnum in Regno, diuerſæ iudicum iuriſdictiones. Alij enim de iniurijs realibus, alij de obligationibus perſonalibus cognoſcunt: alij his, qui iuri Saxonico ſeu Magdeburgenſi ſubiecti ſunt; alij Iudæis: & ſic deinceps alij alijs iura dicunt. Nemo tamen rerum patriarum non ignarus, dicere auſit, huiuſmodi iudiciorū partitiones, contra Statuta vnionis iurium fieri; quinimò concordiam atque optimum Reipub: ſtatum, hac diſtinctione ſubſelliorum, veluti harmoniâ quadam, firmiter conſeruari, vel inuitus fateatur neceſſum eſt. Quæ cùm ita ſe habeant in prophanis iſtiuſmodi iudicijs, cur non multò magis Eccleſiaſticæ iuriſdictioni id acceptum ferri debeat? Cùm iudicia illa, non autho-

authoritate ſolùm, ſed & antiquitate cæteris longè antecellant: vtpotè, quòd omnes Principes terræ, & cæteros homines, Epiſcopis, & per conſequens iudicio ſpirituali, obedire, Beatus Petrus præcipiebat, prout in cap: *Omnes.* 4. tit. de maior: & obedien. diſponitur; idq́ue ob ſingularem atq́ue admodum elegantem rationem, quæ in cap. *Certam.* diſtinct: 10. habetur in verbis. *Certũ eſt,* inquit Felix Papa, *hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, vt cũ de cauſis Dei agitur, iuxta ipſius Conſtitutionem, Regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre; & ſacroſancta, per eorum Præſules potius diſcere, quàm docere; Eccleſiaſticam formam ſequi, non huic humanitatis ſequenda iura præfigere; neque eius ſanctionibus velle dominari, cuius clementiæ Deus voluit tuæ piæ deuotionis colla ſubmittere, in contumeliam diſponentis. Præceptis enim Apoſtolicis,* teſte Gregorio Papa, *non dura ſuperbia reſiſtere, ſed per obedientiam, quæ à ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica authoritate iuſſa ſunt, ſalutiferè implere debemus, ſi eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput noſtrum, communionem habere deſideramus.* cap: 2. diſtinct: 15. At fortè * 12
modeſtioris & cultioris ingenij quidam, ſe non tam de prima inſtantia fori ſpiritualis, quàm de appellationibus, maximè verò ad Curiam Romanam deuoluendis, laborare contendent. Cùm enim Ordo Equeſtris huius Regni, armis potiùs, quàm litibus ſit aſſuetus: durũ omninò, vixq́; tollerandum illi videtur, tot litium anfractibus implicari; præſertim quòd in proſequendis huiuſmodi appellationibus, cùm ob diſtantiam locorum, tum ob ſumptuum magnitudinem, cauſâ cadere, vel vltrò etiam liti renunciare, neceſſum habeant. Sit ita ſanè: at appellationum remedia, duabus potiſſimum ex cauſis, inuenta eſſe quis ignorat? Prima quidem, quò grauatus habeat beneficium ad ſuperiorem Iudicem prouocandi; altera, quo iuriſdictio ſupremæ poteſtatis integra, illibataq́; conſeruetur. Iam ſi ſummo aliquo iure, ſeu potiùs iniuriâ, beneficium illud prouocandi ad ſuperiorẽ, clero auferatur: at qua ratione, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, ſummoq́ue Pontifici, Chriſti vicario,

vicario, ius ſupremæ poteſtatis tolli poſſit, non ſatis id mihi exploratum eſt. Quinimò ex hac (quod abſit) acephalia, membris nimirùm à proprio capite abſciſſis, atque auulſis, quid niſi certiſſimus totius corporis interitus expectandus eſſet? atque proculdubiò idem Clero eueniret, quod ouibus quondam, à lupis, innata alioquin antipathia ſibi infeſtis, de remouendis gregis cuſtodibus perſuaſis, accidiſſe fertur. Equidem hæc, non à Clero (cui talia comminiſci fas non eſt) extorquenda: ſed à ſancta Sede Apoſtolica, humilimis precibus impetranda eſſe cenſerem, quò videlicet, more aliarum nationum, ex ſpeciali beatitudinis ipſius indulto & conceſſione, Primati Regni, qui priuilegio legationis Apoſtolicæ gaudet, vel cuipiam alteri, perſonæ tamen ſpirituali, de huiuſmodi cauſis intra fines Regni cognoſcere liceret; idq́ue ſi fieri poſſet, appellatione remota. Quod ſi impetrari poſſit, ſatis puto iſti tàm acrium concertationum ſuarum, luculentam mercedem inde reportarent.

QVÆSTIO V.

Conſuetudo, & Statuta cõtra libertatem Eccleſiaſticam promulgata, vtrum de iure valeant: necne?

SVMMARIA.

1. *Conſuetudines & Statuta contra libertatem Eccleſiaſticam facta, ipſo iure non valent.*
2. *Statuta contra iura Eccleſiæ, vel Clericorum promulgata, ex volumine legum abradi debent.*
3. *Conſtitutio Friderici Imperatoris, de Statutis contra Eccleſiaſticas perſonas latis, abolendis.*
4. *Jus ſuum cuiq́; tribuere, naturalis æquitas ſuadet.*
5. *Jure Canonico, quales pœnæ in eos, qui Statuta contra Eccleſiaſticam libertatem ferunt, ſint conſtitutæ.*
6. *Conſtitutionum Regni compilatores, an excuſandi ſint: quòd contra iura Eccleſiaſtica leges concinare præſumant.*
7. *Statuta & leges contra libertatẽ Eccleſiaſticã facta, quæ dicantur.*
8. *Statuta, ſeu leges laicorum, quando ligent Clericos.*
9. *Conſtitutiones Anni 1607. libertatibus atq́; immunitatibus Eccleſiaſticis repugnant.*

1 COnſtitutiones * & Statuta
contra libertatem Eccle-
ſiaſticam, vel Clericorum fa-
cta & fienda, ipſo iure non va-
lere, & Clericos nulla ratione
ligare poſſe, pluſquàm mani-
feſtum eſt, idque per textum
in auth. *Cauſa.* Cod. *de ſacro-*
2 *ſan: Eccleſiis.* Quinimò * hu-
iuſmodi Statuta de volumine
legum abradi debent: & non
ſolùm ſtatuentes, ſed etiam
conſentientes, talibuſque Sta-
tutis vtentes, & omnes in tali
loco habitantes puniuntur;
prout habetur in Cōſtitutione
Friderici Imperat. tit. de ſtatu-
tis & cōſuetudinibus contra li-
bertatē Eccleſiaſt. edit. quàm
de verbo ad verbum hîc pone-
re operæ præcium eſſe duxi.
3 *Ad decus* * inquit Imperator, *& hono-
rem Imperij, & laudem Romani Principis,
nihil omninò magis videtur accedere,
quàm vt expurgatis quibuſdam erroribus,
& iniquis quorundam ſtatutis penitus de-
ſtitutis, de cætero Eccleſia Dei plena quie-
te vigeat, & ſecura gaudeat libertate. Sa-
nè adeò infidelium quorundam & iniuſto-
rum iniquitas abundauit, vt non dubitent
contra Apoſtolicam doctrinam, & ſacros
Canones, ſtatuta ſua confingere, contra Ec-
cleſiaſticas perſonas, & Eccleſiæ liberta-
tem. Cùm ergo diſpoſitione diuina fauen-
te, nihil velit Eccleſia (quæ nihil debet præ-
ter bonum appetere) quod nobis eodem con-
curſu, & eadem non placeat voluntate:
Nos Fridericus Romanorum Imperator,
ſemper Auguſtus, hac edictali lege, irrita-
mus, & irrita nunc amus omnia ſtatuta
& conſuetudines, quæ Ciuitates vel loca,
poteſtates, Conſules, vel quæcunq; aliæ
perſonæ, contra libertatem Eccleſiæ, vel
Eccleſiaſticas perſonas edere, vel ſeruare,
aduerſus Canonicas, vel Imperiales ſan-
ctiones præſumpſerint, & ea capitularibus
ſuis mandamus, intra duos menſes poſt hu-
ius publicationem edicti, penitus aboleri:
& ſi de cætero ſimilia attentauerint, ipſo
iure decernimus eſſe nulla, & eos ſua iu-
riſdictione priuatos, ſuperiori protinus ap-
plicanda, necnon locorum, vbi deinceps ta-
lia præſumpta fuerint, banno mille Marca-
rum præcipimus ſubiacere. Poteſtates verò
Conſules, Rectores, Statutarij, & Scripto-
res dictorum Statutorum, necnon & Con-
ſiliarij locorum ipſorum, qui ſecundum ſta-
tuta vel conſuetudines memoratas iudica-
uerint, ſint extunc ipſo iure infames; quo-
rum ſententias & actus alios illegitimos
præcipimus aliquatenus non tenere. Quod
ſi perannum huius noſtræ conſtitutionis in-
uenti fuerint contemptores, bona, per to-
tum noſtrum imperium, mandamus impu-
nè ab omnibus occupari: ſaluis nihilominus
alijs pœnis, contra tales in generali Con-
cilio promulgatis.*

En quàm grauiter, imò quàm
ſanctè & religioſè, de liberta-
tibus Eccleſiaſticis Imperator
hîc ſtatuat; nec immeritò id
quidem. Cùm enim * omni- 4
bus hominibus, qui moribus
& legibus reguntur, præceptū
eſſe conſtet, ius ſuum cuiq; tri-
buere: quis eos, qui prærroga-
tiuis & immunitatibus Eccle-
ſiaſticis, manus (vt ita dicam)
inijcere prẹſumunt violentas,
ſummæ præſumptionis & te-
meritatis non arguat? Certè
hoc facto Saluator ipſe, in mi-
niſtris ſuis ſe flagellari, atque
iterum crucifigi, in Euangelio
5 monet. Ac proinde * ſacri
quoq; Canones eam rei indi-
gnitatē non ferentes, ad repri-
mendam huiuſmodi violato-
rum libertatis Eccleſiaſticæ
audaciam, præter eas pœnas,
quæ in ſuperiùs commemora-
ta cōſtitutione proponuntur,
excommunicationis quoque
mucrone eos feriendos eſſe
cenſuerunt: prout id in cap:
Nouerit. 49. tit: *de ſentent. ex-
communicat* exprimitur his
verbis: *Excommunicamus omnes
hæreticos vtriuſq; ſexus, quocunq;
nomine cenſeantur, & fautores,
& receptatores, & defenſores eorū.
Necnon & qui de cætero ſeruari fe-
cerint, ſtatuta, edicta, & conſuetu-
dines introductas contra Eccleſiæ li-
bertatem, niſi ea de Capitularibus
ſuis intra duos menſes poſt huiuſmo-
di publicationem ſentētiæ, fecerint
amoueri. Item excommunicamus
Statutarios, & ſcriptores ſtatutorū
ipſorum, necnon poteſtates, Conſu-
les, Rectores, & Conſiliarios loco-
rum, vbi de cætero huiuſmodi ſtatu-
ta & conſuetudines editæ fuerint,
vel ſeruatæ, necnon & illos qui ſe-
cundum ea præſumpſerint iudicare,
vel in publicam formam ſcribere
iudicata.* Ac inſuper ſi habeant
fæuda, vel alia beneficia Eccle-
ſiaſtica: ipſo iure, abſque alia
priuatione, talia beneficia
amittunt, idq; per expreſſum
text: in cap: *Grauem.* 53. tit: *de
ſenten. excommunicat.* Iam vi-
deant * iſti noſtri nomothe- 6
tæ, qui in publicis Regni Co-
mitijs, non tantùm in præiu-
dicium libertatum Eccleſiaſti-
carum, & vniuerſi Cleri, ve-
rumetiam, quod grauiùs ferē-
dum eſt, in contemptum ſan-
ctæ Romanæ Eccleſiæ (cuius
filios ſe eſſe profitentur) atq;
adeò ipſius Vicarij Chriſti, le-
ges impias ac deteſtandas fi-
gunt atque refigunt; vel qui il-
lis conſenſum præbent, opem
auxiliumque præſtant, immò
ſæpius tanti ſacrilegij ipſi au-
thores exiſtunt: videant in-
quam, quâ fronte, quauè con-
ſcientia hunc errorem, nè di-
cam temeritatem ſuam, excu-
ſare poſſint? Sanè timorem
Dei abiecisse is videtur, qui
conſcientiæ ſuæ prodigus eſt.
At nè

7 At nè * fortè, tàm manife-
ſto errori culpam ignorantiæ,
quaſi ſpecioſum velamen
quoddam, obtendere poſſent:
quænam ſtatuta contra liber-
tatem Eccleſiaſticam eſſe di-
cantur, explicandū nobis erit.
Et inprimis ſciendum eſt, illa
ſtatuta contraria Eccleſiaſticæ
libertati dici, ex quibus tol-
luntur vel diminuuntur priui-
legia Eccleſijs vel Eccleſiaſti-
cis perſonis, à Pontifice, vel
alicuius Regni aut Prouinciæ
ſuperiori magiſtratu conceſ-
ſa; ſecund. Innocent. in d.
cap. *Nouerit*. Vel quando Cle-
rici impediuntur facere ea,
quæ ſunt ipſis conceſſa à iure
communi, & ſic quando fiunt
ſtatuta contra ea, quæ de iure
communi; competunt Cleri-
cis, vt notatur in cap. *Eccleſia*
Sanctæ Mariæ, tit. de Conſtit.
Vel etiam quando volunt Ec-
cleſiam, vel Clericos, ipſorum-
ué ſubditos ſubijcere ſeruitu-
ti, & publicis functionibus,
de quo eſt caſus in dict. cap:
Grauem. Vel denique, quan-
do per huiuſmodi ſtatuta, Cle-
rici efficiuntur timidiores,
& laici audentiores ad nocen-
dum, argum. l. 1. §. *quæ one-
randæ*. ff. *quar. rer. act. non da-
tur*. quod etiam probat Abb.
in d. cap. *Nouerit*. per d. cap.
Grauem. Et in ſumma * quan- 9
do ſtatuta aut leges laicorum,
ſpecificè diſponunt ſuper bo-
nis, vel perſonis Eccleſiaſti-
cis, etiamſi commodum & fa-
uorem earum cōcernant, nul-
lo tamen modo ſeruari debēt.
Ratio eſt, quia neque Impe-
rator, neque Rex, nec alius ſe-
cularis habet poteſtatem ſu-
per Eccleſias, aut perſonas ſpi-
rituales: prout in cap. *Eccleſia*,
10. diſponitur his verbis: *Nos
attendentes*, inquit Innocentius
III. Papa, *quòd laicis, etiam reli-
gioſis ſuper Eccleſiis & perſonis Ec-
cleſiaſticis, nulla ſit attributa facul-
tas, quos obſequendi manet neceſſi-
tas, non auctoritas imperandi, à qui-
bus ſi quid motu proprio ſtatutum
fuerit, quod Eccleſiarum etiam re-
ſpicit commodum & fauorem, nul-
lius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccle-
ſia fuerit adprobatum*, tit. de Con-
ſtitutionib. Quibus adſtipula-
tur alius quoq; textus, in cap.
Quæ in Eccleſia. 7. tit. eod. Se-
cus eſt, quando leges aut ſta-
tuta generaliter feruntur, non
faciendo mentionem Cleri-
corum, aut bonorum Eccle-
ſiæ, & non repugnant cano-
nibus, rationabiliaque ſunt;
tùm etiam

tùm etiam quo ad Clericos,
& Eccleſiaſticas perſonas ex-
tendi poſſunt. Exempli gra-
tia; ſi ſtatutum diſponat, vt
exiſtentibus maſculis mulier
non ſuccedat, etiam de Cleri-
cis ad ſucceſſionem ante fæ-
minas vocandis, intelligi de-
bet: vt notat Panor: in cap:
Conſtitutus. tit: *de reſtitut: in
integrum*. Vnde omnes le-
ges, diſponentes ſuper con-
tractibus, emptionis, vendi-
tionis, locationis, conductio-
nis, commodati, & alijs huiuſ-
modi rebus, ſi non contradi-
cunt Canonibus, vel legi natu-
ræ: etiam quo ad Eccleſiaſti-
cas perſonas porrigi debent.
pro quo facit textus in cap: 1.
in verbis: *Quia verò ſicut leges
non dedignātur ſacros Canones imi-
tari; ita & ſacrorum ſtatuta Ca-
nonum, Principum Conſtitutioni-
bus adiuuantur*. tit: de noui ope-
ris nunciat. Ex quibus ma-
9 nifeſtò * apparet, omnia illa
Statuta, quæ hoc infelici no-
ſtro æuo, maximè verò omnes
illas Cōſtitutiones Anni 1607.
quæ turbata Repub: ob do-
meſticas diſſenſiones, contra
perſonas ſpirituales, reclamā-
tibus & proteſtantibus Epi-
ſcopis, atque vniuerſo huius
Regni Clero, ſummo iure,
ſummaué iniuriâ à ſecularib⁹
promulgatæ, & in volumen
legum publicarum relatę fue-
runt, contrarias atq; omninò
repugnanres eſſe libertati Ec-
cleſiaſticæ: vtpotè, per quæ
vel diminui, vel omninò fun-
ditus tolli videntur priuilegia
Eccleſiæ vel ordini Eccleſia-
ſtico ſeruientia. Nam quæ ibi
de ſuſpenſione, de præſcripti-
onibus Decimarum, & alio-
rum fructuum, ex bonis &
cenſibus iure reemptionis Ec-
cleſijs adſcriptis, prouenienti-
um, de Annatis, de ſcultetis,
de foro ſpiritualium, de appel-
lationibus ad Curiam Roma-
nam non admittendis, de ple-
beis ad Eccleſias etiam Colle-
giatas non recipiendis, ſine
Status ſpiritualis conſenſu à
ſecularibus ſtatuuntur, quid
aliud niſi temerariam quan-
dam manuum quaſi iniectio-
nem, in iura & immunitates
Eccleſiaſticas ſapiunt? cùm
nō quod antiquæ conſuetudi-
ni, perpetuoq; (ex quo Regnū
hoc Chriſtianæ religionis ſa-
cra ſuſcepit) vſui, conſenta-
neum; non quòd æquitati, aut
iuribus Eccleſiaſtici Ordinis
conueniens eſt: ſed quòd pro-
priæ te-

priæ temeritati, & quicquid libet faciendi licētiæ, applaudere videbatur, in legibus & Conſtitutionibus huiuſmodi cõtineri nemo negare poteſt.

QVÆSTIO VI.

Statuta ſeu Conſtitutiones Regni, de Annatis Romanæ Curiæ denegandis, an iuri ſint conſentaneæ, necne?

SVMMARIA.

1. *Conſtitutiones de Annatis, ob importunitatem ſecularium promulgata.*
2. *Contra Annatas Concilij Baſilienſis decretum opponitur.*
3. *Priuatus priuatum iure ſuo ſpoliare non poteſt.*
4. *Annata iure diuino introducta.*
5. *Annatarum Summo Pontifici perſoluendarum vtilitas.*
6. *Ratio exigendarum Annatarū in Curia Rom. quomodo conſtet.*
7. *Authoris de Annatis ſententia.*

1 EXtant * de Annatis, tàm ſuperiorum, quàm recentium temporum, plures in volumine ſtatutorum Regni leges, à piiſſimis illis Regibus & Principibus, non tàm ipſorum voluntate, aut communi conſenſu omnium Ordinum Regni, quàm importunitate atq; temeritate quadam ſecularis ſtatus promulgatæ: cuius rei indicio eſt Statutum illud primum de Annatis, Sigiſmundi Regis, Anni 1543 vbi inquit: *Satisfaciendo poſtulationibus Dominorum Conſiliariorum noſtrorum ſecularium, & Nunciorum terreſtrium, mittemus ad Sanctum Patrem petitum Annatas, vt nè eas de Regno efferri permittamus, ſed vt remaneant pro defenſione Reipub. in Regno. Quod ſi eas impetrare non poſſumus, tamen iam ex nunc renunciare illi debemus; eaſdem Nos, neque daturos eſſe, neque efferri vlla ratione permiſſuros.* Quod Statutum, licet optimus Princeps ob importunas preces (quemadmodum ipſe atteſtatur) ſecularium promulgari paſſus fuerit; nunquam tamen eas ad effectum perducere in animo habuit, idq; ob ſummam, quæ indè promanere videbatur, rei indignitatem. 2 Equidem * non ignoro, quid iſti nomophori cum illo coryphæo ſuo Przyluſio, contra Annatarum iura effutiant? quomodo contra ſanctam ſedem Apoſtolicam debacchentur? cum quibus maledictis atq; conuicijs certare, non eſt mei inſtituti; rem nihilominus ipſam, ſicco pede non eſſe prætereundā, arbitratus ſum. Pro baſi illi & fulcimento huius cauſæ, Concilij Baſilienſis allegant decretum, quo huiuſmodi Annatæ, & alij Simoniaci quæſtus prohibētur: cùm omnibus, etiam lippis atque tonſoribus (vt vulgò aiūt) notum atque exploratum ſit, Concilij illius, quod in ſchiſmate, puta abſque capite, ipſo nimirùm Summo Pontifice, quinimò contra Pontificem, indebitè atq; illegitimè celebratum fuit, nullam eſſe authoritatem. Ac proinde, quemadmodum neq; Cōcilij illius (ſi fortè Concilium, dici meretur) authoritati, facultas Annatarum Sanctæ Sedi Apoſtolicæ adimendarum competebat: ita nō video, qua ratione leges ſeu conſtitutiones Regni, id vſurpare ſibi poſſint, aut debeant. Nam ſi
3 hoc * nō ſolùm patriæ noſtræ, verùm omnium nationum leges & iura non permittunt, vt priuatus priuatum iure ſuo, indicta cauſa ſpoliare poſſit; multominùs de irroganda Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, quæ pro capite totius Chriſtianitatis meritò reputari debet) hac tàm inſigni iniuria, vt nimirùm iure ſuo, longo vſu, totius Chriſtiani orbis conſenſu acquiſito, priuari debeat, vlla lege, aut conſuetudine conſtitui poteſt.

Ac nè * quiſpiam fortè in eo etiam hallucinetur, ac ſi Annatarum ratio, mera tantū & abſoluta vſurpatione, non autem iure, aut conceſſione aliqua, ad Sanctam Sedem Apoſtolicam pertineat; idcircò ſciendum eſt, ius primitiarum (quòd ipſas Annatas denotat, quando nimirùm fructus primi anni ex Sacerdotijs, Summo Pontifici offeruntur (lege Diuina, ipſis Summis Pontificibus adſcriptum atque attributum eſſe. Decimis enim pro vſu Leuitarum, id eſt, ſacerdotum, à populo Iſraelitico percipiendis, aſſignatis, ipſe Dominus ad Moyſen ita loquutus eſt: *Præcipe*, inquit, *Leuitis, atq; denuncia, cùm acceperitis à filijs Iſrael Decimas, quas dedi vobis in oblationem primitiuorū, tàm de areis, quàm de torcularibus, & vniuerſis, quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron Sa-* 4

ron Sacerdoti. Num:cap:18. Nec quisquam id sibi persuaderi sinat, quòd huiusmodi primitiæ, seu Decimæ Decimarum, vnà cum Leuitico Sacerdotio, per nouam Euangelij legem introductam cessauerint; & ideò nulla ratione præstari ampliùs debeant, quemadmodum asserit Prilusius; nam quamuis olim, secundùm S. Thomam 2.2.qu:86. primitiæ erant de præcepto cæremoniali, quoad determinationē, putà quòd Summo Sacerdoti exhiberentur: nunc tamen eas esse de præcepto Ecclesiæ, & consuetudine antiqua, cuius nō est memoria. Nam cùm ratione sui ministerij maioris sint dignitatis Sacerdotes noui testamenti, quàm veteris; meritò etiam populus nouæ legis, ad maiora illis præstanda obligatur, quàm populus Veteris testamenti. Cùm
5 itaque * Annatæ, nihil aliud sint, nisi Decimæ Decimarum, quæ non solùm ex præcepto Diuino, sed etiam ex antiquissima consuetudine, Summis Pontificibus, citra omnem inuidiam, ab omnibus Christianis penduntur, idque vel ob eam potissimū causam, quòd in necessitate aliqua insigni ipsius Ecclesiæ, vel Christiani alicuius populi, sancta Sedes Apostolica, tanquam pia mater omnium Christianorū, ex huiusmodi prouentibus auxiliatricem manum plurimis porrigere consueuerit. Cuius rei exempla euidentissima, si nō externa & peregrina, at saltem domestica passim nobis occurrunt: quale est illud, quod tempore Casimiri Magni Regis, circiter Annum Domini 1351. à Pontifice Clemente Sexto, huiusmodi Decimam Decimarū, pro cōmodo Regni, donatam fuisse, Cromerus pag: 213. adnotat, idemq; factum fuisse sub Casimiro tertio, supra in qu: de Decimis, docui. Ac proinde * 6
iustitia, imò ipsa humanitas id exigere videtur, nè de interuertēdis illis tātoperè solliciti simus; præsertim verò, quòd non vsque adeò (vt quidam fortè opinantur) magnos & ingentes thesauros ea res nobis, Regnoue nostro sit importatura. Nā in decursu aliquot annorum, vix aliquando decem, vel viginti millium florenorum summam, Annatarum nomine ad Rom: Curiā à nostra-

à nostratibus conferri, certò affirmare possim. Non enim quisquam illud existimet, veri valoris reditus primi anni illuc conferri; sed iuxta antiquam taxam beneficiorum, (in qua census alijq; fixi prouentus tantummodò continētur) rationem exigendarum huiusmodi Annatarum in Curia Rom: constare. Quæ res exigui certè momenti esse videtur: quemadmodum dùm Romæ essem experimēto ipse didici, idq; duos Episcopatus, Vladislauien: nimirùm; & alterum Varmiensem, in Curia Romana expediendo, quorū hic quadringentis aureis; ille verò octingentis ferrè, ratione Annatarum æstimatus fuit. Vnde facilè colligi potest, quid de cæteris Episcopatibus, præsertim Metropolitanæ Leopolien. Suffraganeis
7 sentiendum sit. Optarem * sanè, vt iam tandem aliquando importunis, ac (vt dicam quod res est) sordidis istiusmodi querelis, silentium imponatur, nè videlicet hac in parte, toti orbi Christiano, ingenij nostri morbos prodamus. Non pœniteat nationem nostram, omnium Christianorum, puta Germanorum, Hispanorum, Italorum, aliorumué, qui Sanctam Sedem Apostolicam, tanquam caput totius orbis Christiani, vnicè colunt atque obseruant, sequi exempla; à quibus huiusmodi pensiones, nulla prōportione cum his, quæ ex hoc Regno proueniunt, Annatis cōparandas, magna alacritate, & plena (vt aiunt) manu, sine tædio, aut querimonia, ad Curiam Rom: quotidiè perferri videmus.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Ordo Ecclesiasticus ad onera publica ferenda teneatur: & an subditi illorum, puta Sculteti & Aduocati, ad expeditionem bellicam cogi possint?

SVMMARIA.

1. *Ecclesiasticæ personæ, & subditi eorum, à functionibus publicis immunes sunt.*
2. *Munera publica quomodo distinguantur.*
3. *Munera personalia, quando Ecclesiasti-*

clesiasticæ personæ obire non teneantur.

4. *Ecclesiastici, illorumué subditi, ad munera vilia & sordida non obligantur.*

5. *Patrimonialia munera quæ dicuntur, & an Clerici his subsint.*

6. *Ecclesiastica bona ad soluenda tributa quando obligentur.*

7. *Collectæ seu subsidia extraordinaria, clericis imponi non possunt, statutis laicorum.*

8. *Statuta Regni de Sculteis, & Aduocatis, spiritualium ad bellum mittendis, an iuri vel æquitati sint consentanea.*

9. *Status Regni, duplici ordine, spirituali nimirùm & seculari constat.*

10. *Bona spiritualium à seruitio militari immunia esse debent.*

11. *Diplomata Regum, in quibus Ecclesiastica bona à seruitio militari eximuntur.*

12. *Statutum Casimiri Magni, de Sculteterum præfectione ad bellum, quomodo intelligendum.*

13. *Constitutio Anni 1563. de redimendis Sculteis, etiam ad bona spiritualium extenditur.*

14. *Statuta de remouendis inutilibus & rebellibus Sculteis, passim in Regno practicantur.*

15. *Defensio Regni iam ferè soli Ordini Ecclesiastico accepta ferri debet.*

Iam antè quæstione 5. * di- 1
ctum fuit, contra Ecclesiasticam libertatē id fieri, quando Ecclesiasticæ personæ, vel subditi eorum, ad onera seu functiones publicas adiguntur, à quibus omninò immunes esse debent; idque ex dispositione sacrorum Canonum, maximè verò Concilij Lateranen: quòd in cap. *Non minùs.* 4. hac verborum serie recensetur. *In diuersis mundi partibus, Consules Ciuitatum, & Rectores, necnon & alij, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, vt deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis diuinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis seruituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico administrauit: Isti verò onera sua ferè vniuersa imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas adfligunt, vt eis,* quòd Hieremias deplorat, *competere videatur, Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Siue quidem fossatam, siue expeditiones, siue alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis, volunt ferè cuncta compleri. Iurisdictionem etiam & auctoritatē Prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus; nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel vtilitatem adspexerint, vt absq; vlla exactione, ad reuelandas communes vtilitates vel necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alij de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint, tàm ipsi, quàm fautores eorum, excommunicationi sese nouerint subiacere, nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.* tit: *de immunitat: Ecclesiar.* pro quo faciunt etiam text: in cap: *Grauem.* tit: *de senten: excom.* & in cap: *Generaliter.* 40. §. *Nouarum.* 16. quæ: 1. vbi Imperatorum quoq; Romanorum, Honorij & Theodosij, his de rebus extat decretum, cuius contextum hîc adscribere lubet: *Placet,* inquiunt Imperatores, *rationabilis consilij tenore perpenso, districta moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus singularũ vrbium Ecclesiæ habeantur immunes, prima quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est, nè prædia vsibus cœlestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fæce vexentur, nihil extraordinariũ abhinc super indictumué flagitetur, nulla translationum sollicitudo signetur, postremò nihil præter Canonicam illationem, quam aduentitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit, eius functionibus adscribatur. Si quis contra venerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ ergà sacrilegos iure promenda est, exilio deportationis perpetuò subdatur.* Cod: de sacrosanctis Ecclesijs. Quæ priuilegia atque immunitates Ecclesiasticas, etiam ipse Przylusius, alioquin Clero iniquus & infestus, suis statutis inserere non dubitauit; vt videre est sub tit: *de libertat: Eccles.*
Verùm * tamen vt 2
hæc materia de muneribus publicis planior fiat, tenenda est distinctio, quæ habetur in l. 1. in princ. ff. *de muneribus & honorib.* Aut enim munera publica dicuntur merè personalia, quæ videlicet opera ipsius hominis explicantur, sine detrimento vel vsu rerũ ipsius; & istorum quædam habent honorem annexum, vt sunt officia secularia, puta gerere

rere magiſtratum Notarij vel Vicenotarij, in cauſis ſecularibus munus obire; ad hæc * perſonæ Eccleſiaſticæ non tenentur. Nemo enim militans Deo, implicare ſeſe debet negotijs ſecularibus. per text: in capit: *Sacerdotibus.* & in capit: *Sed & procurationis.* tit: *nè Cler: vel Monach.* Quibus concordat Statutum illud Sigiſmundi Regis, Petricouiæ Anno 1538. latum, quo prohibetur, nè ſpirituales iudicijs ſecularibus ſe immiſceant. Quædam verò neque honorem, neque vituperium aliquod habent annexum, quæ dici poſſunt munera ſimplicia vel neutra; qualia ſunt legationes, tutelæ vel curæ, & huiuſmodi alia, ad quæ Eccleſiaſtici inuiti cogi non poſſunt: per text: in l. *generaliter.* 52. Cod: *de Epiſc. & Cleric.* attamen ſi volunt, poſſunt fungi hiſce muneribus, idq; argum. text. in cap: *Peruenit.* 26. diſtinct: 88.

4 Quædam deniq; * munera perſonalia, ſunt ſordida & inhoneſta, quæ vilia quoq; appellari poſſunt; vt ſunt cloacæ mundandæ, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, foſſati purgandi, & huiuſmodi: de quibus in l. *maximarum.* Cod. *de excuſat: muner:* habetur. ab his non ſolùm Eccleſiaſticæ perſonæ, verùmetiam mācipia ſeu coloni Eccleſiarum, ſunt immunes: per text: in d. capit: *Generaliter.* §. nouarum. 16. qu: 1. Et in l. *placet.* Cod. *de ſacroſan: Eccleſiis.* quod multò clariùs ex Conſtitutione Imp: Cōſtantini, in l. *omnis.* 2. Cod. *de Epiſcop: & Cleric:* patet, cuius hæc ſunt verba: *Omnis, à Clericis, indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repelletur improbitas, nullaq; conuentio ſit cōtra eos munerum ſordidorū: & cum negotiatores ad aliquā præſtationem competentem vocantur; ab his vniuerſis iſtiuſmodi ſtrepitus conquieſcat, ſi quid vel parſimonia, vel prouiſione, vel mercatura (honeſtatis tamen conſcia) congeſſerint, id in vſum pauperum atq; egentium miniſtrari oportet, ad id, quod ex eorundem ergaſteriis vel tabernis cōquiri potuerit, & colligi, collectum id religionis exiſtiment lucrum.* Nec obſtat l. *neminem.* 11. Cod. eodem. quæ vult, quòd in aduentu Principis debeant ſolita miniſteria exhiberi, licet ad ſacroſanctas Eccleſias poſſeſſiones pertineāt. Nam hæc lex poſterior, non potuit derogare

rogare priori, in fauorem Eccleſiæ à Conſtantino conceſſæ: Ratio eſt, quia bona Eccleſiaſtica, quæ iure diuino ſunt exempta, legibus humanis ſubiacere non poſſunt; cap. *Si Imperator.* diſtinct. 96.

5 Aut dicuntur onera patrimonialia ſeu realia, quæ videlicet ſumptibus patrimonij, & damnis adminiſtrantis expediuntur: per text. in l. *Munerum.* fin. in pr. ff. *de munerib. & honor.* Exempli gratia, quòd nauis, aut currus, ſubditiué Eccleſiaſtici ad militiam, vel aliud ſeruitium Reipub: vadant: & ad hæc Eccleſiaſtica bona non tenentur, quia non poſſunt ad illa onerari. Poſſeſſiones enim quæ dantur Eccleſiæ, dantur Deo; & ideò ſecularis poteſtas, tanquam ſubdita, non poteſt ſtatuere ſuper rebus Deo dicatis, per text. in d. cap. *Quæ in Eccleſiarum.* tit: *de Conſtitut.* Cùm Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ, ac res ipſarum, non ſolùm iure humano, ſed & diuino, à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes, prout habetur, in cap. *Quanquam.* de cenſibus in 6. Quòd
6 tamen * aliter ſe habet, ſi res vel bona, quibus imponuntur talia munera, habeant onus tale perpetuum annexum certum atque immutabile, antequam peruenirent ad Eccleſiam, idque ſiue ex diſpoſitione publica, puta Principis, ſiue ex diſpoſitione priuata, vt in tributo ſoluendo, per text. in l. *Imperatores.* ff. de public. & in cap. 1. in fin. tit. de cenſibus; vbi inuitur, quòd quælibet, poſſeſſio eſt onerata ad ſoluenda tributa: & ſic Eccleſia quoque à talibus immunis eſſe non poteſt, quia res tranſit cum onere ſuo, argum. cap. *Paſtoralis.* tit. *de Decimis.* Sin autem ſint onera variabilia, & repentina, quæ in capita ex nouis edictis imperari ſolent: certum eſt Eccleſiam, vel Clericos, ad illa non teneri, per text. in cap. 1. §. 1. tit: *de iure Patron.* in 6. Panorm. in cap. vlt. tit: *de Cler. non reſid.* Ratio eſt, quia talia onera imponuntur perſonæ, non habita ratione patrimonij, per text. in l. *vnica.* Cod. *de capit: ciui. cenſib. eximend. lib: 11.* Quales * in 7
Regno annis ſuperioribus, pro militibus Confœderatis fuêre contributiones ſeu exactiones illæ deteſtandæ, vbi

Clerus contra ius & æquum, præter ordinaria tributa ſeu contributiones, ad extraordinaria etiam quædam ſubſidia, ſeu donatiua præſtanda, inuſitato quodam modo, nullaq́; habita ratione immunitatum Eccleſiaſticarum adigebatur. Licet enim imminente maxima neceſſitate Reipub. tales collectas Clero aliquando imponi poſſe; non negarim attamen, non priuato laicorum mandato aut impulſu, ſed ſeruatis ſeruandis, id fieri debere, explorati iuris eſt. Primò enim neceſſariò requiritur conſenſus totius Cleri, & non ſufficit ſolius Capituli; deinde, quòd laicorum facultates ad releuandum illud onus non ſuppetant, idq́; per text. in cap: *Non minus.* tit: *de immunit. Eccleſ.* facit etiam text. in d. cap: *Grauem.* tit: *de ſententia excommunicat.* Denique requiritur hodie, quòd fieri id debeat, ſancta Sede Apoſtolica prius conſulta, per text. in cap: *Aduerſus.* tit: *de immunit. Eccleſ.* quòd etiam in Conſtit: Synod: Prouinc. tit: eodē probatur: alioquin pœna talium collectantium, Eccleſias vel Clericos, eſt excommunicatio, per text. in d. cap: *Non*
minus. Cæterum * ex his, quæ 8
de impoſitione munerum realium, Eccleſiaſticis, ſubditiſué illorum ſuperiùs expoſita ſint, facilè colligi poteſt, quantum iuris, quantumué æquitatis habeant, iſti noſtri legum patriarum tàm ſtrenui propugnatores, qui leges ſeu Conſtitutiones illas, de Scultetis & Aduocatis Spiritualiū, tanto ſtudio, tantoque conatu promouent, & ſingulis ferè Regni Comitijs, pro illis, tanquam pro aris & focis, nimis acriter decertare ſolent, quaſi verò in eo robur totius militiæ, ſolidique contra hoſtium incurſus præſidij, ratio conſiſteret; cùm tamen res longè aliter ſe habeat. In memori-
am * ſi quidem iſti reuocare 9
ſibi deberent, Regni huius ſtatum: eum nimirum duplici ordine, ſpirituali & ſeculari conſtare. Et quidem ſeculari defenſionem Regni merè & propriè incumbere; ſpiritualis verò officiū eſſe, Deum ſacrificijs & orationibus placare, religioſiſſimus ſimulq́; prudentiſſimus ille Princeps, Sigiſmundus primus Rex, Petricouiæ in Conuentione Regni, Año 1544. authoritate ſua declarauit. Vnde conſequens eſt
10 * quòd quemadmodum perſonæ ſpiritualium, à ſeruitio militari immunes ſunt, ita bona quoque, & ſubditi illorum exempti eſſe debent, vtpotè, quæ ad cultum tantummodò diuinum, & ad vſum Eccleſiarum, collata atq; dicata ſunt, per iura ſuprà allegata. *Nam*, vt verbis illius quoque tanti Cleromaſtigis, Przyluſium intelligo, vtar; *libertas Eccleſiaſticis omninò debet præſtari integra, nè ſcilicet domus Dei humanis ſubſint ſeruitutibus, vel miniſterium Euangelij ſacerdotum curæ commiſſum, hæreat, ac vi turbetur; Sacerdotes enim omnium miniſtri, ac ſalutis procuratores ſunt, quam ob cauſam pij Principes, illorum ordinem primarium in Repub: eſſe voluerunt, à ſeruitutibusq́; & tributis, vnà cum illorum fundis, fecêre exemptos.* hucuſque Przyluſius. En quàm ſtudioſè, imò quàm piè atque religioſè, alter iſte Balaam, dùm profligare vult Clerum, eundem attollat, atque propugnet ipſius im-
11 munitates? Verùm * omiſſo etiam iſtius Zoili teſtimonio, non deſunt alia plurima, eaque antiquiſſima Regum atq; Principum huius Reipub. Eccleſiaſtico ordini indulta priuilegia, quæ ſi id iuſta & legitima exigeret neceſſitas, nullo negotio in medium proferri poſſent; nunc vnum aut alterum, quo magis ac magis rei ipſius veritas eluceſcat, hîc adſcribere libuit.

Et primum quidem Boleſlai Ducis Cracouien: & Sendomirien: ſic ſe habet.

In nomine Domini Amen. Cùm vſus rerum temporalium, ac earum ſpetioſum dominium, ad futuram gloriam promerendam, nil afferant, niſi quatenus ad pias cauſas ſeu charitatis opera conuertuntur: Hoc ſolers noſtrorum Prædeceſſorum Principum prouidentia diligenter aduertens, pro eadem conſequenda gloria, Diuini cultus intuitu, mirificas extruxit Eccleſias, tàm Cathedrales, quàm Collegiatas, quàm etiam religioſorum & ſecularium plures Eccleſias, villis, poſſeſſionibus, prouentibus, ac bonis alijs, ſecundùm exigentiam cuiuslibet, ipſas copiosè dotando, varijs libertatibus & priuilegijs decorando. Nos etiam Boleſlaus, Dei gratia Dux Cracouien: & Sandomirien: tàm ſalubribus eorum veſtigijs inhærere volentes, vnà cùm Sereniſſima genitrice noſtra Grimiſláwá, de maturo conſilio & con-

& consensu nostrorũ militum decernimus, & promittimus, libertates & priuilegia qualibet, per Nos alias, & per nostros prædecessores concessas Ecclesiis & personis Ecclesiasticis quibuscunque, perpetuò inuiolabiliter obseruare. Quinimò, quæ à nonnullis nostris Prædecessoribus obmissa, neglecta, seu etiam immutata sunt, supplere ac reformare volentes, ad Omnipotentis Dei gloriam & honorem, & beatæ Matris semper Virginis gloriosæ, sanctorũq; Martyrum, Venceslai & Stanislai Pontificis Cracouien: Ecclesiæ Patronorum, & in remissionem omnium nostrorum peccaminum; necnõ protunc Venerabilis Patris nostri, Domini Prandotæ, Dei gratia Cracouien: Ecclesiæ Antistitis intuitu, eidem Ecclesiæ Cathedrali, cæterisq; Collegiatis, secularibus, religiosis, & aliis quibuslibet Ecclesiis, in nostro Dominio constitutis, hanc concedimus libertatẽ, vt in villis, possessionibus, & prouentibus, & quibuslibet bonis suis olim sibi acquisitis, & inposterũ quocunq; titulo acquirendis, ab omni seruitio, seruitute, angaria, vexatione, thelonio, solutione, collecta, exactione generalibus vel specialibus, quocunq; nomine censeãtur, necnon à iurisdictione omniũ Castellanorũ, Palatinorum, & quorũlibet Iudicũ, sint perpetuò à nobis & nostris successoribus, prout & à Nobilibus nostris penitus liberæ & exẽptæ: vt sic ea, quæ dicti Prædecessores nostri singularibus impenderũt Ecclesiis, nos in testamentum sempiternũ generaliter omnibus Ecclesiis impendamus. Insuper, vt Episcopus cũ Clero suo possit diuinis laudibus liberiùs insistere & inuigilare, præsertim hostilitatis tempore orationibus, ipsum, qui per tẽpora fuerit, Episcopum, & Capitulum suum, totumq; Clerum ab expeditione qualibet intra vel extrà terminos nostros perpetuò volumus esse liberos & exemptos: ita videlicet, quod de villis, possessionibus, & alijs bonis suis Ecclesiasticis, venire personaliter, aut aliquos homines ad expeditiones mittere non teneãtur. Hoc dũtaxat excepto, quod tẽpore incursus subiti Lithuanorũ, de Kielcien: & Tarsien: Castellaniis, Episcopus homines suos ad expeditionẽ, prout in quodam alio nostro Priuilegio distinximus, mittere teneatur. Quas etiam Castellanias, prout & alias per nostros Prædecessores olim prædictæ Cracouien: Ecclesiæ attributas, ab omni alia expeditione, seruitio seruitute, angaria, vexatione, statione, solutione, exactione, collecta, thelonio, & iurisdictione, generalibus vel specialibus, quocunq; nomine nuncupentur, à nobis & nostris successoribus, atq; à Castellanis, Palatinis, & Iudicibus quibuscunq; perpetuò volumus esse liberas & exemptas. Ita quod Episcopus prorsus in eis gaudeat iure ducali & militari, in venãdo, piscando, & alia quæcunq; volauerit faciendo, quæ nostri Prædecessores olim facere consueuerunt, cum omni iure dominio & honore. Insuper, quæ in dictis Castellaniis iura & stationes, in quodã alio Priuilegio nobis & nostris successoribus in signum dominij reseruauimus; ex præmissis causis per præsens priuilegium relaxamus. In cuius rei perpetuam memoriam, præsentem paginam nostri sigilli authentici appensione, per manum Twárdoslai nostræ Curiæ Subcancellarij, duximus roborandam. Actum & datum in colloquio iuxta Sandomiriam in Błonie celebrato, Anno Domini, Millesimo, ducentesimo, quinquagesimo. octauo Idus Iunij. Præsentibus nostris Nobilibus infrascriptis: Adam Castellano Cracouien. Segneuo Palatino Sandomirien. Nicolao Palatino Cracou. Boguslao Castel: Sandomir. Bogutha Castel: Vislicen. Petro Castel: Lublinen. Vislao Castel: de Málogost. Iacobo Castel: de Woynicz. Petro Castel: de Czechow. Ioanne Iudice Sandomirien. Nicolao Iudice Crac. Varschio Dapifero Sandomirien. Falislao Pincerna Sand. Gniewomiro Dapifero Crac. PełkáSubcã. Crac. Laurẽtio Subdapifero Sand. Michaele Subdapifero Crac. & alijs militib: infinitis.

Alterum verò Casimiri Regis, in quo prioris quoque fit mentio, eius est tenoris.

IN nomine Domini, Amen. Quoniam hanc sibi legem principum Nobilitas quodammodo ponit, vt debere se quod spontè tribuit existimet, & nisi in beneficiis creuerit, nihil se præstitisse putat: Hæc animaduertentes nonnulli Principes Cracouien: & Sandomirien: Terrarum, Domini prædecessores & progenitores nostri, pia deuotione ad honorem Omnipotentis Dei per quem Reges regnant, & Principes dominantur, Ecclesiam Cracouien: Cathedralem, & alias Collegiatas, & inferiores sibi subiectas primitus fundantes; Vniuersis possessionibus, Oppidis, Castellis, Villis, in subsidium Episcopi eiusdem Ecclesiæ & Cleri, in opus & ministerium Dei electorum, dotauerunt: sicut in ipsorum Priuilegiis inde confectis plenius continetur. Quorum vestigiis, Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ inhærere cupien: quamuis villas Episcopales quasdam, scilicet Rádłow, Vswam, Besadki, Zawádá, Przedsycá, Iodłowa, Páseczna, Nemsyno, in qua hæreditate locatæ sunt duæ villæ, videlicet Rzepennik & Rosumberk, Czymow, & Bukowe, recipi & intromitti de eisdem nostris officialibus mandássemus, non causa omnimodæ retentionis, sed ius seruitutis Regalis in eisdem requirentes, quia dicebantur esse Militares, & ad Ecclesiam Cracouien: cum suis oneribus

neribus transiuisse. Tamen nunc plena veritate cognita, easdem villas, Venerabili Patri Domino Bodzante Episcopo & Ecclesiæ Cracouien: restituimus ex integro, ipsas & incolas earum præsentes & futuros ab omnibus oneribus, seruitutibus, seruitijs, laboribusque, angarijs, & proangarijs Regalibus, de mera liberalitate nostra, ex nunc in antea penitus absoluentes, & liberantes omnino, easdem villas & possessiones frui & gaudere volumus illis libertatibus & exemptionibus, quibus fruuntur & gaudent omnes aliæ possessiones & ville Ecclesiæ Cracouien: præsenti patrocinio, & perpetua firmitate roborantes, in nomine Domini confirmamus. Cæterùm quia Dux Boleslaus, claræ memoriæ Auus noster, Cracouien: & Sandomirien: terrarum Dominus, dans & concedens Episcopo & Ecclesiæ Cracouien: iura, libertates, immunitates diuersas, sibi in Tharsen: & Kielcien: Castellaniis, quandam reseruarat seruitutem, videlicet dum per Tartaros, Ruthenos, Schismaticos, vel Lithuanos, terra Sandomirien: hostiliter vastaretur, Episcopus de eisdem Castellaniis, homines suos bellicosos, in defensionem cum cæteris terrigenis mittere tenebatur; sed quia hæc nimis onerosa ipsi Episcopo & suis hominibus videbantur, Nos volentes, vt idem Episcopus cum Clero suo, maximè hostilitatis tempore deuotiùs orationibus intendant, ipsum & successores suos, ac prædictas Tharsen: & Kielcien: Castellanias, & homines quoslibet in eisdem degentes, præsentes & futuros, à præfatis seruitutib. videlicet Pogon, & à mittendis hominibus contra Tartaros, Ruthenos, & Lithuanos, ex nunc absoluimus, & liberamus omninò. Ita quod de cætero homines pugnaturos, Episcopus & sui successores, de eisdem Castellaniis mittere minimè teneantur. His autem munificentiis gratiarum, prænominatus Dominus Bodzanthá Episcopus Cracouien: prænimiè consolatus, nobis pecuniarum Quingentarum Marcarum quantitatem, ob respectum donationis supradictæ obtulit, & donauit gratiosè, & Villam suæ mensæ Episcopalis Smarsowice dictam, vulgariter, pro dimidietate villæ nostræ Pauliporamba dictam, propè Vswam permutauit & donauit, cum expresso consensu sui Capituli Cracouien: volentes & decernentes præsentibus scriptis, quod eadem medietas villæ Pauliporamba, prout circumferentialiter in suis limitibus est limitata & distincta, & homines degentes in ipsa nunc, & in futuro, eadem libertate audeant, qua cæteræ villæ Episcopales Ecclesiæ Cracouien: gaudere & vti diutinè consueuerunt. Quemquidem Episcopum, Capitulumq; & Ecclesiam Cracouien: nos in Regiam gubernationem suscipientes, promittimus bona fide strenuè defensare ab omnibus molestiis, violentiis, & iniuriis quorumlibet hominum, vt meritis B. Stanislai Martyris gloriosi, eiusdem Ecclesiæ Patroni, Deus omnipotens gratiam nobis tribuens, in præsenti dies vitæ nostræ adaugeat felicibus incrementis. In cuius rei testimonium, & euidentiam pleniorem, præsentes literas dari fecimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum Cracouiæ, feria secunda in Rogationibus, Anno Domini, Millesimo, Trecentesimo, Quinquagesimo Quarto. Præsentibus his testibus, Ioanne Iurá Palatino Sandomirien. Czenkone de

Lipá

Lipá summo Marschalco Morauiæ, Zbigneo Cracouien. Floriano Lancicien: Cancellariis. Ioanne Woynicien. Raphaele Wislicien. Stanislao Malogosten: Castellanis. Petro Tribuno, Grotone Subpincerna Cracouien. Pelká Subagazone Sandomirien. & aliis multis fide dignis. Datum per manus Domini Sbignei Cancellarij nostri prænotati. Scriptum autem per Notarium Curiæ nostræ, nomine Pribislaum.

Quinimò quod magis est, ipsis aliquando Ecclesiasticis vltrò & spontaneè pro defensione patriæ subsidia armatorum mittentibus, ne ea res in sequellam trahi posset, solennibus Regum atq; Principum Poloniæ cautionibus prouisum fuisse, vel ex hisce diplomatibus manifestè apparet, quorum is est tenor:

Vladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracouien: Sandomirien: Lancicien: Kuiauiæ; Lithuaniæq; Princeps, supremus Pomeraniæ, Russiæq; Dominus & Hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis: quomodo Venerabiles in Christo Patres, Domini, Nicolaus Gnesnensis Archiepiscopus, & Albertus Episcopus Cracouiensis. Ecclesiarum, videntes & sentientes grauia & intolerabilia incommoda, & iacturas, Regno nostro Poloniæ ex disturbijs guerarum per Cruciferos expulsis de Prussia, Nobis & Regno nostro motarum, inposterum imminere, ad petitionem nostram & requisitionem specialem, liberè & spontaneè, sine derogatione iurium, & libertatum Ecclesiarum prædictarum, quilibet ipsorum cum vno Banerio, seu vexilo, armatorum hominum, contra insultus hostiles Regni nostri, & defensione patriæ propriæ, subsidium nobis fecerunt & subuenerunt. Et ne ipsorum sincera & deuota intentio quam habent, vt præmissum est, pro defensione patriæ, trahatur in malam consuetudinem & sequelam, Bonumq; prò commodo Regni, & pro vtilitate Ecclesiarum, per ipsos factum, in malignitatem conuertatur, & per consequens iura & libertates Ecclesiarum infringantur, tenore præsentium promittimus, & vouemus: quòd amphùs & admodum talia subsidia armatorum, contra iura & libertates Ecclesiarum, ab eisdem Dominis, Nicolao Archiepiscopo Gnesnen. & Alberto Episcopo Cracouien. & eorum successoribus, nolumus exquirere, sed potiùs ipsorum Ecclesias circa iura & libertates, cum omni deuotione conseruare, imò & pro istis seruitijs & subsidijs, per ipsos nobis pro tanta necessitate Regni & Coronæ nostræ exhibitis & impensis, ipsis di-

gnæ

gnæ satisfactionis volumus gratam facere recompensam, harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Actum in loco Stationis, quam cum exercitibus nostris fecimus ante oppidum Zakroczym, in Vigilia B. Iacobi Apostoli, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Quartodecimo. Præsentibus validis Viris, Cristino Castellano Cracouien. Ioanne de Tarnow Cracou. Nicolao de Michałow Sandomirien: Palatinis. Michaele de Bogumiłowice Sandomirien. Cristino de Koziegłowy Sandecen. Ioanne de Tholischow Calisien: Castellanis. & Bartosio Włotkonis Subcamerario Sandomir: multisq; alijs nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus prædicti Venerab: in Christo Patris, Domini Alberti Episcopi Crac: Regni Poloniæ Cancel. Dominus REX per se.

Alterius verò similis cautionis ea est verborum series.

SIGISMVNDVS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, totiusq; Prussiæ, &c. Dominus & hæres. Manifestum facimus tenore præsentiũ. Quia cùm anno superiore primùm Turci, deinde Tartari, validissimis copiis Regnũ nostrum adorti essent: & omnia in terris Russiæ ferro ac igni vastâssent: Nosq; in tam inopinato casu coacti essemus, mota duntaxat Nobilitate terrarũ minoris Poloniæ, & delectu decimi cuiusq; ex plebeis omnibus, earundem terrarum facto, Nos vtcunque hostibus obijcere, & tantam subditorum nostrorum calamitatem, & discrimen Regni propulsare. Idq; considerans Reueren: in Christo Pater, Dominus Petrus Episcopus Crac: & Regni nostri Vicecancellarius, nolens nobis pro fide sua erga Nos, & amore patriæ, in tanto periculo deesse, similem nobiscum decimi cuiusq; omnium subditorum suorum, & totius Cleri sui delectum fecisset. Militemq; insuper ipse centum equorum nobiscum expediuisset. Nolentes nos, vt pro gratia quã illi debemus, ob tam insigne meritũ erga Nos & Rempublicam nostram exhibitum, aliquid hoc exemplo detrimenti acciperet in priuilegijs & immunitatibus suis & Ecclesiæ suæ, præsentibus literis nostris testandũ duximus, & testamur ingenuè, ipsũ Reuerendum Dominum Episcopũ, & eius Clerum Ecclesiæ Crac. prædictã expeditionem gentium suarũ, non ex vllo debito vel coactione nostra, sed merè motu proprio, & ex libera sua voluntate fecisse. Proindeq; hanc rem nullum exemplum in posterum, quod libertatibus & priuilegiis huius Ecclesiæ officere possit, trahi debere. Quinimò obsequium

hoc tam

hoc tam pium in nos & Rempublicam nostram præstitum, pollicemur ipsi Domino Episcopo, & eius Ecclesiæ, vberrimâ gratiâ, & patrocinio nostro Regio semper referre. In cuius rei testimonium, sigillum nostrũ præsentibus est appensum. Datum Petricouiæ, in Conuentu Generali, Feria Quinta post Conuersionis S. Pauli. Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo sexto, Regni nostri anno vigesimo.

Sigismundus Rex.

Relatio Magnifici Christophori de Szydłowiec, Palatini & Capitanei Crac. & Regni Poloniæ Cancellarij, Siradien: Sochaczeuien: Gostinen: & Nouæ Ciuitatis Korczyn, &c. Capitanei. &c.

Cùm itaque ex his manifestò appareat, Ecclesiastica bona, eorumué subditos ad præstanda onera militaria non obligari: mirabilis certè auditu res est, cur à secularibus, (quibus munus hoc militandi etiam ex præscripto Priuilegij Ludouici Regis propriè incumbit) Ecclesiarum Sculteti & Aduocati ad subeundam militiam tantoperè adigantur? Cùm quod ipsi ferre debuerant onus, alijs portandi illud necessitatem imponant, idque contra fas & æquum.

Fateor * equidem Statuto Ca- 12
simiri Magni, Visliciæ Anno 1368. condito, omnes indifferenter Scultetos & Aduocatos, tàm spiritualium quàm secularium, ad obeundum seruitium bellicum adstringi: attamen postmodum Statutis posterioribus Sigismundi, Anni 1538. & Sigismundi Augusti Regum, Anni 1550. quoad spiritualium Scultetos, & Aduocatos, id ad hunc modum, (nisi à tali necessitate bellica liberentur speciali aliquo iure vel priuilegio) restrictum fuisse, liquidò constat. Qualiter autem bona Ecclesiastica, illorumué subditos, ab oneribus istiusmodi iura eximant, paulò ante probatum est. Ac in-
super * cùm post tot ac tantas 13
de Scultetorum & Aduocatorum in bellum expeditione inter statum secularem, & Ordinem Ecclesiasticum agitatas controuersias, lege publica Anni 1563. cautum reperiatur, omnes huiusmodi Aduocatias & Scultetias, tàm videlicet in bonis secularium, quàm spiritualium, existentes, iuri exemptionis obnoxias esse: nescio qua fronte seculares ordinem Ecclesiasticum ampli-

us hoc

us hoc nomine incusare possint? cùm quod ipsi nullo planè seruitij militaris (cuius tamen præcipua cura ad illos spectat) respectu habito, ex huiusmodi Scultetijs & Aduocatijs, pro libitu subditos suos extrudant: eas Ecclesiasticis, à subditis quoque illorum redimere iusto & legitimo pretio, nefas esse contendant. Turpe verò est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

14 Extant * præterea, etiam alia antiquiora, vtpotè Casimiri Magni, Anni 1368. tùm & Vladislai Iagellonis Regũ, Anni 1423. de huiusmodi Scultetis statuta, quæ de rebelli & inutili Sculteto remouendo disponunt: quod nimirum dominus in hæreditate sua habens talem Scultetum, possit ei præcipere, vt vendat Scultetiam cui vult; vel si non inueniat emptorem, ipse dominus persoluto iusto pretio, seu valore Scultetiæ, illam pro se obtinendi habeat facultatem: quæ statuta passim in Regno practicari videmus. Ac pro-
15 inde * meo quidem iudicio, Domini seculares de statu Ecclesiastico, eo nomine conquerendi, ac si per illum defensio Reipub: impediatur vel diminuatur, nullam omninò aut exiguam valdè causam habere videntur: accedente præsertim eo, quod Ecclesiasticus ordo contributiones publicas, pro conducendo milite stipendiario, (quo potissimùm his temporibus res militaris constat) non tantùm ex bonis & prædijs, verùm ex Decimis quoq; sibi adscriptis, contra ius & æquum, non inuitus tamen, in gratiam secularium præstare soleat: atque si huius rei æqua solidaque iniretur ratio, facilè animaduerti posset, quod inuerso rerum ordine, pro secularibus, spiritualium ordo, vnà cum misellis ruricolis & colonis, tàm præclari atque pij muneris defendendæ patriæ, non postremas partes sustineat, neque tamen pro sua modestia secularibus, ob eam inæqualitatem molestus esse intendat.

QVÆSTIO VIII.

An articulus Confœderationis, Anno 1573. de pace inter dissidentes in religione tenenda, sub Interregno editus, & in volumen Constitutionum Regni insertus, legis vim habeat, necne?

SVMMARIA.

1. *Legis definitio, quæ moribus & iuribus Regni conueniat.*
2. *Lex, qualis esse debeat.*
3. *Iustæ vel iniustæ leges, quæ dicantur.*
4. *Leges vt habeant vim obligatiuam, quæ requiruntur.*
5. *An Confœderatio Anni 1573. ad normam ferendarum legum aptari, & nomen legis mereri possit.*
6. *An dicta Cõfœderatio sit honesta.*
7. *Libertas credendi, est libertas errandi.*
8. *An Confœderatio dissidentium in religione sit iusta.*
9. *Discrepantes de Religione sententiæ, animorum dissensiones pariunt.*
10. *In Ecclesiasticis rebus, solus tantummodò summus Pontifex condendi legem habet potestatem,*
11. *Confœderatio in causa Religionis à secularibus tantũmodò lata fuit, reclamãtibus spiritualibus.*
12. *& 16 Confœderationis in causa religionis, quis sit sensus?*
13. *Libertas religionis, iuri Diuino & naturali repugnat.*
14. *An hæc Confœderatio sit possibilis?*
15. *Inter fœdus & confœderationem differentia.*
17. *Fautores hæreticorum, in Bulla Cœnæ Domini, anathemati subijciuntur.*
18. *An Confœderatio sit secundùm naturam.*
19. *Imperatoris Constantini Magni de diuersitate religionum sententia.*
20. *An Confœderatio, sit secundùm Patriæ consuetudinem.*
21. *Legum & Statutorum Regni authoritates, quibus ostenditur, Prælatos & Statum spiritualem ad ferendas leges semper pertinuisse.*
22. *Confœderatio noua, à quibusdam secularibus fuit concinnata, idq; probatur protestationibus.*
23 *Protestatio contra Confœderationem Parisiis ab Episcopo Posnaniensi, & alijs Catholicis facta.*
24. *Diploma Henrici Regis, quo admittit protestationem, contra Confœderationem interpositam.*
25. *Protestatio status spiritualis, & Ordinum Regni, contra Confœderationem in Coronatione Regis Henrici.*

1 LEgem DD. * iuris alij aliter definiunt, idq́; secundùm iura & consuetudines conuenientes cuique Reipub. At quæ definitio, argumento propositæ quæstionis, & iuribus Regni huius magis fit accōmodata, præter eam, quam S. Thom: 1. 2. q. 90. proponit, non reperio. Est enim lex, secundùm eundem, ordinatio rationis ad bonum commune, Prouinciæ, vel Regni, à tota multitudine, aut gerente vices eius, de iure non de facto, promulgata. Vnde colligitur, quod authoritas condēdi legem vel statutum in temporalibus, pertineat ad totam multitudinem, vel ad personam publicā illius Regni vel Prouinciæ, quæ vices gerit, & curam habet totius multitudinis: per text: in §. 1. & 2. *Instit: de iure natur.* Qualis ve-

2 rò * lex esse debeat, præclarè in cap: 2. distinct: 4. declaratur his verbis: *Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco temporiq́ conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, nè aliquid per obscuritatem in captionem contineat; nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Alioquin iniustæ, impossibiles, inutiles & discordes leges; non leges, sed Tyranicæ constitutiones, sunt appellandæ: vt inquit ille Ecclesiastici Ordinis antagonista Prilusius, in præfatione, ad artic: 3 lib: 1. cap: 2.

3 Quæ * autem leges iustæ vel iniustæ censeri debeant, ex quatuor potissimum causis cognosci potest. Et primùm ex fine lex iusta est, quando merè & simpliciter ordinatur ad bonum commune, non autem ad priuatam vtilitatem statuentis, vel cupiditatem, aut gloriam. Deinde ex causa efficienti, iusta lex est, si statuens vel condens legem, non excedit suam iurisdictionem, quia scilicet eam statuit suis subditis, non autem ijs, in quos non habet potestatem; putà, si laicus quicunque, etiam Rex aut Imperator, facit legem etiam super Clericos. Tertiò, ex forma lex iusta dici potest, quando æqualiter & proportionaliter omnibus imponitur, ita vt non aliqui alleuientur, aliqui nimium aggrauentur. Deniq; ex materia lex illa habetur iusta, quæ fit de rebus iustis, licitis, & honestis, non autem contra; puta, quando fit contra ius naturale aut Diuinum: quia tunc huiusmodi leges iniustorum nomen obtinent. Vnde primò * requiritur ad hoc, 4
quòd leges habeant vim obligatiuam, vt sint iustæ & rationi consentaneę. Rationi verò consentaneum est, quicquid religioni conuenit, quicquid disciplinæ cōgruit, quicquid saluti proficit, vt habetur in cap: *Consuetudo.* 5. dist. Secundò requiritur, vt publicè omnibus, qui ferendæ legis potestatem habent, consentientibus promulgentur, atq; ab omnibus subditis sint susceptæ & approbatæ. Panor: in cap: 1. titul: *de postul: prælator.* per text: in cap: *In istis.* 3. distinct: 4. His itaque * de 5

 modo

modo ferendarum legum publicarum præmiſſis: videndũ eſt, num dicta Confœderatio ad normam & præſcriptum iſtiuſmodi iurium aptari, & per conſequens legis nomen mereri debeat aut poſſit? Longum certè, atq; nimis tædioſum videtur, ſingillatim ac ordine examinare ea omnia, quæ de recta & iuſta legum condendarum forma, ſuperiùs dicta fuerunt: at quia in ijs potiſſimum huius quæſtionis cardo vertitur, operæpretium eſt, rem per capita ſeu membra diſcutere. Et inpri-
6 mis* an ea Confœderatio ſit
HONESTA, inquirendum eſt? Sanè quando leges non eò collimant, & referuntur, vt promoueantur virtutes, ſed vt vitijs atque malitiæ pateat campus, nulla ratione huiuſmodi leges honeſtæ appellari poſſunt. Eam verò Confœderationem, qua libera cuiuſcunq; religionis (vel vt potius dicam, portentoſæ & abominandæ cuiuſuis de religione opinionis) profeſſio permittitur: turpiſſima malitiæ ſtudia, venenataq; pharmaca in ſe continere, atq; non ſolùm Rebuſpub: ſed etiam ſingulis Ciuibus exitioſam, pacique publicæ inprimis inimicam eſſe, nemo ambigere poteſt. Nam libertas* credendi nihil
aliud eſt, quàm libertas erran- 7
di, & quidem errandi in re vna omnium periculoſiſſima; vtpotè, ex qua vniuſcuiuſque pendet ſalus, & ſequitur interitus. Quod quidem multò grauius atq; turpius crimen eſt, quàm quæuis alia etiam horrenda flagitia. Quare colluuiem hanc religionum difformium, non ab honeſtate aliqua profectam, ſed ab inferis reuocatam, minimèq; eſſe ferendam, vel ipſorum hæreticorum, maximè verò illius non poſtremi nominis hæreſiarchæ Theodori Bezæ, teſtimonio oſtenditur. Ita enim ille, neſcio quo ſpiritu afflatus, in ſua Epiſtola Theolog: pag: 20. & 21. de his ſcribit: *Libertatem conſcientiæ permittere, ſinere vnumquemq; ſi velet perire, diabolicum dogma eſt; & hæc illa eſt diabolica libertas, quæ Poloniam & Tranſyluaniam hodie tot peſtibus infecit, quas nullæ alioqui ſub ſole regiones tolerarent.* Hæc ille. Eiuſdem indignitate rei motus ipſe Caluinus, Seruetum hæreſiarcham, qui ſanctiſſimam Tri-

mam Tri-

nam Trinitatem blaſphemabat, nequaquam tolerandum eſſe iudicans, hæreſeos damnatum, Anno Domini 1555. Geneuæ viuum flammis exuri curauit. Idem Gentili hæretico, in ciuitate Bernenſi Heluetiorum, Caluiniſmo infecta, Anno Domini 1566. eueniſſe, proditum eſt.

8 Secundò quæritur, * an ſit IVSTA? De iuſtitia vel iniuſtitia Confœderationis, ex ijs, quæ de cauſis, iuſtas leges efficientibus ſuperiùs dicta ſunt, facilè iudicium ſumi poteſt. Nam quod ad primam cauſam, nempè finalem attinet, Confœderationem eiuſmodi bono communi, ſaluti, paciq; publicæ, non modò non conuenire, ſed omninò eſſe contrariam, quis non videt? Quanta enim incommoda, quantæue perturbationes rerum omnium, ex perturbata & immutata, ac tam varijs, tamq; portentoſis opinionib. diſcerpta ſacroſancta religione Catholica, publicè & priuatim ſequutæ ſint, res ipſa demonſtrat. An non eò amplius prætextu talis legis (quod nunc quidem priuata authoritate fieri videmus) in oppidis ſiue pagis illorum, qui libertatem cuiuſuis cultus ſibi permitti poſtulant, hominib. Catholicam religionem antiquitùs profitentibus, liber ipſius vſus denegaretur? an fundationes, à maioribus piè ac religioſè inſtitutæ, Eccleſijſque Catholicorum adſcriptæ, hac credendi quiduis libertate, non conuellerentur? Decimæ cenſuſque Eccleſiaſtici, an per ſummam vim & iniuriam nõ ſubtraherentur, & in vſus horribilium huiuſmodi ſectarum non conuerterentur? Sacerdotes, Parochijs atque bonis ſuis an non ſpoliarentur? ac denique in ſubditorum non corpora modò, ſed etiam in animas ipſas crudeliſſimè an non ſæuiretur? dum videlicet ij, non ad ſua templa, Catholicæ religioni conſecrata, ſed ad ſynagogas diuerſarum ſectarum, grauiſſimis propoſitis pœnis, compellerentur?
Accedit * etiam illud, quod 9
diſcrepantes de religione ſententiæ, animorum quoque & voluntatum diſſenſiones pariant, quæ contentionum, rixarum, bellorum, rapinarum, luculentiſſimam materiam præbere, & ad extremum Regnorum

gnorum

gnorum & Prouinciarum tali confuſione contaminatarum, certiſſimi interitus cauſa proxima eſſe ſoleant. Vt enim contrarij & corrupti humores febrem corporum; ſic contrarij in religione affectus febrē atque pernicioſam peſtem pariunt Rerumpublicarum. Teſtis eſt Germania, quam tot annis hac peſtifera lue cernimus eſſe labefactatam. Teſtis Gallia, in qua hæc eadem peſtis, quas æuo noſtro non excitauit turbas, quæ non calamitatum incendia? teſtis inſuper miſera Hungaria, quam nihil aliud, niſi hæc diuerſarum religionum colluuies perdidit, penituſque euertit. Et quid denique dicam de noſtra Polonia? quæ etſi primùm quidem in ſinceritate religionis Chriſtianæ plurimos annos firmè & conſtanter perſtiterit: factum eſt tamen, vt ſucceſſu temporis, maximè verò ſuperiorum Regum ætate, è vicina Germania atque Bohemia, Lutheri, Caluini, aliorumque hæreſiarcharum prauis opinionibus, velut exitioſa quadam contagione, afflata atq; infecta, teterrimum illud perditorum hominum genus reciperet, quod peſtilenti afflatu ſuo omnia contaminare, & pernicioſiſſimum virus ſuum longè lateq; ſpargendo, è Regno & ditionibus illi coniunctis, verum Dei cultum, quo vno æternæ vitæ ſpes continetur, exterminare conaretur. Horret ac refugit animus memorare quas illæ peſtes ac furiæ, ab humani generis hoſte immiſſæ, tempeſtates, quas diſcordias & diſſenſiones, quot malorū Illiades in Poloniam intulerunt, profana facta, euerſa, ac deſolata templa, aliaque loca ſacra atque religioſa; bona Eccleſiaſtica nefariè direpta, & in priuatorum vſus conuerſa; authoritas Sedis Apoſtolicæ, cuius ſupra cæteras gentes Poloni ſtudioſiſſimi ſemper fuerunt, ſumma impietate contempta; iura ac priuilegia Ordinis Eccleſiaſtici labefactata; omnia denique diuina & humana, fraudibus ac temeritate illius tam perfidi, & Catholico nomini ſemper iniqui infeſtique cœtus, turbata, atque confuſa.

Conſtat * inſuper eam Cõfœderationem eſſe iniuſtam ex cauſa efficiente: quando- 10

quidem in Eccleſiaſticis & ſpiritualibus rebus omnibus, maximè verò quæ concernunt religionem, nullus præter ſolum Summum Pontificem, habeat facultatem condendæ legis (vel vt magis propriè dicam) Canonis, ſeu Conſtitutionis Eccleſiaſticæ. Quod etiam ad Concilium generale, ſi authoritate ſummi Pontificis ſit indictum, pertinet, per textum in cap: *Regulæ.* diſtinct: 3. & in cap: *Tranſlato.* 3. tit: *de Conſt.* Quantum enim quis habet de iuriſdictione, tantum habere poteſt etiam de authoritate condendi legem vel ſtatutum. Nam poteſtas ſtatuendi legem, dependet à iuriſdictione atque imperio ſtatuentis, & ſubiectione, quo ad eum in quem ſtatuitur, gloſſ: & Bart: in l. 1. ff. *de iuriſdict: omn. iudic.*

11 Ex his * opinor liquet, confœderationem hanc à ſeculari tantummodò Statu, reclamantibus ſpiritualibus, in cauſa religionis latam, nullius eſſe ponderis; vtpotè quod talem condendo legem, exceſſerunt modum ſuæ iuriſdictionis. Cùm aliàs iudicium falſæ religionis aut doctrinæ in hoc Regno, antiquiſſimo iure, puta ab ipſo exordio Chriſtianæ religionis, ad ordinem Eccleſiaſticum pertinuiſſe certum ſit: quod etiam Statuto Sigiſmundi Primi, Anni 1543. probatur his verbis: *Inprimis ad Spiritualium iudicium pertinet, iudicare differentias fidei ſanctæ Chriſtianæ, hæreſes, ſchiſmata, blaſphemias contra Deum, & apoſtaſias.* Nec quiſquam eò moueatur, quod in capite iſtius Confœderationis adſcripta ſint hæc verba: *Nos Conſiliarij ſpirituales & ſeculares, &c.* Id enim ex vſitata potiùs quadam formula conſtituendarū legum, ab ipſis compilatoribus huius Confœderationis, quam vt reuera ſtatus ſpiritualis huic rei aſſenſum præbuerit, appoſitum eſſe, tot proteſtationes & contradictiones vniuerſi Cleri, & nonnullorū Ordinum Regni probant: quæ quorſum interpoſitæ eſſent, ſi negotium hoc vnanimi omnium Ordinum conſenſu peractum fuiſſet? alioquin proferēdæ eſſent ſubſcriptiones iſtorum articulorum, ex quibus rei veritas eluceret. Sed neque quoad formam, iuſtæ legis nomen ſortiri poteſt

ista Confœderatio. Nam quæ
maior inæqualitas dici potest,
quàm vt quod quis sibi fieri
non vult, ab alio id mordicus
12 exigat? Is siquidem * istius
Confœderationis sensus esse
videtur, vt nouatoribus qua-
rumuis religionum, vbiq; lo-
corum in Regno, impunè va-
gari, dogmataq; sua dissemi-
nare liceat, Catholicis verò,
auitam & pristinam religio-
nem, & eius iura tueri nefas
sit. Quod ita se habere non
solùm externa & peregrina,
sed domestica etiam testantur
exempla. Quotus quisque
enim est Euangelicorum, (vti
se ipsi appellant) qui subditis
suis Catholicæ religionis v-
sum non prohibeat, eosque
propositis pœnis seuerissimis
à vero Dei cultu non abster-
reat? An non vnicuique, eti-
am infimæ sortis homini, le-
gis istius (in quantum lex di-
ci potest) beneficium inte-
grum illæsumué esse debue-
rat? Cur igitur, quod sæpius
non sine lachrymis fieri vide-
mus, misellis subditi à domi-
nis suis templa Catholica,
quæ aliquando longis itineri-
bus vltro adire malunt, dese-
rere, atque veluti fidem Ca-
tholicam abiurare coguntur?
En quàm bella iustitia, &
quàm proportionata sit istius
legis æqualitas! Nec minor
proculdubio est illa quoque
Catholicorum omnium iniu-
ria, quod templis, Parochijs,
beneficijs, thesaurisque Eccle-
siasticis spoliati, obstante hu-
ius articuli dispositione, non
solùm ea repetere, sed nè mu-
tire quidem de his debeant.
Compositio, seu potius restitu-
tio in integrum, ordini Eccle-
siastico eo nomine seruiens,
de die in diem differtur, va-
rijsque artibus eluditur; inte-
rim templa, fundationes, the-
sauri Ecclesiæ, ab istis sectarijs
(proh dolor) possidentur: ita
vt iam ipsi tripudiare, Eccle-
sia verò Catholica, & ordo spi-
ritualis mærore contabescere
videatur. Iustitia denique le-
gum, vt superius dictum fuit,
cognoscitur ex materia ipsius
rei, de qua leges conduntur,
puta si de rebus licitis & hone-
stis fiant, neque legi diuinæ
aut naturali repugnent. Et
quid quæso * magis iuri diui- 13
no aut naturali contrarium
esse potest, quàm hæc religio-
nis libertas? Nam cùm præ-
ceptum Domini sit, vt is qui
blasphe-

blasphemauerit nomen Do-
mini, morte moriatur. *Leuit:*
cap: 24. quæ putas maior im-
pietas, quæué magis execran-
da blasphemia inueniri po-
test, quàm si non modò Lu-
theranismus & Caluinismus,
verùm & Anabaptismus, &
Trideismus, imò & Atheismus,
aliæque horribiliores huius-
modi sectæ, passim admittan-
tur, legeq; & authoritate publi
ca approbentur? Neque enim
quisquam id existimet, quod
vni saltem aut alteri sectæ, ista
confœderatio libertatem reli-
gionis indulgeat: sed vt quam
quisquè profiteri hæresim, si-
demué sibi condere velit, id si-
bi præsidio atque authoritate
illius, impunè nullo impedi-
ente facere liceat. Quod sanè,
si vel ipsi sanioris mentis hæ-
retici cum animis suis reputa-
rent, non tàm præcipites fortè
ad hanc religionis libertatem
euincendam prouoluerentur.
Quæ cùm hæreticis etiam
ipsis meritò exosa esse debe-
ant: mirum est, quod Catho-
licos illos tepidos, (qui Poli-
tici rectiùs dici possunt) non
pudeat sui, quando partim
precibus, partim pollicitatio-
nibus ad promouendam ap-
probationem istius Confœde-
rationis ab alijs perducuntur,
qui religionem potius suam,
in qua nati & educati sunt, o-
mni priuata amicitia antiqui-
orem & chariorem habere
debuissent? Tertiò quæritur.
* An hæc Confœderatio sit 14
POSSIBILIS? Equidem quid
hac lege, non tantùm impos-
sibilius, sed absurdius etiam
dici possit, non video. Nam
si * quæ sit inter fœdus & Con- 15
fœderationem differentia,
quispiam consideret; fateatur
necessum est, aliam esse huius,
quàm illius vim & naturam.
Fœdus siquidem statuitur pa-
cis tantummodò & salutis cō-
munis conseruandæ causa;
qualia huic Regno cum Tur-
cis, Tartaris, alijsque nationi-
bus pacta & fœdera inter-
cedunt. Confœderationis ve-
rò longè alia est vis & natura.
Nam non solùm gens cum
gente, vel populus cum po-
pulo, contra aliam gentem
vel populum; verumetiam ij-
dem aliquando populi, putà
vnius dominio subiecti, vt ni-
mirum mutuis præsidijs sese
defendant; vel vt rem aliquam
communibus studijs promo-
ueant; mutuò inter se conue-

 nire atq;

nire atque conspirare solent: qualem Confœderationem à maioribus nostris contra hæreticos Korczyni factam fuisse
16 inferiùs dicetur. Nec alia * certè mens istius nouæ Confœderationis esse videtur, nisi vt alter alterius sententiam & opinionem de religione, qualiscunque illa fuerit, non probare tantummodò, sed & defendere sit obstrictus. Iam si aliquis huiusmodi sectarius, putà impius Anabaptista, vel spurcissimus Adamita, quispiam, cum sua pestifera opinione in medium prodeat, non modò toleranda, (quod alioquin homini pio & Catholico grauissimum est,) sed etiam authoritate istius legis defendenda erit, opinio sententiaq; illius sacrilega. Quæ res cum omni potiùs detestatione, quàm approbatione aut defensione digna sit: Catholicos talibus legibus eò adigere, vt in quasuis hæreses etiam turpissimas & immanissimas consentiant; quin potius vt easdem tueantur atque defendant; nonmodò impium, verùmetiam inhumanū prorsus & barbarum est. Neque enim Catholici more hæreticorum, Ecclesiæ matris præcepta & instituta susq; deque ferre, aut illis refragari fas sibi esse ducunt: sed cùm eam soluendi ligandique potestatem habere credant, nulla ratione præuaricari ipsius mandata, sine offensione conscientiæ, se posse certò persuasum sibi habent. Quoniam * verò authoritate e- 17
iusdem Ecclesiæ Catholicæ, in Bulla Cœnæ Domini, omnes fautores hæreticorum, ipso facto anathemati subijciuntur, videant isti quàm grauem, & quàm impossibilem conditionem Catholicis, hac sua Confœderatione imponere contendant. Quodsi quispiam forte, salutis suæ prodigus, Anathema leue quid esse existimat: is certè multum in eo fallitur. Nam excommunicatio maior, quæ Anathema appellari solet, nihil aliud est, nisi exclusio à communione fidelium, quæ triplici fit modo, scilicet in conuersatione, siue in actibus legitimis corporalibus; in sacramentorum susceptione; & in actibus legitimis spiritualibus, siue in bonorum spiritualium participatione.

Atqui

Atqui esse anathema à Christo, & tradi sathanæ, quinimò haberi pro Ethnico & publicano quid grauius, quiduè infaustius homini Catholico accidere potest. Quod qui cōtemnit, is non pro Christiano, sed pro Ethnico, & cui Deus, atque salus sua non est cordi, meritò censeri debet. Quid? imò Ethnicos etiam ipsos, viuam quasi excommunicationis, qua Ecclesia Catholica nunc vtitur, imaginem expressisse Cæsar lib: 7. Comment: demonstrat his verbis: *Si quis*, inquit, *aut publicus, aut priuatus eorum* (scilicet Druidarum, qui fuerunt Sacerdotes pagani) *decreto non stetit, sacrificijs interdicunt: hæc pœna apud eos est grauissima. Qibus ita est interdictum, in numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neq; his præsentibus ius redditur, neq; honos illis communicatur.* Hæc Cæsar.

18 Quartò quæritur * an sit secundum NATVRAM? Sanè naturalis idipsum suadet ratio, quod vna tantum vera, pura, atque sincera sit religio; *Vnus enim*, vt inquit Apostolus, *est Dominus, vna fides, vnum baptisma. Quicquid verò præter vnam fidem est, perfidia non fides est*, vt sanctus inquit Hilarius: & proinde, si præter vnum Dei cultum existant aliæ religiones, nulla ex his erit, quæ non apud se esse veritatem alijs persuadere conetur. Quamuis enim sanctus Augustinus doceat, veritatem non huius aut alius esse, sed omniū, hoc est Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ terra est vnius labij, & cōcordantium sermonum, cuius participatio in idipsum, in qua multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, in qua idipsum dicunt, idipsū, sentiunt, idipsum sapiunt, vnanimes, vno ore glorificant omnes Deum & Patrem Domini nostri IESV Christi: attamen hi quoq; omnes, qui arbitratu suo singulares religionum intellectus excogitant, nouas & hactenus inauditas opiniones quotidie adferunt, nequaquam se priuari ea veritate patientur; quinimo tanquam propriam rem sibi vendicabunt. Quid igitur? num id Catholico homini, qui extra Ecclesiam Catholicam, nullam aliam sanam atque

 veram

veram eſſe doctrinam firmiter credit, mediocre aut tolerabile malum eſt: Nouas iſtiuſmodi ſectarum opiniones, & contrariam ei, quam Eccleſia Catholica tradit fidem, tanquam veram, non modò tolerare, ſed etiam approbare, & quod magis eſt defendere? Quæſo conſideret ſecum quiſque, quàm hæc ſint abſurda, quàm impia, quàm cum ratione pugnantia. velle eò aliquē adigere, vt tenebras lucem, malum bonum appellet?

19 Libet hic * adijcere aurea illa verba, quibus olim Conſtantinum Magnum, apud Eccleſiam Alexandrinam vſum fuiſſe, Athanaſius Apol: 2. ſcribit: *Sed heu, quò* inquit, *iuſtitiæ fides receſſit, cùm tantarum tenebrarum caligine inuoluimur? Neque id iam ex errore, qui multiplex eſt, quàm malignorum hominum vitiis, dum & propugnatores vecordiæ ſuſtinemus, & eos, qui æquitatem & veritatem profligant, etiam cum id ſenſibus noſtris percipiamus, negligendos putamus. Quod nam id genus peruerſitatis? inimicos non reprehendimus ſed latrocinio nos comites damus: vnde fit, vt viam quandam ſibi facillimè ſtrauerit, nemine repugnante, perniciosiſſima fraus: Dei lege & bono ingenio inſtructi, toleramus tamen inimicos, turbationum & tumultuum facibus, quaſi incendia uiſcere, idq; neque oculis præditi cernimus, neque legiſ ſententia imbuti ſentimus. Quantus igitur ſtupor noſtram vitam inceſſit cùm noſtrimet tàm iniurij ſimus, etiam Deo admonente. Quid igitur? num id mediocre aut tolerabile malum eſt? Num pro hoſtibus habendi ſunt? Nonnè in domum & populum Dei ante oculos noſtros per ſæuitiam debacchantur, & probra faciunt ſcelerat illi? Iam quanta id cum veſania faciant, ipſis vobis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua ſua ſitam habent malitiam, plumbeaſq; iras ita ſecum circumferunt, vt ſeipſos mutuis viribus feriant, & nos ſecum ad auctarium ſui ſupplicij abſtrahant. Interim qui recta docet, hoſtis iudicatur: qui autem inuidiæ vitium præſefert, populum manſuetum quod minimè oportuit, inuadit, vaſtat, abſumit, & ſeipſum vltrò corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem ſubuertit, & fidem circumuenit, donec ſuæ conſcientiæ cauernas & latibula queritando inueniat. Ferocitas igitur agreſtis eos miſeros facit, qui ita temerè ſeipſos cùm indigni ſint, efferant inclamando: Heu ſcelera, illenè presbyter eſt?*

ter eſt? aut illenè puer? mea exiſtimatio attingitur, mihi hoc ipſum debetur, ab illo ablatum eſt. Ego igitur omnibus ſpoliatis, pro viribus nocebo. Luculentum inſaniæ tumultum dicas, ſi acies, conciliabula, aut conuitia iſtorum importuniſſimorum conuentuum videas. O noſtram in Eccleſiam Dei peruerſitatem, ſpectaculum maligni & dementis animi! Nunquamnè tandem pudefient? Nunquamnè ſemetipſi improbabunt? Nunquam in animo morſus ſentient, vt vel nunc ſaltem contra impoſturam & rixas dignum aliquid animo concipiant, & ſentire videantur? Hæc Conſtantinus Magnus ille Imperator, & cum illo vnà omnes boni Catholici, tum horum temporum, tum iſtorum hominum, qui receſſerunt à vera, pura, ſinceraque religione, & ſecuti ſunt deſideria cordis ſui, deplorantes infeli-
20 citatem inclamant. Quintò * quæritur, an ſit ſecundum Patriæ CONSVETVDINEM? Hic iſti, qui præclarum illud diſſidentium in religione nomen ſibi vendicant, animum aduertant, ſimulque fateantur neceſſum eſt, antiquiſſimis huius Regni moribus, modum & formam condendarum legum publicarum, eam præſcriptam inſtitutamque eſſe, vt non niſi illæ, quæ de conſenſu & vnanimi voluntate omnium ordinum, puta ſpiritualium & ſecularium, ſancitæ promulgatæque ſunt, vim legis obtineant; & pro iuſtis atque legitimis ſtatutis atque conſtitutionibus reputentur. Quicquid verò peculiari quorundam ſententiâ ſtatuitur, id non modò nullam vim, ſed nec nomen legum aut conſtitutionum habere poteſt. In quam * ſen- 21
tentiam multæ præclariſſimæ leges Regni extant, ſemper inuiolabiliter obſeruatæ, & per Sereniſſimos olim Reges Poloniæ iuramentis confirmatæ. Principio enim Caſimirus Rex, Viſliciæ Anno 1368. diuerſitatem & varietatem iurium improbans, vnà cum Prælatis, Baronibus, cæteriſque Nobilibus, ſtatuta ſua promulgat. Similiter Ioannes Albertus Rex, Petricouiæ Anno 1496. decernit, ſtatuta ſua, communi & diuturnâ conſultatione præmiſſa cum Prælatis, Baronibus, Nobilibus, terrarumque Nuncijs ac ſubditis vniuerſis, ſpi-

ritualibus

ritualibus & secularibus, in Conuentione generali Petricouien: existentibus, corpus eiusdem Regni, (verba sunt Statuti) cum plena facultate absentium repræsentantibus, promulgata, perpetuò duratura & obseruanda. Eodem modo etiam Alexander Rex, in dicta Conuentione generali Petricouiæ, Anno 1504. testatur, se constitutiones certas decreuisse, cum consilio & assensu cõmuni Prælatorum, & Consiliariorum, ac Nunciorum terrestrium, iuxta Regni consuetudinem vocatorum. Idem Rex, in Conuentione quoque Radomiensi generali, Anno 1505. de consilio, scientia, & vnanimi voluntate omnium & singulorum Prælatorum spiritualium, & secularium Consiliariorum, & Baronum, & Nunciorum Terrarum, & Ciuitatum, qui vniuersum corpus Regni (vt ibidem habetur) indubitanter repræsentârunt, leges à se datas recenset. Idem in Conuentione eadem Radomien: leges suas à Reuerendissimis & Reuerendis in Christo Patribus, ac Magnificis, Venerabilibus, Generosis, & Nobilibus, Prælatis & Baronibus, Consiliarijs suis, ac terrarum Nuncijs moderatas fuisse fatetur. Idē Ioannes Albertus ibidem in Radom, Anno eodem 1505. cum vniuersis Regni Prælatis, Consiliarijs, Baronibus, & Nuncijs terrarum æquū & rationabile censuit, ac etiam statuit, quod deinceps futuris temporibus perpetuis, nihil constitui debeat per Serenissimos Reges, sine cõmuni Consiliariorum & Nunciorum terrestrium consensu: ac proinde concludens, ipsa sua statuta, in Radom publicè edita, ita de his disponit: *Iam verò*, inquit, *hic finem faciemus nostris in Radom institutis suprascriptis, quæ omnium voto, communi Prælatorum spiritualium & secularium, ac Procerum Regni, & Nunciorum terrestrium constituimus.* Sigismundus quoque Rex, Cracouiæ in Coronatione sua, Anno 1507. ex publico consensu leges suas se condidisse testatur his verbis: *Nos quoq; vestigia prædecessorum sequuti, cùm ab initio regiminis nostri, pleraq; in Conuentibus generalibus de communi Prælatorum, Procerum, atq; totius, Consilij, & Nobilitatis nostræ consensu, pro communi bono, statu & ordine, iuxta rerum ac temporum rationem instituissēmus, ac ea in publicum edi, subditi nostri meritò exigerent, cum vana sit lex, nisi obseruetur, obseruari autem nequit, nisi innotescat: omnia instituta nostra in vnum colligi, & ad omnium notitiam imprimi vel publicari mandauimus.*

Idem Rex eodem loco & tempore illa tantum statuta perpetuis temporibus duratura decreuit, quæ de Prælatorum Baronum, ac totius Consilij & Nobilitatis consensu sunt edita. Et idem postea Anno 1532. ad emendanda omnia Regni iura, & contrarietates atque dubietates statutorum tollendas, designat certas personas, iurisperitos nimirum, tàm spirituales, quàm seculares. His itaque sic stantibus, admodum facilè quiuis iudicare potest, num ea confœderationis formula, iustam & legitimam condendarum in hoc Regno legum normam in se contineat. Notum siquidem omnibus * est, prædictā Confœderationem, quemadmodum & reliquos articulos in Conuentu electionis Regis Henrici, à quibusdam secularibus, sine vnanimi omnium consensu, imò quàm pluri-mis, vtpote vniuerso statu & ordine Ecclesiastico siue spirituali, & magna parte status secularis, reclamantibus atque protestantibus compositam, & nouiter electo Regi obtrusam fuisse. Quod quidem non tenui quadam coniectura, sed ipsa rei euidentia, ipsis nimirum protestationibus non tantùm ab vniuerso ordine Ecclesiastico, verùmetiam à bona parte status secularis, in diuersis Palatinatibus, vtpote Masouiæ, Rauen: ac Plocen: omni meliori modo & forma iuris factis, atque Actis publicis ad perpetuam rei memoriam insertis, probatur. En tibi solennis, Episcoporum Regni, protestationis, in ipso planè istius Confœderationis exordio, factæ, genuina verba.

22

Actum in castro Sochaczouiensi, feria tertia post Dominicam Quinquagesimam, 1573.

Comparens personaliter coram Officio & Actis præsentibus Capitanealibus Castrensibus Sochaczouiensibus, Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Iacobus Vchânski,

Vcháńſki, Dei gratia Archiepiſcopus Gneznenſis, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas, ſuo & aliorum omnium & ſingulorum ſibi adhærentium, tàm ſpiritualium, quàm ſecularium, fidem & obedientiam S. R. E. profitentium nominibus, proteſtatus eſt, & proteſtatur ſolenniter coram Officio præfato, & Honeſtis Staniſlao, Lucæ, & Laurentio Kucharz, Miniſterialibus Generalibus Regni, & Nobilibus, Marcellino Szyſtowſki, Balthaſaro wilkoſzewſki, Matthiæ Chrzewſki, Staniſlao Tychowſki, & alijs pluribus ibidem circa infraſcripta exiſtentibus, in & contra Magnificum Sigiſmundum wolſki Caſtellanum Czernenſem, Capitaneum Varſzauienſem, & ipſius officium pro eo: Quia ipſe fungens officio ſuo Capitaneali Caſtren: Warſzauien: ad inſtantiam, & iuridicam Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi præfati, & Reuerendiſſ: DD. Adami Konarſki Poſnanienſis, Petri Myſzkowſki Plocenſis, Alberti Stárogrzebſki Chełmenſis, Epiſcoporum requiſitionem, prætendens ſe habere cauſas quaſdam, non tamen iuridicas, imò iuri contrarias, noluit & recuſauit, in damnum & iniuriam præfatorum omnium proteſtãtium, & aliorum præfatorum ipſis adhærentium, ſuſcipere, & ad acticandum & ingroſſandum in Acta Warſzauien: proteſtationem ipſorum, factam & inſcriptam, oblatam. Cuius tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

MY RADY, TAK DVchowne, iáko Swieckie, imieniem náſzym y Poſłow Ziemſkich ná Konwokácyą Wárſzáwſką poſłánych, ktorzy ſię nie podpiſáli na Confederácyą de diſſidio religionis, ná tey Konwokácyey od niektorych Pánow Rad y Poſłow vczyniona, oznáymuiemy y oświadczamy ſię wſzem wobec y káżdemu zoſobná, ludziom iákiegokolwiek doſtoieńſtwá, vrzędu, y ſtanu, przy Akćiech tego Grodu: Iż gdyſmy ſię tu do Wárſzáwy ziechali, ábyſmy tylko o czáśie y o mieyſcu Elekcyey Krolá przyſzłego rádzili: niektorzy z Pánow Rad y Poſłow Ziemſkich, vczynili miedzy ſobą nieiáką Konfœderácyą; w ktorey ácz ſię náyduią niektore rzeczy ku záchowániu pokoiu poſpolitego potrzebne, wſzákoż włożone ſą drugie, nietylko teraz, ale też y nápotomne czáſy bárzo ſzkodliwe: á zwłaſzczá, gdzie zábroniono vćiekáć ſię w rzeczách ku Religiey należących, do wſzelákich zwierzchnośći, ktora rzecz otwárza wrotá ku rozmaitym ſektom, y wſzelákiemu nierządowi. Bo zá licencyą, mogłyby ſię bárzo łatwie wnieść

wſzytkie ſekty, nietylko te, ktore iuż poſpolite ſą, ále też y naſproſnieyſze, iáko ieſt Adámitow, Turkow, y inne tym podobne, zá ktorymi y do Pogáńſtwá przyść by mogło. Czego my przeſtrzegáiąc, ácz ná wſzytkie rzeczy inne w tey Konfederácyey zámknione, ktore ku pokoiowi y zgodzie poſpolitey należą, rádzi pozwalamy, iáko ći, ktorzy Oyczyznę ſwą miłuiąc, nic pierwſzego, nic miłſzego nád zgodę poſpolitą v śiebie nie mamy, y w tym ſię ſolenniter oświadczamy, że my ná żadne mordy, ná żadne rozlanie krwie Chrześćiáńſkiey, á miánowićie narodu náſzego Polſkiego, á Bráćiey náſzey miłey, nie zezwalamy: y owſzem, ktoby ſię ná to brał, ábo iáką przyczynę do tego dawał, przećiwko tákiemu káżdemu bydź chcemy, y obiecuiemy: ále też Confederácyey tákiey chwalić nie możemy, ktora zwierzchnośći y vrzędy wſzytkie burzy, ktora do bluźnierſtwá imieniá Bożego, á do ſwey woley wobec wſzytkim, naywyżſzego ſtanu ludziom przyczynę podáie, á w tym práwá, ſwobody, á wolnośći ſtanu Szlácheckiego ku zniſzczeniu przywodzi. A ták ſię z tych y innych przyczyn, y ktemu obawiáiąc ſię tego, áby nápotomne czáſy, tákowa Confederácya miedzy poddánemi náſzemi, ſub prætextu Religionis & libertatis Chriſtianæ, do tákiey ſwey woley, á wſzeteczeńſtwá przyczyny nie dáłá, iáka byłá lat máło przeſzłych, miedzy chłopſtwem w Munſterze, y ná inſzych mieyſcách, w Szwáycárzech, przećiwko Pánom ſwym. My tedy ná ten ártykuł de diſſidio Religionis, ktory w tey Confederácyey nápiſány ieſt, á wiele rzeczy ſzkodliwych y niebeſpiecznych w ſobie záwiera, oglądáiąc ſię ná pierwſze Confederácye, y przyśięgi náſzych przodkow, ktore ſą przećiwne tey teráznieyſzey Confederácyey: oględuiąc ſię ná ſumnienie y powinność náſzę, ktorąſmy chwale Bożey, ſtárſzym náſzym, Kośćiołowi Bożemu, y Bráćiey náſzey ſtanu Szlácheckiego powinni, żadnym obyczáiem nań zezwolić, bonâ noſtrâ conſcientiâ áni chcemy, áni możemy; iákoż nie zezwalamy, y w tym ſię przy tych Akćiech publicè oświadczamy: y żądamy, áby nam tá proteſtácya in hac forma in Acta zápiſána byłá. A zwłaſzczá, iż też Poſłowie Ziemſcy, ná tę Konwokácyą od Rycerſtwá poſłáni, opowiedzieli ſię z niektorych Woiewodztw, że tego od Bráćiey ſwey zlecenia nie mieli; y owſzem że im ſrodze zákazáli Bráćia ich, ábyſię ná tey Konwokácyey w nic nowego nie wdawáli, iedno áby o czáśie, y o mieyſcu Elekcyey przyſzłego Krolá námawiáli: iákoż ſię publicè w Rádzie oświád-

czeli, że ná te Confederácye áni mogą, áni chcą zezwolić.

Iacobus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps.
Adam Konárſki Biſkup Poznáńſki.
Petrus Myſzkowſki, Epiſcopus Płocenſis, manu propria, ſcr.
Albertus Stározrzebſki, Epiſcopus Chelmenſis, ſcr.

Pro qua quidem iniuria & damno, & præmiſſa proteſtatione non ſuſcepta, offert ſe prædictus Reuerendiſſimus D. Archiepiſcopus cum Reuerendiſſ: DD. Epiſcopis præfatis, & cum omnibus alijs ſibi adhærentibus, contra prædictum Magnificum D. Caſtellanum Czernenſem, Capitaneum Varſzauienſem, ac ipſius officium iuridicè agere velle, loco & tempore competenti, prout de iure venerit. Quæ præmiſſa omnia & ſingula ſupraſcripta, ijdem Miniſteriales cum Nobilibus præfatis atteſtati ſunt, ſeq; circa præmiſſa omnia fuiſſe, eaq; audiuiſſe, rocognouerunt. Super quo memoriale ſolutum eſt, quod officium recepit. Ex Actis Caſtren: Sochaczouienſibus extraditum & correctum.

Extat & alia ſimilis Proteſtatio Ordinum Palatinatûs Plocen: quæ ob ſingulares & admodum elegantes, ibidem contra prædictam Confœderationem adductas rationes, digna eſt vt omnium omninò teratur manibus: atque ob eam cauſam ipſius quoq; contextum hîc ob oculos ponendum eſſe duxi.

Actum in Caſtro Płocenſi Feria Quinta ante Feſtum Natiuitatis Mariæ proximâ. Anno Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo tertio. Coram Generoſo Staniſlao Męczyński, Vicecapitaneo & Iudice cauſarum officij Caſtri Plocen:

VEnientes ad Officium præſens Caſtrenſe Płocenſe, Magnifici Domini Staniſlai Sandiuogij à Czarnkow, Referendarij Regni, Płocen: Drahimen: q; Capitanei. Generoſi, Nicolaus Koſſobucki, Notarius Terreſtris Płoceń: Iacobus Liſakowſki Dapifer Nureń: nomine Dignitariorum & Conſiliariorum ac Officialium, totiuſq; Nobilitatis, in Conuentione particulari Ráciążen congregatæ, exiſtentes ad infraſcripta ſpecialiter deputati & deſignati, reproduxerunt Proteſtationem manibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini Petri Myſzkowſki, Dei Gratia Epiſcopi Płocen: & Magnifici Alberti Kráśińſki, Caſtellani Sierpceń. Nicolai Koſſobucki, Notarij Terreſtris Płoceń: ſubſcriptam, ſigilliſq; vczt Sigillo terreſtri, necnon præfati Magnifici Caſtellani Sierpcenſis communitam & obſignatam, in præfata Cōuentione particulari Ráciążen, ad Confœderationem in Conuentione Generali Varſchouień: Electionis Regis proximè præterita, per nonnullas perſonas factam, quam cum ſpeciali mandato omnium Ordinum nobilitatis terræ Plocen: in Acta præſentia Caſtreń: Płoceń: inſeri & ingroſſari petierunt. Et officiū præſens Caſtrenſe Płoceń: viſa præfata proteſtatione, attendeń: ipſorum iuſtam petitionem, eandem proteſtationem in Acta præſentia Caſtreń: Płocen: ingroſſari & acticari admiſit, ſimulq; & mandauit. Cuius proteſtationis tenor de verbo ad verbum ſequitur, eſtq; talis.

MY Rády Duchowne y Swietckie, Dygnitarze, Vrzędnicy, y wſzytko Rycerſtwo Woiewodztwá Płockiego, wſzytkim wobec, y komu to wiedźieć należy, oznáymuiemy. Aczkolwiek nic zacnieyſzego, nic Rzeczypoſp: potrzebnieyſzego bydź rozumiemy, nad pokoy wnetrzny, y iednoſtáyna wſzytkich ſtanow miłość y zgode, y przy niey przećiw káżdemu, ktoby ia pſowáć y tárgáć chćiał, máietnośći náwet y gárdłá náſze położyć gotowi ieſteſmy: Ale iáko pokoy miłuiemy, y pilnie go przeſtrzegamy ták też zmow, ábo ziednoczenia oſob, lubo ſtanow niektorych, ktoreby pod tytułem pokoiu y zgody, chwałe miłego Bogá niſzczyli, wolnośći náſze poſpolite wniwecz obracáli: á do burd y zámieſzánia wrotá otwarzáli; y chwalić, y pomagáć niechcemy, áni będźiemy wiecznymi czáſy. Przeto gdy od niektorych oſob, ták ná Konwokácyey, iáko y ná Elekcyey Krolá nowego pod Wárſzáwą, Konfœderácya iákaś, in cauſa religionis *ſpiſána, y ku podpiſániu ábo pieczetowániu podána byłá; iż iey ná Konwokácyey Poſłowie náſzy, á ná Elekcyey ći Bráćia, ktorzy ſie byli ziácháli, podpiſáć niechćieli: z wielkachmy to od nich wdźiecznośćia y pochwała przyieli. Bo y oni zlecenia tego nie mieli. A ći záś ná nas nic ſtánowić nie mogli,* præter electionem, *w ktorey rzeczy ſámey* ius repræſentatiuum *mieli. A miánowićie Iáſnie Wielebnemu Iego M. X. Piotrowi Myſzkowſkiemu, Biſkupowi náſzemu, niech od nas, y od Potomkow náſzych wieczna dźieká będźie. Iż I. M. przy powinnośći ſwey, iáko práwemu Páſterzowi należáło, ſtatecznie ſtoiac, ná ták ſzkodliwe ſpiſy, ábo Konfederacye, ktoreby trzodę iemu poruczoną ſtráſzliwym iadem záráżić mogły, przyzwolić niechćiał: y owſzem prze Kośćioł miłego Bogá, y nieprzyiaźń, y nieprzeſpieczeńſtwo káżde odnieść był gotow, iako nam ći bráćia náſzy, ktorzy przy tym byli, zacne świádectwo dáli. A ták y Páſterzá ſwego, y miłey Bráćiey ſtátecznośći náſláduiac, wſzyſcy*

ſie teraz oświadczamy: Iż ná te Konfœderácya nie przyzwalamy, áni iey przyiać, áni promonowáć v przyſtego Páná chcemy: z przyczyn ſłuſznych y ważnych. Bo ácz ſie tá Konfœderácya zá to vdawa, iákoby w Polſcze pokoy y zgode gruntowáć chćiáłá: ále kto ſie iey przypátrzy dobrze, obaczy ſnádnie, iż pod ta piekna poſtáwa, trućizne podawa ſroga, ktora iádem ſwym, ieſli Pan Bog nie poſtrzeże, Korone Polſka nie pochybnie zábiie. Bo naprzod obraża miłego Bogá, obraża bliźniego, obraża y ſumnienie náſze. Náwet Korone Polſka, w wielka á ſromotna háńbe; Práwá, Przywileie, ſwobody náſze w niebeſpieczeńſtwo przywodźi. Obraża miłego Bogá tym, iż nie tylko fałſzywemu nabożeńſtwu, ále y bluźnierſtwu, ná oſtátek pogáńſtwu y wſzelákiemu wſzeteczeńſtwu droge do Polſki okázuie. Bo ieſli bedźie káżdemu wierzyć iáko kto chce wolno: A bedźie pewnie, gdy żadney peny in Hæreticos nie bedźie: Rzecze ieden, iż Chryſtus nie ieſt prawdźiwym Bogiem (iákoż iuż tákich y názbyt) Drugi záś powie, iż Máchomet ieſt prawdźiwym Bogiem. Trzeći zgołá powie, iż niemáß Bogá: z tych żadnego, áni Duchowna, áni świetcka zwierzchność káráć nie bedźie mogłá, bo go Konfœderácya záſtapi we wſzem. Ażći w Polſcze bluźnierſtwo, ażći Alkorán Turecki, a zá nim Turek, áż ná oſtátek y pogáńſtwo zámnoży ſie znowu. Nuż ieſli ſie záś kto z ſzkoły Iádámitow, v ktorych nic włáſnego nie máß, wyrwie, y do ſkrzynki ſie czyiey, ábo dźiewki, ábo żony rzući, day mu pokoy: Czemu? ták wierzy, Omnia communia, zá czymby Polſká, ono zacne y v poſtronnych narodow ſławne Kroleſtwo, w i iſkinia łotrowſka obroćić ſie muśiáłá. Iákoż iuż (nieſtetyſz) łotroſtwá y nieſłátku tego pełno: bo co z inad ſamiſz Heretykowie wypedza, tu do Polſki iáko do własnego domu bieży: Ciż v nas Apoſtołmi, ciż ſumnienia ludzkiego ſzáfárzmi, ći burza, ći mieſzáia, ći miłey Oyczyzny náſzey (o nieſzczeſne czáſy) krwia ſie páść chca. A gdyby tá Konfœderácya doyśdź miáłá, tymby ſie wiecey námnożyło tego. Obraża záś bliźniego, bo iż Rzeczpoſpolita Polſka ták ſtánełá, że przy Ich Mći Kśieżey wſzyſtke władza in ſpiritualibus zoſtawiłá; O czym ſpolne Przywileie náſze, á zwłaſzczá Iagellonis in Ledina, świadcza, ktore Dignitatum Regni iáko Secularium, ták y Spiritualium, nie tylko iura, ále y Conſuetudines vmacniáia, y vtwierdzáia: iáko bez wſzytkiey krzywdy Ich Mśći Kśieżey odiać ſie iudicium falſæ religionis aut doctrinæ bedźie mogło, ktore oni od tego czáſu, iáko w Polſcze Wiárá Chryſtuſowá naſtáłá, cále y nienáruſzenie, áż do tad mieli, to iedná krzywdá. Druga, gdy w iedney Wśi kilká Pánow bedźie: á ieden vdawſzy ſie zá ta Niemiecka wiárka, Kośćioł ſprofánuie: co drudzy w tey mierze czynić beda? Práwem trudno, Konfœderácya pozwala: więc ábo zá teb chodźić, ábo oni z wielkim vkrzywdzeniem zoſtáć muſza. K temu do iedney Paráfiey, Wśi śiłá Szláchecкich przyſłucha, iáko nie ku krzywdźie inſzych Páráfianow, Podawca w rożna Religia Kośćioł przeinaczy? Ieſli go pozowa, nic nie wygráia; dádzali mu też pokoy, inſzego Kośćiołá ſzukáć muſza. A ieſli y tamten, á potym y trzeći, y czwarty, áż y dáley, iáko to bedźie mogło

bydź, ſkáża:

bydź, ſkáża: ážći oni dobrzy ludźie, ktorzy poſtáremu Páná Bogá chwalić zwykli, bez Kośćiołá z poddánymi ſwymi zoſtáć, á potym w pogáńſtwo obroćić ſie muſza: y zá ta Konfœderácya, kto bedźie dobrym, kto ſpokoynym, ten krzywde ćierpieć bedźie, temu áni práwo, áni moc żadna przykrośći nie czyni żadney. A czemu? Konfœderácya ták mowi: iż to ieſt grunt pokoiu, y zgody wnetrzney, áby kto krzywde miał, milczał: á kto ia czyni, w pokoiu zoſtał. Aleć to omylna do pokoiu nádźieia. Lædens in nitro (ták mowia) læſus in marmore ſcribit. poczuiać ſie w tym kiedy ludźie. A ieſli tego onus, przez pośrzodek práwny, złożyć z śiebie nie beda mogli: do gwałtu y mocy ſie vćieka, ážći ktorey ſie ſtrzeżemy woyná domowa. Obraża też ſumnienie, bo káżdy z nas przy ſwey Religiey dla tego mocnie y ſtatecznie zoſtawa, iż ták o niey rozumie, że dobra, że prawdźiwa; á inſzymi ſie brydźi, iż złe, á fałſzywe. A gdyż ábo náſzá Apoſtolſka ſtárodawna Wiárá, ktora tych czáſow Papieſka názywáia, ieſt prawdźiwa; ábo tá teraz nowo w Niemcech ſpłodzona: iáko prze Bog, ábo my ich, ábo oni náſzey, bez náruſzenia ſumnienia ſwego pozwolić możem. Przy poczćiwey małżonce (iáko kto z dobrym ſumnieniem) wſzeteczniсe zćierpieć może? A tá Konfœderácya, za iedno to ma, y w iednákiey wadze pokłáda. Ná czym ieſli ſpokoyne dobre ſumnienie przeſtáć może, niech káżdy ſadźi. Y na ten czás że ſie to nalepſzego pokoiu ſpodźiewáć bedźiemy, kiedy chwałe miłego Bogá zniſzczemy, bliźniego ſwego vkrzywdźimy, ſumnienia ſwe pokánceruiemy? Niech ſie w tym iáko kto chce kocha, niech iáko chce ſobie pobłáża: nie tráfić w to, áby fałſz z prawda porownał, żeby dáli ſobie rece, á od tego czáſu w pokoiu z ſoba mieſzkáli; nie doczekáć tego nigdy, áby Pan Bog tam impium opus, łáſka ſwoia pożegnać miał. Pokoy, ieſt dar miłego Bogá; á kto iedność rwie wiáry, ten z Bogiem żadnego ſpołku nie ma. Y owſzem, niech tego pewien bedźie, iż nas pomieſza Pan Bog pierwey miedzy ſoba, á potym nieprzyiaćielowi wiáry Chrześćiáńſkiey podá, iáko Czechom, iáko Wegrom náſzym ſaśiádom, prze tákoważ vczynił przyczyne. A wiecbychmy ludźie ſpokoyni, ludźie nád dobro Rzeczypoſp: nic v śiebie przednieyſzego nie máiacy, ná to co Koronie Polſkiey wieczna zgube pewnie przynieśie, przyzwolić mieli? Nádto co może bydź ſromotnieyſzego, kiedy w Rzeczypoſp: náſzey, iáko to, iż v nas ten, ktory wołu, krowe, świnie, koze vkrádnie, karan bedźie: á ktory Kośćioł zburzy, Ołtarze przewraca, Kápłany wypedźi, Swiete Páńſkie, Przeczyſtſza, y nigdy podług potrzeby niewychwalona Pánne Mátke Boża zeſromoći, chwałe miłego Bogá zniſzczy, Imie náoſtátek Páńſkie, y duchom złym ſtraſzne zbluźni, zháńbi, ten mowie, táki pokoy mieć bedźie: tego ktoryby chiał karać, iużby pokoy wnetrzny wzruſzał, miłość, zgode tárgał. Przeto przećiw iemu powſtáć, iáko przećiw nieprzyiaćielowi Koronnemu wſzyſcy powinni beda. O zápámietánie naſze! inſze narody w pobożnośći á w ſpráwiedliwośći pokoiu grunt y zgody záktádáli. A my nieſzczeſni Polacy, w niepobożnośći y w nieſprawiedliwośći od przyſzłego gniewu Páńſkiego vtaićbyſmy ſie chćieli. Ale dźiwna rzecz, iáko zá grze-

chem,

chem, tuž záwzdy kážń miłego Bogá idźie. Co y w tey Konfederácyey ſnádnie obaczyć káždy može: Bo fałſywe nabožeńſtwo, beſpieczeńſtwem opatrzáiąc, wolność náſze miłą w niebeſpieczeńſtwo przywodźi. Wiemy to wſzyſcy, iž Krole y Pány wſzelákie nic inſzego w powinnośći ich nie zátrzymawa, iedno przyśiegá; Bo tey wzgledem, ná práwo, ná wolnośći poddánych, ogladáć ſie záwždy muśi, wiedząc iž Pan Bog periuros *ſrodze karze. Otož ku podnieśieniu powagi tey przyśiegi, y ku zniſzczeniu iey, tą Konfederacyą droga ſie otwiera wielka. Bo ieſli bedźie káždemu wolno, w iáką bedźie chćiał Religią ſie przewierzgnać: á czemu tež y nie Krolowi? A ieſli Krol rzecze, iž ták wierzy, že* iuramentum præter Dei præceptum factum non tenet: *Czego mu Pánowie Ewángelikowie bronić nie mogą; bo to v nich* recta & indubitata propoſitio, nihil eſſe recipiendum præter ſcripturas: *Niechayže mi vkaže w świetym piſmie, gdźie ktory Krol wolnośći poprzyśiągł Zydom, ábo žeby poprzyśiegáć ie Pan Bog przykazał. Niechay vkaže w ktorey Ewangeliey to ſtoi:* Neminẽ captiuabimus, niſi iure victum. *Niech vkaže ktory to Prorok nápiſał:* Nihil noui ſtatuemus, niſi cum conſenſu Conſiliariorum & Nunciorum. *Niech powie, w ktorym Pſálmie Krol Dawid:* Super haſtam extra fines Regni Nobilitati *pieć grzywien obiecuie: tákže y o inſzych wolnośćiách. A ták Krol Ewángelik z tych przyczyn przyśiegę ſwoie lekce vważyć, á zgołá porzućić ią može: bo ieſli inſze votá, iáko* Caſtitatis & Religionis *nizacz v śiebie nie máią: czemuby przyśiegá wažna bydź miáłá? Gdyž tež ieſt iedno* votum, *ktorym* Princeps vouet *Bogu, iž práwá y wolnośći ſwoich poddánych wcále záchowa: Ažći przyśiege zelžywſzy, Práwá y Przywileie, y Státutá náſze o źiemie vderzy, á podług Bibliey ſadźić bedźie: iáko nie dawno Stároſtá ieden w Polſzcze z tego pocztu czynił. Ieſli ſie tedy Krol ná to vda, co czynić? do mocy trudno, Konfederacya zá nim. ieſli iey iemu trzymáć nie będą, á czemu ią tež on trzymác komu powinien? Ažći w Polſzcze mieſzánina, ažći iedni ná te, drudzy na owe ſtrone przeſtepuią: wiec ábo w ſie vderzem, ábo z wolnośćiámi ſie ſwemi wiecznie požegnáć muśim. A ći podobno, co teraz ná piſkorzu przeſtáć muſzą, nie zániecháią pomśćić ſie ſwego. Z tych tedy przyczyn, iáko káždy baczy, ſłuſznych, ná táką Konfederácyą nie przyzwalamy, áni przyzwolić* bona conſcientia *možemy. Ale przy ſtárodawney wierze, ktorąchmy od Kośćiołá Rzymſkiego wźieli, mocnie y ſtátecznie ſtoiąc, y cnych przodkow ſwoich náśláduiąc, ktorzy zámieſzánych onych Czeſkiego kácerſtwá czáſow, nie pozwalániem fałſzywego nabožeńſtwá, ále zábraniániem, pokoy y zgodę w tey Koronie záchowáli: przy ſtárych Konfederácyách przeſtawamy, y potomkowie náſzy przeſtawáć będą. A iž ſie* rumores *iákieś wſzczynáią, iákoby prze nierychłe Krolá obránego przyiáchánie, do rozruchu iákiego w Koronie przyść miáło: Tedy ſie w tym oświadczamy, iž ieſliby pod ten czás, nižli do nas Pan obrány przyiedźie, oſoby iákie, ábo Stany, lubo tež Ziemie,* motus *iákie czynić, ábo do złoženia inſzey Elekcyey mieć*

ſie chćiá-

ſie chćiáły, tákowemu tego pomagać niechcemy: ále przy zgodnym od wſzech Stanow Naiáśnieyſzego Páná Kśiążećiá I. M. Páná Henryká Krolewicá Fráncuſkiego obrániu, mocnie y ſtátecznie zoſtawáiąc, iego przyiáchania iákozkolwiek długiego, z tą wiárą, y z tą chećią, iákąſmy go obráli, czekáć bedźiemy. A ktoby burzyć, ábo motus *iákie ſzkodliwe przećiw niemu wſzczynáć chćiał: przećiw tákiemu káždemu, ktoregobykolwiek był záwołánia, ná ſkáze iego powſtáć wſzyſcy powinni bedźiemy, iáko* contra hoſtem patriæ, *ktory ſie* non contentando iure communi, *zgodne raz Páná obránie, tárgáć chce y rozrywáć. Wſzákže Ich Mość Pány Koronne vpomnieć, áby ſie ſtáráli, žeby Krol I. M. co narychley przyiáchał. Bo áby miał Korone ſpráwowáć przez Gubernatory, ná to nie przyzwalamy: co ſobie ſtrzymáć wſzyſcy* ſub fide, honore, & nominibus noſtris *obiecuiemy, y tym piſmem obwiezuiemy ſie. Ktorą náſze Proteſtácyą z ſtrony Rad Wielmožny Pan Woyćiech Kraśińſki Káſztellan Sierpſki zápieczetował. A z ſtrony Rycerſtwa, kazáliſmy ią zápieczetowáć Ziemſką pieczećią, y deputowáliſmy z pośrzodku śiebie Vrodzone, Iákubá Liſákowſkiego, Stolniká Nurſkiego, Stároſte Raćieſkiego, y Mikołáiá Koſſobudzkiego, Piſárzá Ziemſkiego Płockiego, áby te Proteſtácyą náſze do Kśiąg Grodzkich Płockich podáli ku wpiſániu. Dźiało ſie w Ráćiążu ná Seymie pierwſzego dniá Wrześniá, Roku Páńſkiego, 1573.*

Petrus Myſzkowſki Epiſcopus Płocenſis ſcripſit.

Albertus Kraśińſki, Caſtellanus Sierpcen: ſcripſit.

Nicolaus Koſobuczki, Notarius Terreſtris Płocenſis.

Stániſlaus Meczyńſki Vicecapitaneus; & cauſarum Officij Caſtri Płocenſis Iudex, propria manu ſcripſit.

Ex Actis Caſtren: Płocen: extractum.

Verum præter illas in inſtanti, ſiue (vt Iuriſconſulti loquuntur) ſtante pede interpoſitas Proteſtationes, nihil vnquam à Catholicis, tàm ſpiritualibus, quàm ſecularibus omiſſum fuit, quominùs hic articulus Confœderationis, diuerſis modis vbiq; locorum impugnaretur. Nam * & 23
Pariſijs cùm Legati Ordinum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, Electo Regi Henrico Regnum deferrent, Reuerendiſſimus Dominus Adamus Konarski, Epiſcopus Poſnanienſis, Princeps illius legationis, & cum eo alij inſignes viri, eiuſdem legationis comites atque ſocij, circa exhibitionem articulorum Henrico Regi, Anno, 1573. die 29. Menſis Auguſti factam, contra Confœderationem prædictam ſolenniter proteſtati fuerunt. Quam proteſtationem maioris fidei cauſa, hic adijcere non incongruũ videtur. *Ego Adam Konarſki de Kobylino, Epiſcopus Poſnanien: proteſtor ſolenni-*

O

lenni-

lenniter coram Deo, & Serenissima Maiestate Vestra, & vobis præstantissimis Viris, & coram vobis Domini Legati, in præsentia Notariorum publicorum hîc adstantium, insistendo protestationibus prioribus antea, & sæpius factis, quòd huic articulo, in quo de fidei dissidiis, siue de confœderatione mẽtio fit, semper obstiti, & contra ipsum vnà cum alijs protestatus sum, & nunc meo, & aliorum mihi adhærentium Catholicorum, nomine rursus protestor, quòd prædicto articulo expresse contradico, & omni meliori modo repugno, meq; oppono, quòd sit contra iura & libertates Ecclesiæ, & contra veras Regni constitutiones: & ex alijs caussis & rationibus, in iam dicta protestatione in Comitijs Electionis facta, contentis. Cuius rei peto à vobis Notarijs instrumentum confici, & mihi expediri. Quod cùm dixisset supradictus Reuerendiss: Dominus Episcopus, in eadem ferè verba protestatus est Illustris & Magnificus Dominus Albertus à Lasko Palatinus Siradiensis: & Illustris Dominus Nicolaus Christophorus Radziuilus, Marschalcus Curiæ Lithuaniæ, Regni Poloniæ Oratores, quorum vterque inhærendo protestationi factæ à Reuerendiss: Domino Episcopo, similiter protestatus est, quod huic articulo, siue Confœderationi de religione, non consentiant, sed resistant. Quinimò iterum atq; iterum, ante & post protestationem, ac Rege super articulos sibi oblatos iurante, ab eodem Reuerendiss: Episcopo Posnanien: interpositas fuisse eo nomine protestationes, ipsius Henrici Regis diploma declarat. Quod nè quẽpiam lateat, aut figmenti fortè loco habeatur, illud de verbo ad verbum hîc adscribere visum est.

HENRICVS Dei Gratia, Ele- 24
ctus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Liuoniæq; &c. necnon Andium, Borboniorum, & Aluernorum, Comes Marchiæ Foresti, Quercis & Monfortis Significamus harum seriè literarum vniuersis & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse in futurum quomodolibet poterit. Quòd Anno & die datæ præsentium, quũ Sacrificio Missæ de Spiritu sancto in Ecclesia Cathedrali Parisiorum exaudito, ad maius Altare eiusdem Ecclesiæ accessissemus, ad præstandum iuramentum nobis ab Oratoribus Regni Poloniæ, & Magni Duc: Lithan: per Magnificum Ioannem Herborth de Fulstin, Castellanum Sanocen: collegam eorum oblatum, & in loco præstandi iuramenti iam essemus, Reuerendissimus in Christo Pater Adamus Konarski de Kobylno, Episcopus Posnaniensis, eiusdem Regni Poloniæ Primus Orator, coram nobis & omnibus astantibus, nomine suo, ac totius status & Ordinis spiritualis, omnium Catholicorum Senatorum & Nobilium in Regno Poloniæ, & Dominiis ad illud pertinentibus, vbicunque consistentium, ac huiusmodi suæ protestationi adhærentium, atq; adhærere volentium, inhærendo ante factis protestationibus, protestatus est: Quia huiusmodi iuramento, eo quod sit absque omnium statuum ac Ordinum Regni communi consensu conscriptum, nullo modo consentit, ac eiusdem protestationis suæ schedulam sigillo suo munitam, nobis attulit & exhibuit. Adhærentibus eidem suæ protestationi Magnifico Alberto Laski, Palatino Siradien: & Nicolao Christophoro Radziuil, Duce in Olyká & Niesuież, Curiæ Magni Duc: Lithuaniæ Marschalco, dicti Regni Poloniæ & Magni Duc: Lith: Oratoribus. Cuius quidem Protestationis tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Serenissime Rex. Quoniam Maiestas Vestra est, nuper in nostrum Regem electa, minus fortasse accepit Regni Poloniæ consuetudines, præcipuè iuramenti à nouis Regibus suscipiendi: ne quid illa in hoc negotio aliorum culpâ nesciens peccet, venia prius, qua decet submissione, à Maiestate Vestra impetrata, pro ea quam gero & Episcopi Catholici, & Legati Polonici persona illam moneo, Reges Poloniæ iurare solitos ex quadam veteri formula, quam è Statuto Regni sumptam, quidam qui à Catholica fide desciuerunt, additis insertisq; permultis, quæ nulli antea Poloniæ Reges iurare soliti sunt, innouârũt; quamq; ita innouatam, non omnes Regni Poloniæ status approbarunt, maximè verò Ecclesiasticus Ordo, & plerią; alij, tum Senatores, tum ex Equestri Ordine, qui & in Polonia protestati sunt, & obstiterunt huiusmodi innouationi, quemadmodum ego quoq; hisce diebus, tradito illius protestationis exemplo, coram Maiestate Vestra sum protestatus, cum de secundo articulo ipsi exhibito ageretur. Ea tamen innouata formula, nunc Maiestati Vestræ adfertur, vt ex illis verbis Sacramento adigatur. Quod nè Maiestati V.

Regnoq; Poloniæ, inprimis verò
Eccleſiæ & ſtatui Eccleſiaſtico ob-
eſſe poſſit aliquando; neué quod
præter Senatus totius Polonici ſen-
tentiam, contra Deum, Eccleſiaſti-
ca iura, & veteres Regni Poloniæ
conſtitutiones attentatur, aliquam
habere vim aut firmitatem poſſit;
etiam atq; etiam Maieſtatem Ve-
ſtram moneo atq; oro, nè alia ex
formula iuret, quàm quæ alijs Re-
gibus eſt oblata, quæq; ei circa Co-
ronationem afferetur. Sin verò alia
fuerit eius animi ſententia, rurſus
oro, nè moleſtè ferat, cùm ego me
vniuerſumq; Ordinem Eccleſiaſti-
cum, ac quoſcunque Eccleſiaſticos
& Reipub: curam gerentes, qui me-
cum idem ſentiunt, ijs rebus oppo-
ſuero, quas contra Deum & fidem
Catholicam aliter geri video, quàm
in Republica noſtra conſueuerit.
Itaq; iam nunc omni meliori modo
& forma proteſtor, meo & Eccle-
ſiaſtici Ordinis, ac omnium Catholi-
corum mihi adhærentium, hîc &
in Polonia, nomine, nulli nos alteri
iuramento aſſenſuros, quàm ex ve-
teri formula ſuſcepto: neque ratum,
aut ſanctum habituros, quod aliter
à Maieſtate Veſtra fuerit iuratum:
quin iuramentum eiuſmodi nullius
authoritatis & irritum fore: neque
Maieſtatem V. ſaluis Regni Polo-
niæ iuribus, illud poſſe aut debere
ſuſcipere, ac propterea illo neq; te-
neri, neq; vlla ratione affici. Quam-
obrem ab omnibus Notarijs, aut Se-
cretarijs Regiis, aut quibuſuis hic
præſentibus, peto & flagito, vt ho-
rum omnium mihi inſtrumentum
publicum exarent, & in forma pro-
bante authenticè ſcriptum tradant,
præſentibus teſtibus. Quam qui-
dem proteſtationem, Nos HENRI-
CVS Dei Gratia Rex Poloniæ ele-
ctus, ſuſcepimus & admiſimus,
profitemurq; ad perpetuam rei me-
moriam, Nos per huiuſmodi iura-
mentum à nobis præſtitum, etiamſi
quocunque colore, vel ingenio in-
terpretatum fuerit, nihil cuiquam,
præſertim verò ſtatui & ordini Ec-
cleſiaſtico, eiuſq; iuribus & iuriſdi-
ctionibus, tam ſpiritualibus, quàm
ſecularibus, quæ omnia firma &
immobilia perpetuò eſſe volumus,
derogare velle, vel vnquam dero-
gaturos, verbo Regio pollicemur,
& iureiurando nos obligamus. In
cuius rei fidem & teſtimonium
præſentes literas decernimus, ſigillo-
que noſtro, quoad præſens vtimur,
communiri iuſſimus, & manu pro-
pria ſubſcripſimus. Præſentibus Re-
uerendo, Magnificis, Generoſis &
Nobilibus, Petro de Gondi Epiſco-
po Pariſienſi, Ioanne Zamoyſki Bel-
zen: & Zamecheń. Nicolao Firley
de Dabrowicá, Caſimirien: Capita-
neis, Pau-

neis, Paulo de Euix, & Henrico de
Neuers, Conſiliarijs Regis Chriſti-
aniſſimi, in ſuo ſecretiori & priuato
conſilio. Actum & datum Pariſiis,
die Iouis, 10. Menſis Septembr. An-
no ab Incarnatione Domini, 1573.

Sed quid, num in eo iam
ſtetit hoc negotium? Minimè
verò, nam quemadmodum
antea (vt ſupra dictum eſt) to-
to interregni illius tempore,
& præcipuè in Electione noui
Regis, circa Varſauiam, vni-
uerſus Status & Ordo Spiritu-
alis, cùm non exigua itidem
parte ſtatûs ſecularis, huic ar-
ticulo de pace inter diſſiden-
tes in religione tenenda re-
clamauerunt, & ne inpoſte-
rum robur haberet, ſolenni-
ter proteſtati ſunt: ita poſt
25 modum* cùm iam veniſſet
tempus diadematis imponen-
di nouo Regi, & confirman-
dorum per eũ iurium omni-
um Regni, Illuſtriſſimus &
Reuerendiſſ: Iacobus Vchan-
ski, Dei & Apoſtolicæ Sedis
Gratia Archiepiſcopus Gne-
ſnenſis, Regni Primas; & item
alter Reuerendiſſimus Archi-
epiſcopus Leopolienſis; ſimi-
liter & omnes Domini Epi-
ſcopi, tùm temporis præſen-
tes, ſuo & aliorum abſentium
Epiſcoporum, Abbatum, Ec-
cleſiarumque Cathedralium
omnium, & Collegiatarum,
ac vniuerſi huius Regni cleri
nominibus, tanquàm vniuer-
ſus ſtatus ſpiritualis, cùm non
poſtrema parte ſtatûs ſecula-
ris, ac ordinis eius, articulos
in Conuentu Electionis noui
Regis, à quibuſdam ſeculari-
bus, ſine vnanimi conſenſu
omniũ Ordinum, imò quàm
plurimis reclamantibus atque
proteſtantibus, non ſuo loco,
neque tempore, nec modo
atque ordine debito & legi-
timo compoſitos, inter con-
firmationem iurium & liber-
tatum Regni inſeri non poſſe,
nec debere, multis ijſq; grauiſ-
ſimus rationibus (quæ in pro-
teſtatione Cracouiæ, Anno
1574. eo nomine facta, conti-
nentur) comprobarunt. Neq;
inefficax* tùm temporis ex- 26
titit eorum articulorum im-
pugnatio; vtpotè quod Rex
Catholicus facilè ſibi perſua-
deri paſſus eſt, non aliam con-
firmationis iurium ac liberta-
tum Regni obſeruandam ſibi
eſſe formulam, quàm quæ à
prædeceſſoribus ſuis per ma-
nus ſibi tradita eſſet: ac proin-
de nouos illos articulos Con-
fœdera-

fœderationis ſupradictæ, tanquam controuerſos, de quibus (vt in priuilegio eiuſdem confirmationis habetur) non tantùm in Coronatione, verùm & in Gallia, magnæ interceſſerunt diſceptationes, nequaquam priuilegio confirmationis iurium inſerendos, ſed ad Conuentus particulares omninò reijciendos eſſe iudicauit. Non me illud præterit, quod poſtmodùm reuiuiſcente iſtius hydræ capite, à poſterioribus Regibus, Stephano & Sigiſmundo tertio, feliciter nobis regnante, aliquoties, tàm videlicet in Electionibus, quàm & in Coronationibus illorum, iſti articuli de pace inter diſſidentes in religione tenenda, approbati atque confirmati fuerint; attamen vbiq; repugnantibus & reclamantibus Senatoribus ſpiritualibus & ſecularibus quàm plurimis, id factum fuiſſe, nulli dubium eſt. Id enim non ſolùm ex proteſtationibus, identidem quotieſcunque huius Confœderationis mentio facta fuit, interpoſitis; ſed etiam ex ſubſcriptionibus illorum manifeſtò ap-
27 paret. Inprimis * verò confirmationi electionis Regis Stephani, vbi de Confœderatione nihil factum fuit, Andreouiæ, Anno Domini, 1576. die prima Februarij, Reuerendiſſimus Stanislaus Karnkovvski Epiſcopus Vladſlauienſis, ſuo, & totius ſtatus Spiritualis nomine ita ſubſcripſit. *In articulo de Compoſitione & iudicijs, ſaluo iure ſpiritualium.* Circa confirmationem demum iurium atque priuilegiorum Regni, à Rege Stephano, in Ciuitate Megges, octaua die Menſis Februarij, Anno Domini 1576. factam, (vbi nullus Epiſcoporum, ſed omnes ferè, paucis exceptis Catholicis, diuerſæ religionis homines ea legatione functi fuerunt) eius re fit mentio, *quod nimirum aliqui incolæ Regni* (verba ſunt Stephani Regis,) *id ſibi cauerunt ſpeciali Confœderatione, vt in cauſa religionis pacem habeant, quàm nos illis conſeruaturos plenè & perpetuè pollicemur.* Ex quibus verbis hoc diligenter notandum eſt, ſpecialem non vniuerſalem hanc eſſe Confœderationem, vtpotè aliquibus tantummodò incolis Regni ſeruientem. Deinde nihil aliud præter pacem diſſidentibus in religione caue-
28 ri atque promitti. Denique * poſt mortem Regis Stephani ſub Interregno, in Conuentu Senatorum, & Nobilium Palatinatuum Cracouien: Sandomirien: & Lublinen: Cracouiæ, Anno 1572. celebrato, noui articuli Confœderationis proponuntur. In quibus huius itidem Confœderationis diſſidentium de religione fit mentio. Cui inſignes & magnos viros, Illuſtrem nimirũ & Magnificum Nicolaum Zebrzydovvski, Generalẽ Crac: Capitaneum; & Spitconem Iordan Capitaneum Sandecen: tali ſubſcriptione illorũ articulorum (in quantum videlicet iuri antiquo, tam publico, quàm alicuius priuato non derogant, & in Conuocatione approbati fuerint) haud obſcurè contradixiſſe, quis dubitare poteſt? Sequu-
29 ta * poſtmodùm Anno 1578. Conuocatione Generali Warſauien: cauſa eligendi noui Regis indicta, clarè & expreſſè ab Epiſcopis huic Confœderationi contradicitur, vt liquidò apparet ex his ſubſcriptionibus: *Staniſlaus Karnkowſki Archiepiſcopus Gneſnen: excepto articulo Confœderationis inter diſſidentes de religione, manu ſua propria. Albertus Báránowſki Epiſcopus Præmiſlien: R. P. Vicecancellarius, eadem præmiſſa exceptione. Laurentius Goślicki Epiſcopus Camenecenſis, excepta Confœderatione. Staniſlaus Leſczyńſki Canonicus Cracouien: excepta Confœderatione.*

Cùm itaque publica huius Regni iura nullo modo patiantur, ea pro legibus & conſtitutionibus haberi, in quibus vnanimis conſenſus omnium Prælatorum, Baronum, & Conſiliariorum, tam ſpiritualium, quàm ſecularium, atq; Nunciorum Terreſtrium, non interuenit: iure merito hic quoque articulus Confœderationis, à priuatis quibuſgam hominibus priuati commodi cauſa; vtpotè ne pœnæ ob diuerſitatem religionis in eos extenderentur, introductus & ſuppoſitus, contra quẽ tot ſolennes proteſtationes, tot contradictiones, tot denique refutationes, tam ſcriptis, quàm dictis, vbique locorum, & quouis tempore factæ reperiuntur, nullam non modò vim, ſed nec nomen legis aut conſtitutionis habere poteſt, aut de-

30 aut debet. Longè aliam * dissimilemq; fuisse, olim maiorum nostrorum in statuendis huiusmodi Confœderationibus obseruantiã, vel ex ipsius Confœderationis Korczynen: contextu, Anno Domini, 1438. die 8. Martij. ab omnibus ordinibus Regni initæ, res ipsa testatur. *Nos*, inquiunt Ordines Regni, *Principes spirituales & seculares, Barones, & Comites, Proceres, Milites, Nobilitas, Ciuitates, totaq; communitas Regni Poloniæ: singulariter singuli, & vniuersaliter vniuersi, eodem animo, eadem voluntate, scientia, assensu, & ratihabitatione, omnes vnanimiter decernimus, & significamus tenore præsentium, &c. quod quicunque existat indigena Regni Poloniæ, &c. vellet aliquas inobedientias contra ius commune, &c. aut etiam hæreticales errores facere, vel promouere: contra talem, siue tales, cuiuscunq; status, gradus, conditionis, & præeminẽtiæ fuerint, siue spirituales, siue seculares, & in eorum destructionem consurgere volumus, & promittimus, sub fide & honore nostris, absque dolo & fraude: nec ipsis auxilio, consilio & fauore patrocinari volumus, sub fide & honore nostris, etiamsi sanguine, affinitate, & quacunq; propinquitate forent nobis, aut alicui nostrum coniuncti, &c.* Deus bone! quàm dissimilis, & quàm Christianæ pietati magis conueniens est huius antiquæ Confœderationis formula, ab ea, quam isti non ita pridem sub Interregnis sibi fabricauerunt: Ibi enim omnium Ordinum & statuum, tam spiritualium, quàm secularium, vnanimem consensum intercessisse; huic verò nouæ confœderationi potissimam partem Reipub: vniuersum nimirum Ecclesiasticum ordinem reclamâsse constat: ibi in extirpationem quorumuis hæreticalium errorum; hîc verò in propagationem nouarum sectarum fit consensus: ibi in hæc verba, *nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed punire promittimus*, maiores nostri sese obstringunt; hîc verò eos defendemus, ac tuebimur, isti dicunt. Sed * non fuit hæc sola Catho- 31
licorum in Polonia contra hæreticos confœderatio; quinimò alias haud dissimiles, quæ à pientissimis illis maioribus nostris, eodem de feruore pietatis factæ fuerunt, plures antecessisse certis diplomatibus probatur. Et in-

primis Anno Domini, 1430. in Comitijs Regni Iedlnæ, omnes Ordines Regni suscipiunt in Regem de duobus filijs Vladislai Regis, qui aptior Regno fuerit: promittuntque vnanimiter contra eos se insurrecturos, qui huic susceptioni contrauenire, vel bellum intra Regnum facere, vel cõmouere, & conspirationes inire, aut hæreses promouere ausi fuerint, sub fide & honore suo. Fuit autem hoc diploma munitum sigillis Nobilium Polonorum numero quinquaginta. Simile diploma sub sigillis Nobilium sexaginta, Posnaniæ Anno Domini 1432. in Comitijs confectum fuit. Item in Comitijs in Brzescie, de data Feria Tertia Paschæ, Anni, 1433. similes extiterunt literæ, sub sigillis Nobilium, numero quadraginta quatuor. In Comitijs quoque Dobrzynen: Anni 1434. similes literæ editæ fuerunt, sub sigillis Nobilium sexaginta. Nobilitas itidem Russiæ in Comitijs generalibus in Mosciska, Anno 1439. simili diplomate sese obstringit, sub sigillis sexaginta quatuor. Idem denique fecit Nobilitas Podoliæ in Kamieniec, Anno eodem, 1439. sub sigillis viginti tribus. Ac præterea * an- 32
tiquiorum quoque Poloniæ Regum, contra hæreticos latæ, complures reperientur sanctiones: qualis est illa, vel ipsius Prylusij testimonio, vtilis admodum conseruandæ religioni, atque perpetuâ memoriâ digna, lex Vladislai Regis Iagellonis in Iedlna, Anno Domini, 1424. promulgata, quæ sic se habet: *Quod cùm sub dissimulatione præterire non debemus, imo arctemur Diuinæ legis perpetuis institutis, pestiferos hæreticorum errores, (quos in Dei contemptum, & in Christianæ religionis detrimentum, & eneruationem, politiaq; iacturam, iniqua peruersorum corda conflauerunt) etiam quæcunque oporteret, nos subire pericula, à finibus nostris propulsare, in gladio deijcere, vt qui censura Ecclesiæ non terrentur, humana seueritate mulctentur; maturo consilio Prælatorum, Principum, & Baronum nostrorum habito, & consensu, & etiam de certa ipsorum & nostra scientia, præsentibus decernimus, & pro firmo constanti, & pro irrefragabili edicto teneri præcipimus: Vt quicunque in Regno Poloniæ*

loniæ nostro, & terris nobis subiectis, hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules Ciuitatum, & alios officiales, ac quoslibet subditos nostros, siue in Officijs, siue extra viuentes, velut Regiæ Maiestatis offensor capiatur, & iuxta exigentiam excessus sui puniatur. Atque ibidem paulò inferius subiungit, contra eosdem hæreticos grauissimas pœnas. *Et nihilominus omnia bona ipsorum, mobilia & immobilia, in quibuscunq; rebus consistentia, publicentur, thesauro nostro confiscanda, prolesque eorum, tàm masculina, quàm fœminina, omni careat successione, perpetuo, & honore, nec vnquam assumatur ad dignitates vel honores, sed cum patribus & progenitoribus suis, semper maneant infames, nec de cætero gaudeat aliquo priuilegio Nobilitatis vel decore.* Extant Sigismundi quoque primi non pauca eiusdem sententiæ edicta. Et primum quidem Torunij, Anno 1520. editum, tale est: *Manifestum facimus harum seriè literarum, quod intelligentes ad regnū & dominia nostra inferri, nonnullos libellos cuiusdam Fratris Martini Lutheri Augustiniani, in quibus multa continentur, tàm contra Sedē Apostolicam, quàm etiam in perturbationem communis Ordinis, & status rei Ecclesiasticæ & religionis. Cùm enim in Regno nostro ex huiusmodi scriptis errores aliqui pullularint, officij nostri, vt Christiani Principis, & fidelis filij Sanctæ matris Ecclesiæ, esse duximus, vt authoritate & potestate nostra Regia, hinc cœpto noxio resisteremus. Mandamus itaque vobis omnibus subditis nostris, & cuilibet vestrum seorsum, vt nemo deinceps audeat talia opera, vt præmissum est, in Regnum & dominia nostra inferre, vendere, aut illis vti, sub pœnis confiscationis bonorum atque exilij, quas vnusquisque mandatum nostrum transgrediens, sine vlla excusatione, tàm ignorantiæ, quàm alterius causæ, subibit.*

Alterū Cracouiæ, Anno 1525. non dissimile priori, sic se habet: *Manifestum facimus omnibus & singulis, cuiuscunque status & Ordinis subditis nostris, ac etiam aduenis quibuscunque. Quia cùm humanis ingenijs, præsertim vulgi, ad res nouas ac insolentias propensis, necesse sit, cùm alia multa, tum verò hæreses emergere; necesse item sit per eos, qui diuinis & humanis institutis præpositi sunt, illas hæreses tanquam pestem & virus nocentis-*

simum à subditis illorum arceri; Siquidem sola religio est, quæ legibus ac institutis suis homines in disciplina, in virtute, ac fide erga Deum & homines continet ac regit, quaq; in norma & obseruantia sua veteri turbata ac dissoluta, turbari & dissolui necessè est vniuersa, quod postea, vt multis exemplis constat, in seditionem vergere, ac in perniciem Rerumpublicarum, earumq; rectores redundare solet. Nos pro officio Christiani Principis, eam ipsam religionem à sanctis Patribus ordinatam, ac per Ecclesiam sanctam Romanam directam, nobisq; à maioribus nostris per manus traditam, ac per nos denique ad gentes nostras, multò sanguine, & clarissimis gratia Dei victorijs hactenus defensam, etiam à labe hæretica, his temporibus in vicinia emergente, integram & immaculatam in Regno & dominijs nostris conseruare volentes, publicis edictis mandamus, ne quidam Lutheri cuiusdam libri, eiusq; sequacium quorumcunque, quos sua insolentia in reprobrum egit sensum, quiq; prætextu libertatis Christianæ, prætextu vitiorum Ordinis Ecclesiastici & scandalorū, quæ in hominibus fieri necessè est, tanquam sub melle, virus suum in vulgus spargunt, & scriptis ac sermonibus famosissimis, non solùm mores salubres, & instituta Ecclesiastica, sed ipsos etiam Sanctos Patres turpissimè proscindunt, & sacra prophanis miscent, ad Regnum & dominia nostra inferrentur & legerentur. Neue quis dogma ipsum pestiferum approbare audeat, sub pœna capitis, & priuationis omniū bonorum. Ad quæ edicta nostra exequenda modum, etiam opportunum statuere volentes: Delegauimus in Prætorium Ciuitatis Cracouiensis nonnullos primarios nostros, tam spirituales, quàm seculares Consiliarios, qui cum Consulibus & officialibus Ciuitatis, sic edicta nostra exequentur, vt inprimis quandocunque opportunum videbitur, Reuerendissimo D. Episcopo Cracou: per inquisitores eius cum Decurionibus, quos Consulatus in Ciuitate ad huius negotij aliorumq; excessuū tollendorum custodiam eligent, per omnes domos, testudines, & cistas diligens scrutatio & inquisitio fiat: & vbi aliqui libri hæretici inuenirentur, illic pœna edicti exigetur. Deinde, vt Impressores librorum nihil prorsus imprimere, & Bibliopolæ, vel alij quicunq; exponere & vendere deinceps audeant, ex libris vndecunq; aduectis, nisi illos Rector Vniuersitatis prius viderit, & tam imprimi, quam vendi permiserit, sub pœnis prædictis. Vt autem & re-

liquæ Ciuitates nostræ hoc exemplo inuitentur, ac vnusquisque in tempore præmoneretur, ne ipsa mandata nostra transgrediatur, & ignorãtiam prætendere possit: Nos hanc ipsam Consiliariorum & Consulatus Crac: ordinationem, per has literas nostras omnibus testatam volumus esse. Mandantes omnibus Ciuitatibus Regni, & dominiorum nostrorum, vt ad eiusmodi edicta nostra exequenda cum loci Ordinariis, aut eorum delegatis, faciant ordinationes opportunas, easq́; diligentissimè exequantur, pro gratia nostra regali aliter non facturi. Cracouiæ, Anno 1525. Quod edictum vt debitæ exequutioni tradatur, ita idem ipse Rex Christophoro Szydlovviecki Palatino & Capitaneo Cracouiensi mandat.

Magnifice sincerè nobis dilecte. Non ignorat tua sinceritas, officij esse vniuscuiusque boni Principis, id potissimum curare, vt in subiectis sibi populis, vnitas, concordia, & tranquillitas conseruetur. Idq́; hoc vno fieri, si leges atque instituta diuina & humana, longo vsu & communi approbatione recepta, diligenti custodia manu teneantur, hominesq́; seditiosi, & plus sapere volentes quàm oportet, quamq́; ad illos pertinet, coerceantur: siquidem in vita nihil certi firmiq́; haberetur, vbi liceret vnicuiq́; pro suo libitu & sensu, tam de diuinis, quàm humanis rebus pronunciare. Cùm nec vllum est bonum, quod maledicendo deprauari non possit, nec vllum tam euidens malum, quod per licentiam sub specie boni sese non insinuet. Nos itaq́; dudum intelligentes spargi in Regno nostro Lutheri cuiusdam dogmata, cõtra mores & instituta Patrum, & sanctæ matris Ecclesiæ, in perturbationem communis status & vnitatis populi Christiani, pro debito nostro & exemplo aliorum priorum Regum & Principum Christianorum, publico edicto mandaueramus, vt ad Regnum nostrum nulla opera ipsius Lutheri, aut alterius cuiuspiam sequacis ipsius inferantur, sub exilio & priuatione omnium bonorum. Contra quod edictum nostrum comperimus isthic in Ciuitate nostra Crac: esse nonnullos ita curiosos, in his quæ muneris eorum non sunt, atque ita contumaces aduersus edictum nostrum, vt non cessent opuscula eiusdem Lutheri, & alia id genus inuehere, & iam palam tueri dogmata ipsa lætifera, in offendiculum bonarum mentium, hominumq́; perturbationem, ac contemptum authoritatis & mandati nostri Regij. Quod, vt meritò debemus,

mus, indignissimo animo ferentes, comittimus Sinc: V. idq́; omnino esse volumus, vt tales, qui in vulgum spargunt ipsa dogmata Lutherana, vel eius opera inuehunt, palàm vel occultè ad Regnũ, & ad dominia nostra, & præsertim isthuc in Ciuitatem Cracouiensem, diligenter disquirat. Et in eos qui comperti fuerint, edictum nostrum irremissibiliter exequatur. Sed & quicquid vltra in ea re curanda fecerit, id nos non ratum solùm, sed etiam gratissimum habituros non dubitet. pro fide & virtute sua Sinc: Tua factura. Datum Cracouiæ, 1525.

Sed neq; illud ad Gedanenses, perpetua memoria dignũ, Regium mandatum silentio prætereundum est; quo idem Rex Sigismundus, nè statum religionis Catholicæ immutare præsumant, eosdem seriò admonet, cuius is est tenor:

Famati, fideles dilecti. Cùm multis rumoribus perlatum esset ad Nos seditiones vestras intestinas, & insolentias aduersus fidem & religionem sanctam Catholicam, eo vsq́; processisse, vt plurima contra Deum & Beatissimam Virginem matrem, & omnes sanctos indignissima committerentur, diuinissimum Sacramentum blasphemaretur, ciboria, altaria, imagines, picturas in Ecclesiis esse confracta & contumeliosè eiecta; calices, patenæ, cruces, & alia clenodia de Ecclesiis accepta & asportata; Monachos & Moniales spoliatos, & de monasterio expulsos, & nouam religionem inuectam; Oratores nostros Reuerendissimum & Reuerendum in Christo Patres, Dominos Archiepiscopum Gnesnensem, & Episcopum Vladislauiensem, infamatos & contumeliis affectos; Proconsules, Consules, & alios officiales Ciuitatis licentiosissimè depositos, opprobriis indignissimè affectos, aliosq́; in locum ipsorum indebitè suffectos; Burgrabium contra authoritatem nostram exauthoratum, & nouas de illo constitutiones factas; iudicia nostra violata; furcam & rotam in foro extructam contra Priuilegia & libertates Ciuitatis; orphanis & viduis census solui prohibitos, vt noui Consules, qui in domibus census obligatos habent, soluere illos non tenerentur; insigniores ciues nullo tempore securos esse; Ecclesias Parochiales iuris Patronatus nostri, externis Sacerdotibus sine scientia & consensu nostro collatas, & alia innumera perpetrari: Videbantur hæc omnia nobis adeò indigna & abominanda, vt fidem illis adhibere nunquam potuerimus: nam & contra religionem sanctam Catholicam, quam omnia Regna & Dominia Christiana hactenus tot sæculis concorditer & inuiolabiliter obseruarunt, tam nefanda commissa videbantur, quæ ipsi Turcæ aut Tartari forsan committere non auderent, & aduersus auctoritatem nostram ita insolenter excessum, ac si nomen & potestas nostra Regia pluma leuior censeretur. Admonueramus vos, per nũcios nostros, benignissimis verbis de his ipsis rebus, quæ ad nos rumori-

bus perferebantur, quibus non vſquequaq; credere potuimus. Verùm quia intelleximus poſt eam legationem noſtram, non modò intermiſſa & correcta eſſe à vobis, quæ ſunt indigniſſimè commiſſa, ſed etiam illa indies magis inualeſcere, maioreſq; inſolentias & blaſphemias fieri, aduerſus diuinam Maieſtatem & Sanctos eius, rituſq; ac ordinem Eccleſiarum, qui à priſcis illis ſanctiſſimis Patribus, vitâ & miraculis clariſſimis, eſt inſtitutus, doctore & magiſtro vnico Eccleſiæ Spiritu ſancto, à ſceleratis Apoſtatis, qui horum cenſuram nunc ſibi inſolentiſſimè ſumunt, mutari. Timentes itaq; nos, ne grauiſſimam vltionem à Domino Deo, & apud alios omnes Reges, Principes, ac nationes Chriſtianas, turpiſſimam notam incurramus & ſubeamus, ſi ad indigna & nefanda facinora conniueremus, admonendos vos iterum his literis noſtris duximus. Mandantes vobis ſub grauiſſima indignatione noſtra, vt ſi ea ita ſe habent, quemadmodum ad nos relata ſunt, primùm omnium, religionem ſanctam Catholicam ad eam obſeruationem & ordinem, quem à maioribus veſtris per manus accepiſtis, & cum quo nobis ſubditi eſtis, in omnibus quæ mutata, deſtructa, ablata & violata ſunt reſtituatis. Sacramentum Euchariſtiæ ſeruari in Eccleſiis, & Monachos ac moniales ad ſua Monaſteria, quæ maiores noſtri fundauerunt, & Plebanos ad ſuas Eccleſias quæ noſtri patronatus ſunt, liberè redire permittatis, intruſoſq; quàm primùm eiiciatis. Alioquin durante hoc errorum fundamento, nihil boni ſperari poteſt in reliquis, quemadmodum & Bohemi id cognoſcentes tandem reſipuerunt. Deinde Magiſtratum omnem indignè & indecenter depoſitum reſtituatis, conſtitutioneſq; quas propria voluntate & ſeditioſè confeciſtis, abrogetis. Rotaſq; & patibula, indigniſſima carnificinæ inſignia, è foro deiiciatis: voſq; in omnibus tam diuinis, quàm humanis rebus & negotiis veſtris ad priſcum laudabilem morem ac inſtituta, quibus aucta eſt Ciuitas veſtra, accomodare & adhærere ſtudeatis. Nam ſi vos ipſi inter vos id facere non curaueritis, nos debitum & officium Chriſtiani Regis prætermittere non poterimus. Ad quæ omnia volumus vt nobis per hunc Nuncium noſtrum reſpondeatis. Cracouiæ, Anno Domini, 1525.

Cùm verò Gedanenſes Regis optimi atque clementiſſimi Principis hæc tam benigna ac verè paterna monita, ſeu mandata contumaciter contempſiſſent, & nihilominus Lutheranam hæreſim in ea Ciuitate ſummo conatu & ſtudio promouere auſi fuiſſent; quid inde conſequutum fuerit, quauè ratione Rex prudentiſſimus ſupplicio condigno de Lutheranæ factionis auctoribus ſumpto, ſtatum eius Ciuitatis ex arbitrio ſuo compoſuerit, Bernardi Vapouij fragmentum qui introſpiciet, luculenter admodum hæc omnia ex eo cognoſcet.

Eiuſdem quoque Regis edi-

ctum, Anni 1534. extat, contra religionis innouatores grauiſſimum & ſeueriſſimum: *Audiuimus,* inquit, *permultos eſſe in Regno noſtro factioſos, & nouandarum rerum cupidos homines, qui ſectas, ab orthodoxis Patribus in vniuerſalibus Conciliis reprobatas, non in occulto ſaltem ſectantur, ſed & publicè profitentur & diſſeminant, non ſine contemptu piarum ſanctionum à ſancta Catholica Eccleſia inſtitutarum & receptarum, atque edictorum noſtrorum: eſſe item non paucos, qui liberos, propinquos, & affines ſuos Vitembergam mittunt, vt illic mox ab ineunte ætate, priuſquam nouerint malum à bono diſcernere, peſtifera dogmata ab ipſo Luthero, qui horum malorum caput eſt, imbibant, & poſtea in Regno noſtro diffundant & propagent. Quæ res quàm feliciter vicinis circumcirca Regionibus ceciderit, nemini obſcurum eſt. Videmus enim luce meridiana clarius, quantæ ſeditiones, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio quanta pietatis ruina, quanta deniq; honeſtatis euerſio, ex his initiis excitata ſit. Quod nè nobis quoq; & ſubditis noſtris vnquam vſu veniret, cauimus aliquoties edictis noſtris, grauibus pœnis in tranſgreſſores conſtitutis.* Et infra: *Quod attinet ad eos qui apud Lutherum, vel apud quoſcunq; alios factionum iſtarum principes vitam degunt: his omnem aditum ad quaſuis dignitates & Magiſtratus præcludemus in poſterum.* Quin & Sigiſmundus Auguſtus, optimi ac ſanctiſſimi parentis veſtigiis inſiſtens, complura itidem contra hæreticos edicta promulgauit; vtpotè, Anno 1550. quod ad Andream Comitem à Gorka Generalem Capitaneum maioris Poloniæ miſſum, in Actis publicis Poſnaniæ reperitur: item aliud Vilnæ, die prima Martii, Anni 1556. cuius illud eſt exordium: *Perfertur ad nos Picardorum, Boëmorum, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, Lutheranorum, & aliorum hæreticorum praua dogmata palàm publicari.*

Deniq; Parczouiæ Anno 1564. aduerſus Trinitarios, Anabaptiſtas, ac Arianos latum; ſed quod magis eſt, ex teſtimonio Cromeri, maiores noſtros adeò religioſos fuiſſe apparet, vt neque hoſpites hæreticos, etiā fide publicâ aſſecuratos, tolerare potuerint? quinimo Zbignei Epiſcopi Crac: laudabile & tanto viro dignū factum prædicatur, quod ipſius interdicto ob legatos Boëmicos, hæreſi infectos, ipſis ſolennibus Paſchæ diebus, à ſacris tamdiu ceſſatum fuerit, quoad illi Cracouiæ ſubſtitêre. Cùm itaque tot ac tantæ ſint maiorum noſtrorum contra hæreſes conſpirationes & cō-

fœderationes, tā variæ quoq;
ac multiplices optimorum
Regum & Principum, aduer-
ſus eaſdem promulgatæ ſan-
ctiones: quis æquo animo fe-
rat, nouam hanc confœdera-
tionem prioribus illis prorſus
contrariam ac repugnantem,
ijſdem anteponi? Cùm hæ ri-
tè atque debito ordine, ſum-
ma nimirum omnium Regni
Ordinum & Statuum volun-
tate & conſenſione, conditæ
ſint: iſta autem Ordine Eccle-
ſiaſtico vniuerſo reclamante,
ac nonnullis Prouincijs ſeu
Palatinatibus refragantibus
inita: quis vnquam concedat,
illis abrogatis & antiquatis,
hanc vnam atque ſolam loco
ſuo conſiſterè poſſe? At for-
tè* allegabunt illi, veteres
33 confœderationes atque ſan-
ctiones illas Regum, nouæ iſti-
us confœderationis authori-
tate, ſublatas & abolitas eſſe.
Leges enim poſteriores dero-
gant prioribus, vt habetur in
l. 26. & ſequentibus. ff. *de legi-
bus* Iam ante quæſtione ſecun-
da, num: 3. ſatis luculenter
demonſtratum eſt; poſterio-
res leges eatenus prioribus
derogare, quatenus priores
contraria lege poſteriori ſpe-
cialiter & nominatim abro-
gatæ fuerint. Aut ſi ſaltem no-
uæ leges, animo abrogandi
vetuſtiores, cōdantur: de quo
eſt expreſſus textus in cap: *Li-
cet. de Conſtitut.* in 6. Et alio-
quin poſteriora ligare intelli-
guntur in iure, ſcilicet com-
muni; at in iure priuato &
ſpeciali (qualia ſunt iura Ec-
cleſiaſtica) non item. Nam
inde ſequeretur, quòd etiam
Priuilegia & donationes prio-
res, poſteriori Principum con-
ceſſione tolli poſſent; quod
iura noſtra non admittunt, vt
videre eſt circa exequutionē
in Conſtitutionibus Anni
1562. & 1563. Tantum verò
abeſt, quòd hæc noua confœ-
derationis formula, aliquam
expreſſam & ſpecialem dero-
gationis vetuſtioribus illis cō-
fœderationibus, atque edictis
Regum & Principum neceſſi-
tatem imponat, vt etiam ſen-
tentiam ſuam quid intendat,
non ſatis explicet; nihilq́ue a-
liud, præterquam pacem inter
diſſidentes in religione eſſe
conſeruandam in ſe contine-
at. Vnde colligitur, non eam
fuiſſe mentem dictæ confœ-
derationis, vt iura Eccleſiaſti-
ca, vel antiqua illa Patrum &
maiorum

maiorum noſtrorum placi-
ta, per eam abrogentur: ſed
ne pœnarum, contra hæreti-
cos conſtitutarum, executio fi-
eret. Id enim confœderatio-
nis verba exprimunt: *Neque
propter diuerſitatem* (aiunt) *fi-
dei, aut mutationem in templis, ſan-
guinem effundemus, ſiue confiſca-
tione bonorum, ademptione hono-
ris, carceribus, & exilio. &c.* At
34 qui amplius inquiunt illi, *e-
tiam iuramentis, ijſq́ue ſolen-
nioribus, Sereniſſimorum Re-
gum, puta Henrici, Stephani,
atq; moderni Sigiſmundi III.
eam Confœderationis formu-
lam eſſe comprobatam atque
ſtabilitam, & proinde legis
atq; conſtitutionis Regni vim
habere? Eſto ſanè, iuramentis
Regum illam eſſe confirma-
tam; ſed non ſine exceptione
ſeu contradictione ſtatuum &
ordinum Regni, prout ſupe-
rius probatum fuit. Quid? an
non etiam ijſdem iuramenti
vinculis, idque primo & po-
tiori loco, omnia iura & liber-
tates, immunitates, priuilegia
publica & priuata, iuri com-
muni vtriuſq; gentis & liber-
tatibus non contraria, Eccle-
ſiaſtica & ſecularia, Eccleſijs,
Principibus, Baronibus, & qui-
buſlibet perſonis, cuiuſcunq́;
ſtatus & conditionis exiſten-
tibus, per diuos prædeceſſores
illorum Reges, & quoſcunq;
Principes, Dominos Regni
Poloniæ, & Magni Ducatus
Lithuaniæ, conceſſa, donata,
& emanata, &c. ijdem ſupra
recenſiti Reges ſeſe conſerua-
turos, & manu tenturos ob-
ſtrinxerunt? An igitur hæc
mens illorum Regum fuit, vt
quæcunque de religione Ca-
tholica ſancita ſunt ab Ante-
ceſſoribus illorum, quorum
pietatem & religionem ſem-
per etiam iſti Reges imitandā
ſibi proponebant, ob iſtud de
pace tenenda præſtitum à ſe
iuramentum, ex Regni Con-
ſtitutionibus prorſus abroga-
ri debeant? an quod prior pars
iuriſiurandi ad conuellenda
antiqua iura, poſterior verò
ad tuenda noua, dictos Reges
adſtringat? Nequaquam id ſa-
nè; ſed benignitati atque cle-
mentiæ ſupradictorum Regū
id adſcribendum eſt, qui nè
quid durius & acerbius in eos,
qui à Catholica religione di-
ſceſſerunt, agatur, liberando
eos iſto metu, ad hunc tantū-
modò ſolum caſum, tali iure-
iurando ſeſe obſtringere vo-

fuerunt, vt nimirum pax inter dissidentes de religione conseruetur, atque manu teneatur. Neq; verò existimet quispiã paruum hoc atq; exiguum illis concessum esse beneficium, cùm hoc pacis nomine pœnas in veteri confœderatione Corcinen: contra ipsos constitutas, & earum executionem effugiant. Quo beneficio, si saltem isti contẽti essent, queadmodum certè cõtenti esse deberent, neq; latiùs quàm conuenit hoc nomẽ pacis extenderent: proculdubio tàm ipsi, quàm Catholici, quorũ nunc deterior conditio esse videtur, quietè & tranquilè viuerent, neq; toties huiusmodi importunis postulationibus de confœderatione obseruanda, aures Catholicorum obtunderent: sed dum ipsi sub hoc plausibili titulo pacis, loca & vasa sacra in vsus prophanos cõuertere, Ecclesias & loca religiosa ad vsũ Catholicæ Romanæ religionis exædificata, iuri & potestati Episcoporum subiecta, occupare, fundos & reditus Ecclesiarum auertere, Decimas Ecclesiastico Ordini omni iure debitas negare, nouas synagogas in locis & Ciuitatibus Catholicis erigere satagunt; si quispiam fortè zelo Catholicæ religionis ductus, talia fieri non permittat, aut taliter ablata iure repetat, extemplò isti pacem inter dissidentes de religione violari toto ore proclamant. Hæccine pax est confœderationis, vt illi licenter in nostrum ius inuadant; nobis verò eadem iure non liceat repetere? Equidem * non 35
sum ignarus, quid amplius hic obijciant, quod nimirum iuramento Regis, non de pace tantùm simpliciter manutenenda, sed etiam nè quispiam causa religionis, tàm ab ipso Rege, quàm à quocunque Magistratu, aut cuiuscunq; cõditionis & status homine, opprimatur, cautum sit. Et quæ, inquiũt illi, grauior oppressio nobis inferri potest, quàm cùm in bonis hæreditarijs, siue patrimonialibus, in quibus absoluto dominio gaudem?, nouas synagogas exędificare, vel in Ciuitatibus & oppidis Regijs cætus erigere non permittimur? Optimè scilicet se res habet: at qua ratione, iura, & priuilegia Ecclesiastica antiqua, iurisdictioquè Episcopo-

rum, ad quorum diligentiã pastoralẽ (vt verbis D. August: vtar) etiã illæ oues pertinent, quæ non violenter ereptæ, sed blandè leuiterq; seductæ, à grege aberrauerunt, integra inuiolataue permanebũt? si facultas erigendarum synagogarũ religioni Catholicæ præiudiciosa cuiuis admittatur. Cùm alioquin neq; Catholicis, sine Episcoporũ approbatione, erigere Ecclesias licitũ sit, per expressũ text: in cap: *Nemo* 9. de cõsecrat. dist: 1. Hinc sequitur, quod absolutũ illud dominiũ, ad temporalia tantũmodo, nõ autẽ ad spiritualia, quale est ius siue potestas ædificandarũ Ecclesiarum, extendi debeat. Omnes siquidem laicos, cuiuscunq; status & conditionis fuerint, spiritualiũ, vel quasi spiritualium rerũ, omninò incapaces esse, iã ante satis superq;
36 ostensũ est. Ciuitates * quoque & oppida Regni, quãuis sint bona Reipub: suis tamen gaudent priuilegijs & immunitatibus, suntq; immediatè subiectæ dominio & potestati Regum, in quibus si talia, nempè vt vnicuiq; religionem quamcunq; profitẽti, Ecclesias liberas habere, authoritate publica licitum sit, permitterentur; summæ res esset, nonmodò iniquitatis, sed etiam confusionis. Iniquitas in eo consistit, quòd cùm balneum, aliud uè quodpiam publicum ædificium, Nobili aut cuipiam alij, in præiudicium incolarum alicuius Ciuitatis aut oppidi construendi ius non sit: ius verò ædificandi synagogas, aut erigendi cætus nouos illi competere debeat; maximè quod hæreses perdant & destruant pristinam religionem Catholicam, quam cum ciuitates & oppida à primæua sua fundatione sacrosanctè semper coluerint, illam hoc facto immutari, iniquum ac prorsus intolerabile esset. Cõfusio verò inde sequeretur, si vel ad minimum aliquem motum, aut tumultum in ciuitate aut oppido exortum, causam religionis offendi atq; opprimi ab istis cõclamaretur. Cuius rei non ita pridem Vilnæ, Posnaniæ, & Cracouiæ, vidimus clarissima exempla. Nam cùm fortè à quibusdam leuioris sortis hominibus, priuatæ domus, vbi eiusmodi cœtus peragi consueuerant, ex petulantia potiùs quadam, quàm

animo opprimēdi iſtos homi-
nes,impeterentur;& quamuis
tam politici, quàm ſpirituales
Magiſtratus, citra omnē con-
niuentiam, hiſce motibus o-
mnibus modis ſeſe oppoſuiſ-
ſent,nullaque ne dum culpa,
ſed neq; aſſenſu huic rei occa-
ſionem dediſſent ; quinimò
in reos iſtius facti conuictos,
ſe debitè animaduerſuros eſ-
ſe vltrò obtuliſſent: attamen,
Deus bone, quæ conſpiratio-
nes,quæ molimina, priuatim
& publicè in ConuentibusRe-
gni eo nomine, ac ſi de ſum-
ma rerum ageretur, contra
Catholicos ſuſcepta atq; pro-
poſita? Non ſatis illi viſum eſt,
quòd cùm à nemine quiſpiam
iſtius facinoris nedùm cōuin-
ceretur, ſed neq; accuſaretur
nominatim, plurimi ob leues
ſaltem ſuſpiciunculas, iura-
mentis corporalibus ſeſe ex-
purgarent; ſed vt inſontes e-
tiam vel decimarentur, ſi fieri
poſſet,vel alijs grauiſſimis pœ
nis afficerentur, ſummo ſtu-
dio & conatu contenderunt.
Quod an Catholici ab ipſis
impetrare poſſent, iudicent
ipſi. Scimus quæ in locis hu-
iuſmodi, vbi Euangelici do-
minantur, Catholicorum ſint
præiudicia, quæ anguſtiæ. Vt
interim taceamꝰ ea, quæ apud
exteros fiunt; at domeſtica
ſaltem intueamur exempla.
Notiſſimum eſt, quid Rigen:
Gedanen: & Torunen: noſtri,
tam in proceſſionibus ſolen-
nioribus, quàm in funeribus
Catholicorū, paulò ſuperiori
tempore attentârint? Ex dictis
itaque omnibus liquidò de-
monſtratum eſſe arbitror, pa-
cem quidem diſſidentibus in
religione à Regibus præſtari;
at confœderationem iſtam
nouam, Catholicorum calcu-
lo, vim legis obtinere nequa-
quam poſſe. Ac proinde fru-
ſtra id à Catholicis tam perti-
naciter petunt, quod ab eis
ſibi concedi non poſſe, vel ipſi
fateantur neceſſum eſt. Quam
uis enim multa aliquando to-
lerantur, quæ omninò prohi-
beri non poſſunt:ea tamen le-
ge publica approbari & con-
firmari, ius & ratio vetat.

Sextò*quæritur, An Loco, 37
TEMPORIq; SIT CONVE-
NIENS? Quòd non ſuo loco,
neque tempore, neq; modo,
neq; à perſonis ad id poteſta-
tem habentibus, ea confœde-
rationis formula lata fuerit,
nulli dubium eſſe poteſt. Nam
in Con-

in Conuocatione Varſouien:
noui Regis eligendi cauſa in-
dicta, eam natam fuiſſe con-
ſtat. Vbi nihil præterquàm
de electione noui Regis agi
poterat, vtpotè,quod & Nun-
cij Terrarum, ad hunc ſolùm
actum,non autem ad ſancien-
das aliquas leges, ab Ordini-
bus Regni miſſi fuerant:leges
verò ſeu conſtitutiones,ſecun-
dum præſcriptum ſtatutorum
Regni,non alibi,quàm in Cō-
uentione generali, cum con-
ſenſu Conſiliariorum,tam ſpi
ritualium, quàm ſecularium,
& NunciorumTerreſtrium;de
cerni debent: de quo eſt Sta-
tutum Caſimiri Regis in Nie-
ſzovvá, Anni 1454. & Sigiſ-
mundi primi Crac. An: 1539.
Is etenim eſt ſtatus, eaque cō-
ſuetudo Regni huius, vt nihil
noui ſine aſſenſu Equeſtris
Ordinis ſtatui poſſit,aut debe-
at; in tantum vt Reges etiam
ipſi neceſſe habeant, in Con-
uentibus primùm particulari-
bus, incolis cuiuſque Prouin-
ciæ,ſeu Palatinatus, per Nūci-
os ſuos proponere ea omnia,
quæ poſtmodum in Comitijs
Regni generalibus ſunt tra-
ctanda. Vbi demùm de his
à Nobilitate dicuntur ſenten-
tiæ, & quid approbandum,
quiduè reijciendum ſit, diſ-
quiritur: atque ita Nuncij cum
abſoluta vel limitata poteſta-
te,prout vſus poſtulauerit, ad
Comitia generalia amandan-
tur. Alioquin ſi omiſſis hiſce
ſolennitatibus, ſine Rege, ſi-
ne Nobilitatis aſſenſu, Sena-
tores, vel potentiores fortè a-
liqui,famulitijs ſtipati, alieno
tempore,debilioribus, aut ab-
ſentibus, nec quicquam tale
ſuſpicantibus, leges pro libi-
tu ſuo imponere poſſent:quo-
modo quæſo libertas noſtra
non periclitaretur? Septimò
*quæritur, An ſit VTILIS & 38
NECESSARIA? Quæ incom-
moda, quæuè illiades malorū
ex hac confœderatione pro-
deant; ex ijs, quæ ſuperiùs cō-
memorata ſunt, haud diffici-
lè eſt iudicare. Neque tamen
deeſſe complures ſcio, qui
hanc confœderationem pu-
blicæ pacis & tranquillitatis
cauſa, ſummopere eſſe neceſ-
ſariam & vtilem alijs perſua-
dēre conantur. Nec ſine ra-
tione id quidem: nam cùm
(Cicerone teſte) dulce nomen
ſit pacis, res verò ipſa tum iu-
cunda,tùm ſalutaris; quis non
eius deſiderio afficiatur? quis
non eam

non eam obuijs vlnis amplе-
ctendam eſſe cenſeat? At quia
39* huiuſmodi pax, non eſt ve-
ra pax, ſed potius inſidiæ &
interitus, vel ipſius Ciceronis
teſtimonio, qui libro: 2. de le-
gibus inquit: *Non debet eſſe li-
berum cuiquam de religione iudici-
um, quod hæc libertas magnam pa-
riat perturbationem atque pernici-
em Reipub.* cur ergo iſtiuſmo-
di perſuaſionibus locus tribui
debeat? Nam quæ poteſt eſ-
ſe pax & tranquillitas, vbi cui-
que quod ſentit ipſe credere,
& quaſcunque voluerit in De-
um & in Sanctos eius blaſphe-
mias euomere, quælibet per-
nicioſa dogmata diſſeminare
permittitur? & quæ partici-
patio iuſtitiæ cum iniquitate?
aut quæ ſocietas lucis ad tene-
bras? quæ item conuentio
Chriſti ad Belial? aut quæ
pars fideli cum infideli? & qui
conſenſus templo Dei cum
idolis? Cùm itaq; huiuſmo-
di pax, fundamentum pacis
cuiuſque Reipub: ſcilicet re-
ligionem, conuellat; vtpotè,
quia inuehit in Rempub: no-
uitates & mutationes, quibus
nihil Reipub: poteſt eſſe per-
nicioſius; Rectè enim Plato,
non poſſe immutari religio-
nem abſque magna Reipub:
immutatione, lib: 4. de Re-
pub: docet, non video, quo-
modo pacem & concordiam
illa Reſpub: ſperare debeat
vnquam, quæcunque ſemel
diſſidentes & diſpares cultus
religionis admittit. Profectò
nihil ibi in commune ſince-
rè conſuli, nihil ad omnium
ſalutem referri poteſt. nulla
totius corporis Reipublicæ
cura ibi eſt, hoc ſolum vtile
cuique eſt, quod alteri detri-
mentum adfert; ex alieno in-
commodo, ſuum quiſq; com-
modum & emolumentum
captat: ſicut ex aduerſo, ſi cir-
cumſpiciamus illas gentes ac
nationes, quæ huiuſmodi mo-
tibus & mutationibus nun-
quam ſe agi paſſæ, ſemper in
vna atque priſtina religione
cõſtantiſſimè permanſerunt,
quanta ſit imperij illorum
maieſtas & amplitudo, quan-
ta concordiæ, pacis, fidei, &
iuſtitiæ, omniumque aliarum
virtutum, quæ vel ad honeſta-
tem & dignitatem Reipub:
vel ad charitatem & beneuo-
lentiam mutuam conſeruan-
dam pertinent, fama & opi-
nio; fateamur neceſſe eſt,
quod nulla ibi conſpiratio,
nulla

nulla confuſio, nulla denique
tam inſignis malignitas repe-
riatur, quæ aut Reipub: ge-
rendæ rationem perturbare,
aut in priuatis actionibus ſan-
ctiſſimum illud fidei com-
mercium vagum aut fluctu-
ans reddere poſſit. Non enim
fieri poteſt, vt in tanta ani-
morum atque voluntatum
connexione, in tanto pieta-
tis atque charitatis ſtudio, hæc
ſcelerum ac flagitiorum mon
ſtra, apud eos, quibus vnam
puram, ac ſinceram fidem,
ſemper ſanctum, auguſtum,
ac religioſum viſum eſt ſer-
uare, locum habeant: præſer-
tim cum illa ſit non modò
factorum, ſed etiam mentis
ipſorum, norma firmiſſima.
Verùm quia de huius falſæ &
inſidioſæ pacis lenocinijs,
prodijt in publicum anno ſu-
periori libellus ſub titulo Pax
non Pax, non inelegans ſa-
nè & ſatis doctè conſcriptus,
idcircò diutiùs in his immo-
randum eſſe non putaui.
40 Octauo * quæritur, An ſit
Manifesta? Iſtum Con-
fœderationis articulum adeò
manifeſtum, vt non contine-
at aliquid per obſcuritatem in
captionem, nulla ratione dici
poſſe, vel id ipſum argumen-
to eſt, quod quædam in eo
proponuntur apertè, quædam
verò celantur & occultantur
callidè & inſidioſè. Propo-
nuntur apertè iſta, libertas ad-
mittendi quaſuis ſectas atque
religiones, & impunitas eius
libertatis: hæc enim duo pa-
cis nomine in Confœderatio-
ne eadem intelliguntur, vt
iam demonſtratum eſt. Ce-
lantur autem, & miro quodã
verborum circuitu inuoluun-
tur, non pauca, Catholicis &
Eccleſijs illorum admodum
pernicioſa, vtpotè quibuſcun-
que locis, maximè verò in
Ciuitatibus & oppidis Regijs
ſynagogas conſtruere, tem-
pla Catholica, in bonis ſuis
patrimonialibus, occupare at-
que profanare, bona Eccleſiæ
in proprios vſus conuertere;
& his ſimilia, quæ inter alios
magnum illud lumen natio-
nis noſtræ, Cardinalis Hoſius
in ſuo examine iſtius articu-
li Confœderationis latiſſimè
proſequitur. Vltimo * quæ- 41
ritur, An non priuato com-
modo, ſed pro Communi
Civium Vtilitate ſit
conſcripta? Tantum abeſt, vt
ea res communi omnium vti-
litate

litate introducta dici poſſit, vt etiam non ſolùm vniuerſæ Reipub: ſed & ſingulis exitioſa ſit, vtpotè quæ hominibus viam ad inferos patefaciat. Et ſanè, ſicut nec gregi ouium ſalutare fuerit, ſi paſtoribus & cuſtodibus remotis, lanienæ ferarum exponantur; ita neq; Chriſtianis conducibile eſſe poteſt, ſi libertas quiduis credendi, qua ſibi perniciem concilient ſempiternam, illis concedatur. Cùm itaque ex his quæ iam dicta ſunt, manifeſtum ſit, quòd hic articulus Confœderationis ad formam iuſtarum & legitimarum legum nullo modo accomodari queat, quòd videlicet in illo multa Deum lædunt, proximum & conſcientiam offendunt, religionem Catholicam conuellunt, ſeditionibus viam aperiunt, vnitatem & concordiam Regni ſcindunt, atque adeò totam Reipub: formam immutant, contineantur: idcircò nulla ratione apud nos pro lege haberi debet, vtpotè quæ vnanimi Ordinum & ſtatuum conſenſu & approbatione, nunquam hactenus eſt lata & ſtabilita; neque ſalua Catholicorum conſcientia & iuribus Eccleſiæ ſtabiliri vllo vnquam tempore poteſt. Neque tamen ob id, vim aut iniuriam aliquam diuerſæ religionis homines à Catholicis expectare debent, cùm is ſit animus, ea voluntas omnium Catholicorum aduerſus illos, vt malint potius eos, tanquã fratres & propinquos, ab errore ad veritatis lucem reuocare quàm quicquam in eos grauius decernere. Ego ſanè hanc quæſtionem verbis Diui Auguſtini ſic concludo: *Concordate nobiſcum fratres, diligimus vos, hoc vobis volumus quod & nobis. Si propterea nos grauius odiſtis, quia errare vos & perire non permittimus; hoc Deo dicite, quem timemus, minantem malis paſtoribus & dicentem: Quod errauerat, non reuocâſtis: & quod perierat, non inquiſiuiſtis.*

QVÆSTIO IX.

De iure patronatus, atque corteſanis: & an aliquando patroni iure præſentandi priuari poſsint?

SVMMARIA.

1. *Iuris patronatus ſpiritualis definitio.*
2. *Ius patronatus Eccleſiaſticum propriè ſpirituale dici non poteſt, ſed ſpirituali annexum.*
3. *Pluralitatis patronorum in præſentatione quæ ratio habenda.*
4. *Epiſcopus ſine præſentatione patroni, an in beneficio aliquem inſtituere poſſit.*
5. *Patroni Clerici vel Laici, intra quod tempus præſentare aliquem ad beneficium debeant.*
6. *Priuilegia fundatoribus Eccleſiarum, quæ competant.*
7. *Diſpoſitio Concilij Tridentini de iure patronorum.*
8. *Querela ſecularium de præſentatione Epiſcoporum, quàm ſit iuſta.*
9. *Templa, & alia beneficia Eccleſiaſtica, quatenus in patrimonio laicorum eſſe dicantur.*
10. *Ea, quæ in bonis noſtris ſunt, quando dominio noſtro non ſubijciantur.*
11. *Iuspatronatus ſeparatim vendi aut obligari non poteſt.*
12. *Summus Pontifex, etiam ſine præſentatione patronorum, de Eccleſia patronata prouidere poteſt.*
13. *Corteſani in Curia Romana beneficia impetrantes, quomodo coërceantur.*
14. *Modus & ratio deuoluendæ collationis beneficij ad loci ordinarios.*
15. *Cauſæ iurispatronatus coram quo iudice tractari debeant.*

IVspatronatus * Eccleſiaſticum, ſeu ſpirituale, dicitur 1
poteſtas præſentandi aliquem ad beneficium Eccleſiaſticum vacans, ſecundùm Abbat: in rubr: extr: *de iurepatronat.* & *Hoſtien.* ibidem *in ſumma.* Dicitur autem hic iuspatronatus ſpirituale ad differentiam iuris patronatus temporalis, quod liberti patronis præſtare tenentur, teſte Couar: prac.
quæſt: 10. cap: 26. Quinimò * 2
neq; iuſpatronatus Eccleſiaſticum, de quo hîc dicitur, propriè eſt ius ſpirituale, ſed annexum ſpirituali, per expreſſ: text: in cap: de iure 16. in verbis: *Cùm inconueniens ſit vendi iuspatronatus, quod eſt ſpirituali connexum*, tit: de iure patron. gloſſ: in cap: *Literas.* 2 in verbo: *Spiritualibus.* tit: de iuram. calum. Et ideò à Laicis quoq; poſſideri & præſcribi poteſt; per expreſſ: text: in cap: 1. tit: *de iurepatronat.* in 6. Felin. in cap: *Quanto.* tit: *de iudicijs.* Quod vſque adeò procedit, vt etiam tranſeat ad hæredes, tam ſan-

tam ſanguinis,quàm extrane-
os,non ſolùm maſculos, ſed &
fœminas,per text:in cap:*Quo-
niam*. 3. in verb : *Hæredes*. extra
de iure patron. & in cap fin :
de conceſſ: præbend. Quo tamen
3 caſu * ſi plures ab vno ex pa-
tronis relicti ſint hæredes,vo-
cem vnius duntaxat habe-
bunt in præſentatione. Nam
& alias,quando plures ſunt pa
troni,poſſunt inter ſe conue-
nire, vt alternis vicibus præ-
ſentent : cap : fin : *Clement*. de
iure patronat. idq; hodie ſer-
uari praxis quotidiana docet.
Quodſi de eo conuenire non
poſſint, & diſcordes in præ-
ſentando permaneant, tunc
præferendus eſt præſentatus
à maiori parte, ſi eſt idoneus,
per expreſſ: text: in cap : *Quo-
niam*. 3. in verbis:*Præſenti decre-
to ſtatuimus, vt ſi fortè in plures
partes fundatorum ſe vota diuiſe-
rint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui
maioribus iuuatur meritis, & plu-
rimorum eligitur & approbatur aſ-
ſenſu*. extra de iure patronat.
Quamuis verò * regulariter E-
4 piſcopus non poſſit inſtituere
aliquem in beneficio ſine præ
ſentatione patroni, per expr :
text : in cap : *Decernimus*. 16 qu.
7. ibi. *Decernimus, vt quàmdiu
fundatores Eccleſiarum in hac vita
ſuperſtites extiterint, pro eiſdem lo-
cis curam permittantur habere ſolli-
citam, atque rectores idoneos in
iiſdem Baſilicis, iidem ipſi offerant
Epiſcopis ordinandos.* Et inferiùs
ibidem : *Quodſi ſpretis eiſdem
fundatoribus rectores ibidem præ-
ſumpſerit Epiſcopus ordinare, & or-
dinationem ſuam nouerit irritam
eſſe, & ad verecundiam ſuam alios
in eorũ locum (quos iidẽ ipſi funda-
tores cõdignos elegerint) ordinari* :
Sæpiùs tamen fieri id ſolet, vt
certas ob cauſas etiam non in-
teruenientе patronorum col-
latione, Epiſcopus teneatur
prouidere Eccleſiæ de rectore
eiuſdem, maximè verò ſi pa-
troni ob incuriam, vel ob diſ-
ſenſionem, aliamue ob cau-
ſam, tempus à Canonibus de-
finitum in præſentando omit-
tant, cap : *Eam te*. 22. in verbis:
*Illas autem Eccleſias, de quarum
patronatu controuerſia fuerit, ſi in-
tra ſex menſes poſtquam vacue-
rint, non fuerit controuerſia termi-
natã ; licitum tibi ſit de perſona ido-
nea ordinare* : tit : de iure patrõ.
Hoc verò * ſex menſium tem- 5
pus, ſolis tantum clericis con-
ceſſum eſſe. Doctores iuris
tradunt ; laicis verò quatuor
menſium tempus ad præſen-
tandum

tandum competere iura di-
ctant. cap: *Quoniam*. in verbis:
*Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe ne-
quiuerit, ordinet Antiſtes Eccleſiã,
ſicut melius eam ſecundum Deum
viderit ordinandam. Et idipſum
etiam faciat, ſi de iure patronatus
quæſtio emerſerit inter aliquos, &
cui competat, intra quatuor menſes
non fuerit definitum:* tit : eod : de
iure patron. Cui concordat
alius itidem text : in cap : *Cùm
propter*. 27. tit : eod. Vbi hoc
ſpecialiter in fauorem patro-
norũ cauetur, quod talis Epi-
ſcopi prouiſio, ſeu ordinatio
Eccleſiæ, non debeat inpoſte-
rum generare præiudiciũ pa-
tronis eiuſdem. Ratio eius rei,
quòd Epiſcopus negligenti-
bus patronis vti iure ſuo Ec-
cleſiam ordinare poſſit, hæc
eſt, quòd patroni conſequun-
tur ius patronatus, non pro-
pria ſua authoritate, ſed ex
gratia & permiſſione Eccle-
ſiæ. Cùm enim matris loco
ſit, admodùm benignè cum
filijs ſuis procedit, præſertim
circa huiuſmodi fundationes
Eccleſiarum, ſeu aliorum be-
neficiorum. Nam fundatori-
bus, eorumque hæredibus, fa-
cultatem præſentandi ad eaſ-
dem Eccleſias atque benefi-
cia, gratas ipſis perſonas, Ec-
cleſiæ tamen Dei inprimis v-
tiles & idoneas, clementer in-
dulgere ſolet ; prout id : di :
cap : *Quoniam*. & cap : *Nobis*.
21. tit : de iure patron : proba-
tur. Et clariùs Trident : Con-
cilium de his diſponit, in ver-
bis : *Nemo etiam cuiuſuis dignita-
tis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis, qua-
cunque ratione, niſi Eccleſiam, be-
neficium, aut capellam de nouo fun-
dauerit, & conſtruxerit, ſeu iã ere-
ctam, quæ tamen ſine ſufficienti do-
te fuerit, de ſuis proprijs & patri-
monialibus bonis competenter dota-
uerit, ius patronatus impetrare, aut
obtinere poſſit, aut debeat. In caſu
autem fundationis aut dotationis
huiuſmodi, inſtitutio Epiſcopo &
nõ alteri inferiori reſeruetur* : Seſſ:
14. cap : 12. Quemadmodum
* & alia huiuſmodi, fundato- 6
ribus pietatis ipſorum cauſa
ex ordinatione Eccleſiæ de-
bentur priuilegia. Et inprimis
honor proceſſionis vt nimirũ
alios præcedere poſſit, funda-
tori ſeruentur : item, ſi ad ino-
piam vergat, ex prouentibus
Eccleſiæ illi ſuccuritur: d. cap ;
Nobis. ibi. *Pro fundatione quo-
que Eccleſiæ, honor Proceſſionis fun-
datori ſeruatur, & ſi ad inopiã ver-
gat, ab Eccleſia illi modeſtè ſuccurri-
tur, ſicut*

tur, ſicut in ſacris Canonibus eſt inſtitutum: extra de iure patron. Canon autem, cuius hic fit mentio, fuit Concilij Toletani, & in cap: *Quicunque*. 30. proponitur his verbis: *Quicunq; fidelium deuotione propria de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid contulerint, ſi fortè ipſi, aut filij eorum, redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis vſu percipiant*. 16. qu: 7. Vnde ſatis liquidò conſtat, quòd cùm ipſi fundatores, Eccleſiaſticas facultates diſpenſandi pro ſuo arbitrio non habeāt facultatem, multominùs Eccleſias ipſas, quibuſlibet ad regendum committere, vel alijs auferre poſſunt. Licet enim habeant ius prouidendi, & conſulendi, & ſacerdotem inueniendi, non tamen habēt ius vendendi, vel donandi, vel vtendi, tanquam proprijs bonis, prout id ex Canonibus dicti Concilij Toleta: in cap: *Filiis*. 31. traditur his verbis: *Ipſis tamen hæredibus in eiſdem rebus (puta Eccleſiæ ab illis donatis) non liceat quaſi iuris proprij poteſtatem præferre, non rapinā, non fraudem ingerere, nec violentiā quamcunq; præſumere: ſed hoc ſolùm in ſalutarem ſollicitudinem adhibere, quod aut nullam noxam operatiō nocens attingat, aut multam, vel aliquam partem ſalutaris mercedis aſſumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare præſumpſerit, & malè rapta cum confuſione reſtituet, & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit*. 16. qu. 7.

Quibus adſtipulatur * etiam 7
diſpoſitio Concilij Tridentini, cuius verba, etiamſi prolixiora ſint: ob ſingularem tamen, quam in ſe continent elegantiam, & diuinam quandā grauitatem, hic referenda eſſe duxi. *Sicuti*, inquit ſancta Synodus, *legitima patronorum iura tollere, piaſq; fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare æquum non eſt: ſic etiam, vt hoc colore beneficia Eccleſiaſtica in ſeruitutem, quòd à multis impudenter fit, redigatur, non eſt permittendum*. Et paulò poſt: *Patroni beneficiorum cuiuſcunque ordinis & dignitatis, etiamſi communitates, vniuerſitates, collegia quæcunque clericorum vel laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcunque beneficiorum, etiamſi verè de iure patronatus ipſorum, ex fundatione & dotatione eſſent; nullatenus, nullauè cauſa, vel occaſione ſe ingerent; ſed illos liberè Rectori, ſeu beneficiato, non*

non obſtante quacunq; conſuetudine etiam diſtribuendos dimittāt. Nec dictum ius patronatus, aut alio quocunq; titulo, in alios cōtra Canonicas ſanctiones transferre præſumant; ſi ſecùs fecerint, excōmunicationis & interdicti pœnis ſubijciantur, & dicto iure patronatus, ipſo iure priuati exiſtant. Seſſione 25. cap: 9.

8 Ac proinde * cùm his ſacrorū Conciliorū ſanctionibus nihil ſit euidentius, quis diſſimulare poteſt, indignum omninò eſſe, quòd à ſecularibus quibuſdam, tàm in Comitijs publicè, quàm & alibi priuatim, eo nomine in Clerum tot paſſim exaggerētur querimoniæ; ac ſi ab Epiſcopis, alijſuè perſonis Eccleſiaſticis, iure ſuo circa diſpoſitionem & ordinationem Eccleſiarum priuentur: cùm multò æquior, magiſque veritati conſona, hac in parte ſit ſtatus Eccleſiaſtici querela, quod nimirum à talibus patronis Eccleſiæ deſolentur; quòd ſepulchra piorum Catholicorum violētur; quod plebs ſine ſacramentis & cultu diuino viuat, & inſtar pecudum moriatur; quod theſauri Eccleſiæ & ornamenta diſtrahantur, & in vſus prophanos conuertantur; quod fundi denique & cenſus Eccleſijs adſcripti adimantur. Longum certè, nimiſque tædioſum eſſet, commemorare ſingula, quæ partim contaminata hæreticorum vſu, partim deſerta, ob expulſos Sacerdotes Catholicos, templa Deo ſacra in hoc Regno reperiantur.

At fortè * naſutuli quidā 9
tātam iniuriam, tantamuè impietatem hac ratione excuſare volent, quod ſuæ quiſq; rei moderator & arbiter eſſe debeat, ita vt liberam adminiſtrationem & alienationem rerum ſuarum ingenuo homini denegare, ſummę ſit iniquitatis, l. *Non vſq*. 2. ff. *ſi quis à parent. manumiſſ: ſit*. Cùm verò Eccleſiæ, & alia huiuſmodi beneficia Eccleſiaſtica, in bonis patrimonialibus laicorum conſiſtant, ſi in ijs vti iure ſuo, eaque pro arbitrio ſuo ordinare prohibeantur, quis iuſtam eos habere conquerēdi cauſam negabit? Sanè Gordius iſte nodus, à quouis mediocriter etiam in iure verſato facilè diſſolui poteſt. Illæ etenim res, propriè & verè in patrimonio noſtro eſſe dicūtur, quæ ſcilicet dominio noſtro ſubijci poſſunt, vt ſunt res pro-

res prophanæ, quarum admi-
nistratio nemini denegari de-
bet, per iura supra allegata: at-
que Dominio nostro subesse
non possunt, vt sunt res sacræ
& spirituales, aut spirituali-
bus annexæ, quale est ius pa-
tronatus, vt supra dictum fuit,
eæ quanquam in bonis no-
stris sunt, in patrimonio ta-
men nostro esse nequaquam
censeri debent; cùm Diuini
iuris sint, & in nullius bonis
esse dicantur, l. 1. ff. *de rerum*
10 *diuis.* Cùm & alias * multa
talia in bonis nostris habea-
mus, quibus liberè pro arbi-
trio nostro vti non possumus.
Exempli gratia, flumina pu-
blica etiamsi intra terminos
patrimonij nostri continean-
tur, non tamen pro arbitrio
nostro illis vti possumus. Ne-
mo enim flumen publicum,
præsertim nauigabile, alio di-
uertere aut impedire potest:
quod item de via publica, &
alijs publicis locis dicendum
est, tit: ff. *ne quid in flumin: publ.*
item sub tit: *de flumin.* de quo
etiam Statuta atque Constitu-
tiones Regni clarè admodum
disponunt. Ac proinde, quan-
doquidem huiusmodi funda-
tiones seu dotationes Ecclesia-
rum, aliorumuè beneficio-
rum, in bonis nostris esse de-
sierunt, posteaquam semel
Deo dicatæ, atq; Ecclesiæ ap-
plicatæ, amplius in propha-
nos vsus conuerti non pos-
sunt; nulla profectò ratio est,
cur eas patroni, tanquam pro-
prias & patrimoniales vendi-
care sibi debeant? Vnde con- 11
sequens est, * quòd nemo Ec-
clesiam, aut ius patronatus
alicui vendere aut obligare
potest, cùm illa sint iuris di-
uini & spiritualis, vt sæpius
dictum fuit; sed transeunt hæc
cum vniuersitate dominij, ni-
si venditor ea sibi specialiter
excipiat. cap: ex literis 7. extra
de iure patron. alioquin com-
parans vel emens ius patrona-
tus seorsiuè, non cum vniuer-
sitate bonorum, eo priuari de-
bet, per text: in cap: *Quia*
Clerici. 6. tit: eodem de iure pa-
tron. Maiorem * proculdu- 12
biò isti iuris patronatus asser-
tores occasionem conqueren-
di haberent, si etiam hodie
sine præsentatione patrono-
rum, nulloué impedimento
tali, ob quod patronus à præ-
sentando remoueri debeat in-
teruenient, summus Ponti-
fex ex plenitudine potestatis
suæ, de

sua, de Ecclesia patronata
prouideat, quod illi de iure
competere, dummodo men-
tionem faciat iuris patrona-
tus laici, passim DD. iuris te-
stantur, vt est glos: in cap:
Per literas. in verbo, *Apostolicis,*
Clement: *de præbend.* & notat
Abb: in cap: *Quoniam.* facit
gloss. & ibi Abb: in cap: *Cùm*
13 *dilectus.* tit: *de iure patron.* Et
certè * superioribus tempori-
bus, vsque ad Sigismundi Pri-
mi Regis imperium, tantùm
is mos in Curia Rom: impe-
trandi beneficia, tam iuris pa-
tronatus laicorum, quàm spi-
ritualium inoleuerat, vt etiam
legibus seuerissimis à Regi-
bus Alberto & Alexandro eo
nomine promulgatis, vix,
imò ne vix quidem prohiberi
id potuerit, prout videre est
in statutis Regni, sub verbo,
Ius patronatus. donec tandem
summo studio & labore, Sigi-
smundi Primi Regis id effe-
ctum est, quod ex præscripto
indulti, à sancta Sede Aposto-
lica, summoque Pontifice
Clemente septimo impetrati,
nullus post hac Cortesanus,
quod idem est in Curia Ro-
mana commorans, huiusmo-
di beneficia, quæ iuris patro-
natus fuerint Regij, aut laico-
rum, vel in mensibus, ab ea-
dem sancta Sede Apostolica
Ecclesiasticis personis gratio-
sè concessis, impetrare præsu-
mat, idque postmodum statu-
to eiusdem Regis, Cracouiæ,
Anno 1540. lato, confirma-
tum fuit; quo, in huiusmodi
Cortesanos, siue vt clarius di-
cam, beneficia in Curia Rom:
contra præscriptum indulti
superius recensiti impetran-
tes, grauissimæ pœnæ statu-
untur, vt videre est sub tit:
Cortesani. Non tamen existi-
mare * quispiam debet, hoc 14
iure siue statuto, sacrosanctas
Conciliorum sanctiones, con-
tra negligentes, aut alio quo-
uis modo inhabiles patronos
promulgatas, quarum supra
mentio facta est, sublatas at-
que abolitas esse: quinimò de
his, ita hodie disponitur, quod
nimirum, si patronus intra
spacium quatuor mensium
præsentare ad beneficium va-
cans negligat, eo casu, pro illa
tantùm vice ius collationis il-
lius beneficij competit loci or-
dinario, seu Episcopo, tanquã
vero & legitimo rerum Deo
dicatarum in sua Diœcesi pa-
trono: si verò etiam Episco-
pus officio

pus officio suo hac in parte non respondeat, atque intra quadrimestre præsentare aliquē intermittat; tunc ad Metropolitanum pro illa itidem vice deuoluitur collatio; eo verò intra hoc idem tempus non conferente, ad summum Pontificem recursus fieri debet. Qua in re nulla fit patronis iniuria, si quidem ipsi sua culpa hoc beneficio collationis sese priuant, quinimò hac ratione, quando ordinarij Ecclesias vacantes conferunt personis idoneis, pijs prædecessorum fundationibus, quæ à patronis negligebantur, satis fieri res ipsa testatur. Atque
16 hæc * de iure patronatus ad præsens dicta sufficiant; hoc vno addito, quod causæ iuris patronatus coram Iudice Ecclesiastico tractandæ sint, eo quod naturam sequantur spiritualitatis: cap: *Quanto.* & ibi: Felin. tit: *de iudiciis.* Mixtum enim sequitur naturam simplicis dignioris, vt notat Geli: lib: 1. obser: 38. num: 6. Quod etiam probat statutum Sigismundi Primi, Cracouiæ 1543. promulgatum, vbi inter alias causas, quas Iudices spirituales cognoscere debét, causæ quoque iuris patronatus Plebanatuum, Altarium, Præbendarum, & aliorum sacerdotiorum, ad iudicium spirituale pertinere dignoscuntur.

QVÆSTIO X.

De præscriptionibus, & an res, seu bona Ecclesiæ, præscriptione acquiri possint?

SVMMARIA.

1. *Regulariter omnes res præscribi possunt.*
2. *Præscriptione acquiruntur ea, quæ possidentur.*
3. *Laici res sacras spirituales, & spiritualibus annexas, præscribere non possunt.*
4. *Res, quæ in commercio sunt hominum, præscriptione acquiruntur.*
5. *Præscriptione quadraginta annorum, res seu bona temporalia Ecclesiæ acquiri possunt.*
6. *Romana Ecclesia sola centum annorum præscriptione gaudet.*
7. *Ad præscriptionem inducendam, requiritur primum possessio continua & non interrupta.*
8. *Iustus titulus ad præscriptionem necessarius est.*

9. Bona

9. *Bona fides in præscriptione adesse debet.*
10. *Res, vt sint præscriptibiles, ad præscriptionem longissimi temporis requiritur.*
11. *Præscriptionis Ecclesiastico ordini obiectio, an sit iuri consentanea.*
12. *Alienatio bonorum Ecclesiæ, quando fieri possit.*
13. *Præscriptio contra priuatas personas de prouentibus Ecclesiasticis, an currere debeat.*
14. *Conclusio operis, & ipsius authoris de suscepto labore declaratio.*

1 Regulariter * omnis res, omne ius, & omnis actio præscribi potest: cap: *Ad aures.* 6. ext: de præscript: & l. *Sicut in rem.* Cod: de præscrip: 30. vel 40. annorum. Vt enim litium esset aliquis finis, præscriptionem institutam esse, Iurisconsultus in l. fin: ff. pro suo, testatur: & proinde non iniurius videtur esse is, qui rem legitima præscriptione acquirit: quia ille, qui patitur rem præscribi, videtur consentire & alienare: l. *alienationis.* 28 ff. de verbor:
2 significat. Hoc * tamen ita intelligi debet, si ea quæ præscriptione acquiruntur, ab acquirente possideri de iure possint, d. cap: *Ad aures:* alioquin quæ possideri non possunt, per consequens nec præscribi, cap: *Causam. extr:* de præscript. Possideri autem non possunt ea, quæ in commercio hominum non sunt, quæué dominio alicuius subiici non possunt, vt sunt res sacræ, & Deo dicatæ. §. nullus. Instit: de rerum diuisione. Et ideò
* laici cuiuscunq; status & con- 3
ditionis, huiusmodi res sacras & alia spiritualia, vel spiritualibus annexa, puta Ecclesias, loca religiosa, ius decimarum, & his similia, sicuti neque possidere, ita neque præscribere possunt: etiamsi mille anni transierint. secund: Ioan: Andr: in cap: 2. de præbend: li: 6. & est gloss: in l. 2. verbo *Ancillam.* Cod: de ingen: manumiss. Præscriptiones enim eò potissimum respectu inductæ sunt, vt aliorum iura & dominia, quæ in rebus habentur, beneficio præscriptionis acquirantur, & in præscribentem transferantur: nullum verò ius aut dominium in huiusmodi rebus sacris & spiritualibus quisquam ha-

 bere

bere poteſt, vt iam dictum eſt. Quod praxis etiam Curiæ Regalis, decreto Regio, inter Plebanum Zarnouicen: & Plaza, feria ſecunda poſt octauas ſacratiſſimi Corporis Chriſti 1598. lato, comprobauit.

4 Secùs eſt * in ijs rebus, quæ ſunt in commercio hominum, & aliâs per traditionem, aut alio quopiam modo, dominio noſtro ſubijci poſſunt, quæ licet præſcribi principaliter prohibeantur; eas tamen ex præſcripto iuris, quadragenaria præſcriptione, quæ (vt in l. *Omnes.* 6. Cod: de præſcript: 30. vel 40. annorum, habetur) omne ius priuatum vel publicum, in quacunque cauſa, vel quacunque perſona tollit, (& in iure Canonica appellatur) perimi, Doctores iuris tradunt. Qua

5 quidem * præſcriptione quadragenariâ, etiam res ſeu bona Eccleſiæ, præſertim temporalia, vt fundi, ſyluæ, prædia vrbana & ruſtica, aliæque res Eccleſiaſticæ, quæ ex certis cauſis etiam alienari poſſunt, acquiruntur. Id enim tàm iure Ciuili, in auth: *quas actiones*, Cod: de ſacroſ: Eccleſijs: quàm Canonico in cap: *De quarta.* cap: *Ad aures.* & cap: *Illud.* 8. cuius hæc ſunt verba: *Illud autem te ſcire volumus & tenere, quod aduerſus Eccleſias minorem præſcriptionem, quàm quadraginta annorum Rom: Eccleſia non admittit, licet quidam Canones comprobant tricennalem: & Eccleſia ſe poteſt aduerſus Eccleſiam quadragenariâ temporis præſcriptione tueri, de re illa, quam inconcuſſè quadragintâ annis noſcitur poſſediſſe*, extr: de præſcr: diſponitur. Sola tamen * Romana 6

Eccleſia gaudet ſpeciali priuilegio, centum nimirum annorum præſcriptione, cap: *Vobis.* 14. extra de præſcript: item cap: *Nemo.* 16. qu: 3. & ego notaui obſer: 76. num: 6. pract: obſer: Cent: 1. Verùm enimuero ſciendum eſt, quòd ad præſcriptionem inducendam, cùm in alijs tùm vel maximè in Eccleſiæ bonis, non ſufficiant ſola temporum interualla, (quemadmodum ſibi quidam perſuadent) ſed neceſſaria ſit bona fides, & alia iuris requiſita. Primùm * enim 7

omnium requiritur poſſeſſio, & illa quidem continua, cùm ſine poſſeſſione præſcriptio non procedat: cap: *Sine poſſeſſione.* 3. de reg: iur: in 6. Et quidem

quidem talis continua poſſeſſio eſſe debet, quæ nè momento quidem interrupta ſit; alioquin illâ ſiue Ciuiliter, ſiue naturaliter interruptâ, etiam præſcriptio rumpetur, l. *naturaliter* ff. de vſu cap. Accedit etiam illud, vt non ſit per vim occupata huiuſmodi poſſeſſio, ſed tradita à vero rei illius domino. Nam ad præſcriptionem bona fides neceſſaria eſt, vt inferius dicetur, quæ adeſſe non poteſt, vbi traditio non interceſſit, gloſſ: in l. *Celſus.* 27. ff.

8 *de vſu cap.* Secundò * ad præſcriptionem requiritur iuſtus titulus, cap: *Si diligenti.* extra de præſcript: qui quamuis in iure pluribus modis accipiatur, vt eſt gloſſ: in l. *Non eſt*, in verbo, Titulus. Cod: fam: erciſ: Hoc tamen loco, pro iuſta cauſa poſſeſſionis, vel pro eo, per quod indicatur aliqua poſſidendi legitima cauſa, ſufficiens ad dominium acquirendum, accipi debet: cuiuſmodi eſt titulus pro dote, pro hærede, & ſimiles, qui in l. *poſſideri.* 3. §. *genera.* 21. ff. *de acquiren: & ammitt: poſſeſſ.* & *Inſtit: de rerum diuiſ: enumerantur.*

9 Tertiò * requiritur bona fides, l. vnica, Cod: de vſu cap: transferen. id eſt, ſincera illæſaque conſcientia, excuſans vnum quemque de ignorantia rei alienæ, cap: *Si virgo.* cauſ: 34. qu: 1. vbi expreſſè ita traditur: *Tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum: cùm verò ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibebitur, tunc iuſtè iniuſtus vocabitur.* Quæ quidem bona fides, non tantum ab initio poſſeſſionis, ſed etiam omni tempore vſque ad completam præſcriptionem ſemper adeſſe debet: alioquin ſi quocunque tempore ſuperueniat mala fides, id eſt, ſcientia vel notitia rei alienæ, ante præſcriptionem adimpletam, interrumpitur præſcriptio, idq; tam in Ciuili, quàm & in Canonica, puta 40. annorum præſcriptione procedit, cap: fin. extr: de præſcrip: his verbis: *Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt; Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam Canonica, quàm Ciuilis. Cùm generaliter ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari. Vnde*

ri. *Vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Ex quibus manifestò apparet, quòd iura Canonica in hac parte corrigant iura Ciuilia, quæ permittunt præscriptionem longissimi temporis, etiam cum mala fide, l. *Cùm notissimi* Cod: de præscript: 30. annorum.
10 Quartò requiritur * ad præscriptionem, vt res siue bona sint eius naturæ, quæ præscriptione acquiri possunt. Res enim quæ non sunt in commercio hominum, vt sunt res furtiuæ, vi ablatæ, res sacræ, publicæ; item quæ à legibus alienari prohibentur, vt sunt res pupilli, furiosi, res dotales, res Ecclesiasticæ, nulla ratione præscribi possunt, secundùm Gloss: supra rubr: ff. de diuers.
11 & tempor: præscript. Sanè * si iam isti qui præscriptionem, nescio qualem, Ecclesiastico ordini obijciunt, res vel bona Ecclesiastica, secundùm hæc omnia requisita iuris à se possideri ostenderent; iustam procul dubio, de beneficio præscriptionis sibi denegato, causam conquerendi haberent: at cùm de facto potiùs, quàm iure res vel bona Ecclesiæ occupantes, ea longissimi temporis spatio interueniente, tanquam propria sibi vendicare contendunt, videant quo iure, quaué iustitia nixi id faciant. Cùm enim * bona siue 12
res Ecclesiæ, aliter præterquā in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, idq; interuenientibus certis quibusdam solennitatibus, quas in Cent: 2. obser. pract. breui si per ocium licuerit, in lucē proditura, obser:38. num: 10. persequor, alienari nō possint: frustra quis aliummodū acquirendorum eorundem bonorū vsurpare sibi debeat. Ac proinde etiamsi quis emptionis, donationis, permutationis, vel alio simili titulo, citra tamen solennitatum in alienandis bonis Ecclesiæ obseruantiam, eadem bona longissimo tempore possideat: nequaquam tamen ea præscribere potest; vtpotè quòd alienatio huiusmodi sine consensu superiorum quorum interest, puta summi Pontificis, Episcopi, & Capituli, ipso iure sit nulla, & contra prohibitionem legis facta, prout de his fusiùs dict: obser: 38. traditum est. Quo etiam respexisse videtur, Constitutio illa

illa

illa Anni 1588. in felici coronatione moderni Regis, de alienationibus bonorum Ecclesiæ, promulgata. Et iure id quidem: nam cùm religio ipsa Catholica sit perpetua atque æuiterna, consequens est, quod etiā adnexa eidem, puta bona & res Ecclesiæ, per petuitatis iure gaudere debent. Cùm alioquin ex præscripto iuris nostri, quibuscunque personis, etiam contra ipsum Regem, bona nullo iure recepta, nulla obstante præscriptione, repetendi ius sit, prout dicta Constitutione 1588. de his latius
13 disponitur. At dicet * fortè aliquis: Sit ita, quod contra Ecclesiam non currat præscriptio; at contra personas priuatas, putà Ecclesiasticas, vel similes, quæ siue pro decimis, siue pro censibus, siue pro alijs quibuslibet iniurijs iure agere tanto temporis interuallo cessant, cur hoc beneficium præscriptionis secularibus denegari debeat? Fateor equidem, si de huiusmodi rebus, eadem apud nos, quæ apud alias nationes Christi nomen professas, iuris dicendi, iustitiæq; exercendæ, ratio constaret, saltem quo ad forum exterius, vtcunq; id concedi posse: at cùm ex more & consuetudine istius Regni, etiam pauperculo cuiuis sacerdoti, imò egenis quoque, & è mendicata stipe in hospitali viuentibus, pro exigua annui census pecuniola, putà duodecem vel viginti grossorum, primùm in iudicio terrestri, postmodum in iudicijs Tribunalibus, idque sine expensarum refusione, ius suum persequi necessum sit; quæ æquitas, quæuè iustitia erit, talia sibi vendicare titulo præscriptionis? maximè verò quod in exigendis huiusmodi rebus, non tàm negligentia petentium, quàm difficultas & tarditas soluentium culpanda sit. Sæpiùs enim videmus, misellos istos, iam monere, iam rogare, iam obsecrare, vt de retentis decimis vel censibus ijs satis fiat: at cùm satisfactio, nunc promittitur, nunc eluditur, & de die in diem, de anno in annum differtur; quid ampliùs expectare debeant, cùm non vident, tùm demùm non sine magnis sumptibus & fastidio, simul & semel iure id repetere coguntur, quod


bonis modis obtinere non possunt. His * itaq; tot ac tantis rationibus, satis superque (nisi me omnia fallunt) demonstratum esse puto, quæ iurium atque immunitatum Ecclesiastici status, sit æquitas & iustitia. Vt verò omnis planè ex omnium animis in Ecclesiasticum ordinem malevolentia (quæ meâ quidem sententiâ, huiusmodi quæstionum fons est & origo) eximatur, præter eas consilij mei rationes, ea vel potissima fuit, quæ me non inuitârit solum, sed etiam coegerit, vt quantum vacui temporis ab occupationibus Aulicis haberem, succisiuis planè horis, eam iustissimam æquissimamque Ecclesiastici ordinis causam, tractandam mihi assumerem. Qua in re, si quid profeci, aut præstiti, aliorum sit iudicium. Mihi sat erit, vt hic qualiscúq; meus labor, ad Dei gloriam, & Ecclesiastici status vtilitatem atque defensionem susceptus, sit meæ erga Sanctam Sedem Apostolicam, & religionem Catholicam, perpetuæ obseruantiæ monumentum.

14

LAVS DEO.



Prze-



PRZEMOWA TEGOZ AVTORA,

Do Stanow Koronnych, imieniem wszytkiego Duchowieństwá, ná Kompozycyą w Wárszáwie, Roku Páńskiego, M. DC. VII. przypadáiącą, spisana y nágotawána.



Duchowieństwo wszytko / naszy Mościwi PP. y Bráciá / ktore ná ten Akt z Seymu przeszłego Wárszáwskiego náznáczony / nas posłało; Mátkę nas wszytkich spolną / Kościoł powszechny Chrześciáński / bárzo zchorzáłą / okáleczoną / y śmiertelnymi ránámi boleiącą / stáwia przed oczy Wászmościow / ktorzyście sie tu ziácháli / będąc tákże posłáni od drugiey Bráciey / domá pozostáłey / dla zleczenia y porátowania á opátrzenia zdrowia iey. Zá co niechay Pánu Bogu będźie cześć y chwałá wiekuista. Ale áby sie tym snádnieyszy rátunek y lekárstwo iey ználeść mogło / wprzod trzebá poznáć chorobę / y te rány / kiedy / iáko / y od kogo zádáne iey są. Krotce mowiąc / pięć ran bárzo szkodliwych ná członkách swych odniosłá / y odnośi Mátká nászá Kośćioł Kátholicki / ktore nietylko záгоić sie iey nie mogą / ále im dáley / tym bárziey sie odnawiáią.

Zrániona iest naprzod / srogą y okrutną rāną / w głowę swą / od Confederácyey. Jáka to iest rāná / y co zá chorobę z niey cierpi Kośćioł Boży / mowić o tym wiele nie potrzebá / skutek to sám pokázuie. Bo iáko skoro ná świát sie vkazáłá (á vkazáłá sie sub Interregno, ná ten czás kiedy Páná z obcych kráiow obierano) záráżem miásto pokoiu / ktory miał z niey płynąć / wielki niepokoy / tam in Polititicis, quàm spiritualibus, záwziął sie w Koronie / ktorego skutkow y teraz oto świeżo doználiśmy / á day Boże ábyśmy wiecey nie doznawáli. Chcą tego po nas ludźie rożney religiey / ábyśmy tey nowey Confederácyey

iáko

iáko práwu podlegáli: á nie baczą tego / że práwá żadne v nas ſtánowione bydź nie mogą / bez pozwolenia ſtanow wſzytkich Koronnych / w czym ſie też bez wſzelákiego wątpienia zamyka ſtan Duchowny. Ták iáko Státut Zygmuntá pierwſzego w Piotrkowie / Roku 1538. poſtánowiony obmawia / temi ſłowy: Conſtitutiones nouas, nonniſi Conſiliariorum & Nunciorum Terreſtrium conſenſu ſecundum Statutum Alexandri Regis faciemus, &c. A tá miła Confederácya / iáko ſie wyżſzey wſpomniáło / nie ſwego czáſu / mimo wolą y pozwolenie nietylko wſzytkiego duchowieńſtwá / ale wielu zacnych y przednich ludzi ſtanu Rycerſkiego: tudzież cáłych Woiewodztw niektorych / iáko Płockiego / Mázowieckiego / y Ráwſkiego / y innych: o czym świádczą proteſtácye do Akt rożnych podáne / ieſt vknowána / przećiwko ktorey nie zániedbáli y ći / ktorzy byli poſłáni do Fráncyey po nowego Krolá / támże záráżem przy oddawániu Elekcyey y odbierániu przyśiegi / proteſtowáć ſie. Wiec przy Koronácyey znowu wſzytko Duchowieńſtwo / y z nimi wiele Senatorow świeckich ſolenniter ſie proteſtowáło. Czego wſzytkiego bedźieli potrzebá / gotowiſmy authenticè dowieść. A wiec to zgodá / wiec to práwo / gdźie ták wiele proteſtáciy záſzło? niechay ſie przypátrzą dobrze / ieſliże tákowym kſztałtem / ábo tákowym porządkiem práwá one dawne y ſpiſki przodkow náſzych miłych ſtánowione były. Nie dáleko chodząc / mimo innych wiele ſpiſkow y Confederáciy (ktore iáko ſie to z Metryk Rzeczypoſpolitey pokázuie / niemal w káżdym zoſobná Woiewodztwie bywáły) oné generálną Confederácyą w Korczynie / Roku 1438. die 8. Martij vczynioną / weźmiyćie / W. M. przedſie / obaczyćie tám W. M. dáleko inſzy rząd około ſtánowienia praw y ſwobod / ſumnienia ſie dotykáiących. Mowi tám naprzod tá Confederácya: Nos Principes ſpirituales & ſeculares. A tu obaczćie W. M. ieſliże w tey nowey Confederácyey / ktorą ná nas włoką / ieſt wzmiánká iáka o Duchownych: Abo ieſli ieſt / tedy tylko dicis cauſa, Duchowni ſą miánowáni. Mowi potym dáley: Barones & Comites, Principes, Milites, Nobilitas, Ciuitates, totaque communitas Regni Poloniæ, ſingulariter ſinguli, & vniuerſaliter vniuerſi, eodem animo, eadem voluntate, ſcientia & aſſenſu, & ratihabitione. Pátrzćie iáka tu zgodá / iáka iedność / iákie wſzytkich ſtanow

zezwolenie? coż dáley mowi? Quicunque hæreticales errores fauere vel promouere vellent, in eorum deſtructionem conſurgere volumus. A dáley ieſzcze: nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, ſed punire permittimus. Nie wſpomináiąc tu Státutow Jágielonowych w Wieluniu / Anno Domini, 1424. Zygmuntowego w Toruniu / Anno 1520. y w Krákowie / Anno 1525. vczynionych. Tákże innych Edyktow / Dekretow / y Mándatow od Krolow / Zygmuntá y Auguſtá / do Stároſtow / y innych vrzędow wydánych / áby praua dogmata, á miánowićie Picardorum, Boemorum, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, Lutheranorum, & aliorum Hæreticorum, bronili / y rozśiewáć nie dopuſzczáli. A iákoż dla miłego Bogá te práwá gruntowne / te Státuty poważne / te Confederácye pierwſze y świątobliwe ná plácu ſwym zoſtáć ſie bedą mogły / ieſliże tá nowa / y tumultuariè vknowána Confederácya / ex diametro práwie ták poważnym y mocno vgruntowánym práwom przećiwna / mieyſce mieć ma? coż iuż bedźie po práwách / nietylko duchownym oſobom ſłużących / ále y świeckim: co po przywileiách / co po Státutách / kiedy wſzytko to ſtudia & opiniones priuatorum, zepſowáć y podnośić / pro arbitrio ſuo, bedą mogły? Wiec pátrzćie W. M. co tu dáley zá tym idźie. Vdawáią to diuerſæ religionis ludźie / y pieknym płaſzczykiem przykrywáią / że idźie o pokoy poſpolity. My záiſte niewiemy / co to zá pokoy / kiedy ná wiáre powſzechną / ná oſoby duchowne / ná ſługi Boże / ná Kośćioł iego náſtepuią / y wniwecz práwie obroćić go chcą: á żeby to prawdá byłá / przyznáć nam to káżdy muśi / że naprzod tá Confederácya to ma w ſobie / żeby káżdemu iákieykolwiek kondycyey człowiekowi / wolno było wierzyć / nabożeńſtwá záżywáć w máietnośći ſwey / podług vpodobánia ſwego. Zá czym rzecz pewna / że proſtemu człowiekowi / á nabárźiey vbogim poddánym / iuż bedźie záwárta drogá do prawdźiwey chwały Bożey. A iáko ſie iuż teraz znáyduie tego wiele / że Pan ſwym poddánym nie dopuśći w inſzym Kośćiele bywáć / iedno w ſwym zborze? Atoż widźićie W. M. że tá Confederácya vbogich ludkow duſze / krwią niewinną Páná y Zbáwićielá náſzego odkupione / ná mieśne (iáko poſpolićie mowią) iátki / wydáneby od nas bydź

muśiáły: czego nas vchoway Pánie Boże. Druga / zá tákową Con-
federácyą / ázażby fundácye / errekcye / y inße nádánia ludzi pobo-
żnych / vſtáć nie muśiáły? Azażby Kośćioły Kátholickie / ßpitale /
klaßtory / zá tákowym práwem / wnet nie były zprofánowáne / y ná
brzydkie Pánu Bogu nabożeńſtwá obrocone? A co więtßa / á iáko
my to Duchowni / bá y wßyſcy Kátholicy / ktorzy iedney głowie na-
wyżßemu Papieżowi podlegamy / y ieden powßechny Kośćioł Chrze-
śćiáńſki Rzymſki wyznawamy / tę Confederácyą zá práwo przyimo-
wáć możemy? Azaż niewiemy / że ieden tylko ieſt Pan / iedná wiárá /
ieden chrzeſt / iedná prawdá: y co nam Apoſtoł święty roſkázuie / á-
byſmy ſię ſtrzegli offenſiones & offendicula, præter doctrinam
quam didicimus. A tá Confederácya nic inßego nie ma w ſobie / ie-
dno żebym ia Kátholik to trzymał o wierze Luterſkiey / Nowo-
chrzczeńſkiey / y inßych / że iáko wiárá moiá ieſt prawdziwa / ták y
iego: y iáko ia w ſwey wierze mogę bydź zbáwion / ták y on w ſwey.
A nietylko / ábym ia ták rozumiał: ále żebym go y bronił w iego opi-
niey. Co iáko bydź może / niechay to ſądzi kájdy baczny. Inßać ieſt
rzecz tych rzeczy przebáczywáć / ácz y to żáłoſna; ále propter bonum
pacis, á to y w tym ſię ludźiom dogadzáć muśi: á inßa ſpiſowáć ſię
y obowiezowáć ná pomagánie y obronę tákich rzeczy / iákowa ieſt tá
Confederácya. Bo to expreſſe ma w ſobie / eos defendemus & tue-
bimur. Doſyć złego / Pánie miły Ewángeliku / że ia ćiebie ćierpię /
znoßę / kumam ſię z tobą / żadneyći przykrośći nie wyrządzam: á ie-
ßcze ćię mam bronić / zá twą krzywdę ſię záſtáwiáć; á ty mnie kośćio-
ły pſuieß / klaßtory obalaß / dobrá kośćielne ßárpaß / á ná ſwoy poży-
tek włáſny obracaß: wielkaby to byłá / á nieſłychána nieſpráwiedli-
wość / czego vchowa nas Pan Bog z miłośierdźia ſwego świętego;
y ći ták ſławni potomkowie / onych zacnych przodkow Polſkich /
ktorzy zá Kátholicką wiárę meżnie ſię záſtáwiali / nie dopußczą. W
czym áby ich Pan Bog mądrośćią ſwą pośiláć raczył / my niegodni
kápłani / do iego świętey miłośći w gorących modlitwách náßych / v-
ćiekáć ſię będźiemy.

Idźmyż do drugiey rány tey Mátki náßey miłey. Zrániona ieſt /
y práwie okáleczona gwałtem czáſow przeßłych w rękę práwą / ktorą

iey Pán Bog wßechmogący ná poſtrách złym á nieposłußnym ſy-
nom / mieczem onym duchownym / to ieſt / iuriſdictione Eccleſia-
ſtica, vzbroił. Tá nietylko iuż ieſt zwątlona: ále práwie obálona / y
z gruntu podnieśiona. Co ieſliż nie żáłoſna / ieſliż nie ßkodliwa / ro-
zum ſam nas ſłußnie w tym rozſądźić ma. A zkąd / proßę / kácerſtwá /
y inße tym podobne przeſtępſtwá / ktore máieſtat Páná Bogá wße-
chmogącego ſrodze obrażáią / tu w Koronie zágęśćiły ſię: iedno ztąd /
że nie máß ktoby o krzywdę Bożą / y obelżenie máieſtatu iego święte-
go / vymowáć ſię miał. Co włáſnie y według przykazánia Bożego /
y według práwá przyrodzonego / ſámym ſługom Bożym / á nie komu
inßemu / należeć ma. Z dla tegoż wßytkie práwá poſpolite Chrze-
śćiáńſkie / ſtan Duchowny chćiáły mieć iudices & vindices táko-
wych wyſtępkow. Tym przykłádem ßli przodkowie WW. MM.
tudźieß y Krolowie oni święći / ktorzy ſtanowi Duchownemu ten
miecz w ręce podáli / y rozſądek inter lepram & lepram, poruczyli
tym ſpoſobem / áby ſeculare brachium, dekretá y wynálazki ich /
nád wyſtępnymi y zákletymi / do ſkutku przywodźiło. Miedzy wielą
innych / godźi ſię przypomnieć wieczney w tey mierze pámiątki go-
dny Státut Zygmuntá Krolá / Roku Páńſkiego / 1543. vczynio-
ny / ktory te słowá ma w ſobie: Inprimis ad ſpirituale iudicium
pertinet, iudicare differentias religionis, hæreſes videlicet,
ſchiſmata, blaſphemias contra Deum, & Apoſtaſias. pro Deci-
mis, Septem Sacramentis Eccleſiæ, veneficijs, ſacrilegijs, & ſi-
monia, &c. Coż może bydź iáſnieyßego / co dowodnieyßego / nád to
práwo? Acz mogłoby ſię pokazáć wiele innych diplomata y Státu-
tow / tym podobnych / o tey iurisdykcyey duchowney / doſyć iáwnie
y iáſnie obmawiáiących: Ale folguiąc czáſowi / z tym ſię rozwodźić
teraz niechcemy / zwłaßczá że nie rozumiemy / áby ſię kto ználeść
miał / ktoryby tego ſtanowi Duchownemu nie przyznawał / że iáko
wiárá Kátholicka náſtáłá tu w Koronie / ták záráżem poſpołu z nią
iuriſdictio Eccleſiaſtica w ręku v Duchownych byłá. Tego iednák
minąć ſię nam nie godźi / ieſliby ſię kto ná tym ſądźić chćiał / iákoby
iurisdykcya Duchowna zá Auguſtá Krolá znieśiona bydź miáłá. Cze-
go y nie widźimy w práwie poſpolitym / y chocby ſię też co tákowe-

go ználázło / zá práwo tego nie przyznawamy: gdyż tákowym ſpoſobem nietylko przywileie kośćielne / ále wſzytkie práwá Koronne / zwątlone muśiałyby być. Bo ſtan duchowny wſzytek temu kontrádykował / á oſobliwie Jch M. Xieża Biſkupi / ná ten czás ná Seymie wálnym będący / wſtawſzy z mieyſc ſwych z Rády wyſzli / proteſtácyą o to ſolennem vczyniwſzy / ktora / będźieli tego potrzebá / śnádnie pokazáć ſie káżdemu może. Rozſądzćieſz to tedy W. M. ieſliże nie ſłuſznie ná te rány tá Mátká náſzá boleie / ieſliże nie ſłuſznie do Páná Bogá o pomſtę / ábo ráczey / żeby tym ktorzy iey te władzą z ręku wydźieráią / vpámiętánie raczył dáć / wzdycha. Nie o ſtánći Duchowny ták dálece idźie / ktorzy in humilitate & patientia, zwykli poſsidere animas ſuas: ále idźie o gniew Páńſki / o kaźń Bożą ſrogą / ktora nád námi iuż prawie wiśi / y iuż ſie iey rękámi dotykamy. A nie dźiw / kiedy wſzelákie przeſtępſtwá / iáko ſie wyżſzey powiedźiáło / máieſtat iego obrażáiące / nietylko nie hámuią ſie: ále owſzem gorę biorą / ztąd / że crimina manent impunita; á Ordini Eccleſiaſtico záwiązána ręká / że nie może iudicare malum. Czuyćie ſie W. M. dla Páná Bogá / á chćieyćie wżdy kiedy to obaczyć / że o wás ſámych / y o ſumnienie wáſze idźie.

Trzeći ſzwánk w ręce lewey / ktorą podawáłá chlebá ſynom ſwym / ſługom Bożym / ſzkárádźie podiełá. Chleb nic inſzego nie ieſt / iedno Dźieśięćiny / Kośćiołowi y ſługom iego należące / ktore Pan Bog ſobie ná wychowánie ſług ſwych zoſtáwił; o czym piſmá pełno wſzędźie / ták w nowym iáko y w ſtárym Zakonie / v Doktorow świętych: y nie trzebá o tym wiele wywodow. W Koronie od wźięćia Wiáry powſzechney Chrześćiáńſkiey / naprzod od Miecłáwá Królá Pierwſzego Chrześćiáńſkiego / Dźieśięćiny ze wſzytkich dobr / Kośćiołom ſą nádáne / y fundowáne. Toż potym / y drudzy Krolowie / iáko Bolesław / Kázimierz Wielki / Włádyſław Jágiełło / y iego Potomkowie / nie tylko świątobliwie potwierdźili: ále y hoynie / á ſzczodrobliwie tego chlebá Kośćiołowi przyczynili: á co ieſzcze więtſza / tych ktorzy go ſługom Bożym vwłaczáć chćieli / hániebnie karáli. Długiby to czás wźięło wyliczáć wſzytkie te Práwá / y Przywileie około Dźieśięćin / ktorych pełno / nie tylko w Státutách Koronnych: ále

y po Me-

y po Metrykách / ták Kośćielnych / iáko y Krolewſkich. Kto nieieſt gośćiem w tey Koronie / á ieſt przyiaćielem prawdźie / bez wiela wywodow przyznáć to vltrò muśi: że Dźieśięćiny Kośćiołowi Bożemu / y ſługom iego / iáko właſne y iſtotne dźiedźictwo / od Krolow y Pánow náſzych / ktorzy tę Rzeczpoſpolitą fundowáli / ſą pozwolone / nádáne / y mocnym Práwem vgruntowáne. Ale ázaſz przez te kilká ſet lat byłá o tym kiedy wzmiánká / żeby ich Kápłanom kiedy vmykáć miano? Bo Kontrowerſia oná / ktora zá Kázimierzá Wielkiego wſzczełá ſie / byłá między Bodzántą Biſkupem Krákowſkim / á miedzy obywátelmi Woiewodztw máłey Polſki: á nie byłá nigdy o Práwách Dźieśięćinnych: ále tylko o ſpoſobie wybieránia / ábo wytykowánia / y zwożenia ich. Jáſne ſą słowá tego Státutu / śnádnie ſie káżdy z niego w tey mierze ſpráwić może. Zámilczeć / y przepomnieć ſie nie może ná teráźnieyſzym plácu / onego wielkiego / y świątobliwego Krolá Władyſłáwá Jágiełá Státutu / ktory ták ſie ma: Quicunque Princeps ſeu Capitaneus, Baro, Nobilis, Decimas quas ſibi Deus in ſignum vniuerſalis dominij pro alimento ſeruientium reddi cenſuit, rapuerit, inuaſerit, &c. Zkąd iáſnie ſie znáczy / iż oni dawni Monárchowie tey Korony / Dźieśięćiny według Práwá Bożego / y národow wſzytkich / ſtanowi Duchownemu należące przyznawáli: y Práwem piſánym / ktore w Státutách Koronnych zámyka ſie / vtwierdźili / y vmocnili. Co ieſliż ták ieſt / iákimże Práwem / ábo ráczey nieſpráwiedliwośćią / przychodźi teraz do tego / że zacnych onych Przodkow náſzych ſtárożytna pobożność w hánbę / y ſromotę nas wſzytkich obrácáć ſie ma: że Dźieśięćiny Kośćiołom / żywność Kápłanom / ozdobę Ołtarzom / ſámemu nákoniec Pánu Chryſtuſowi ofiárę / przez gwałt / y nieſpráwiedliwość wielką odeymuią. Záćiągniona ieſt ná Przodki náſze niewiemy przecz / y iáka kompozycya / á zátym ſuſpenſya. y muśimy teraz z onym Prorokiem mowić: Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & obſtupuerunt dentes noſtri. Záprawdę ták ſie z námi dźieie. Kto to ſłychał kiedy / áby kredytor z dłużnikiem ſwoim muśiał ſie zgádzáć / o to / co mu on winien: ábo żeby kredytor ták długo czekáć miał / pokiby dłużnik zgody (ktoraby ná woley iego zoſtawáłá) z nim nieſkończył.

Nie rze-

Nie rzekę nie ſłußna / y nieſpráwiedliwa: ále práwie śmießna byłáby ſpráwá / dáć ſie o ſwoie własne ná cudzą dißkrecyą. Tymże záiſte kßtałtem / y tá Páni Kompozycya / z namilßą corką ſwą Suſpenſyą ieſt ná nas wewleczona. Wzdyć nie tylko według wßelákich Praw / ále do rozumu ſie vćiekßy / kompozycya bywa o rzecz wątpliwą / nie pewną / ktorą poſpolićie oboiá ſtroná ſobie przywłaßcza: á nie ● rzecz iáſną / pewną / y właściwą; iákie ieſt Práwo Kośćiołá Bożego / y nas ſług iego ná Dźieśięćiny. Co / iż ſie iuż wyżßey wſpomniáło / powtarzáć niechcę. Malić ſie prawdá rzec / dawnoć iuż ßyię złamáć miáłá ſłußnie tá miła ſuſpenſya: Bo weyźrzawßy w ſáme Konſtitucyą / y ná mentem, ábo rationem rei, iáſnie ſie to pokázuie / że iuż dawno koniec ſwoy wźiełá. Abowiem expreſſè to ieſt w niey: A exequucyą do drugiego Seymu / ná ktorym też kompozycya bydź ma / ſuſpenduiemy. Atoż niewiemy iáko ináczey to rozumieć ſie ma / iedno że tá ſuſpenſya nie dłużey / iedno do bliſko przyßłego Seymu / ná ktorym y do kompozycyey przyśdź miáło / trwáć miáłá. Bo kiedyby ſimpliciter do kompozycyey / á nie miánowawßy pewnego czáſu / tá ſuſpenſya zoſtawáłá: tedy tá clauſula (ná ktorym też kompozycya bydź ma) nie potrzebnieby przydána byłá: iáko y owá druga / ſine præiudicio vtriuſque partis. Bo á kto w tym wątpić może / że tákowa ſuſpenſya nieſkończona / ktoraby in arbitrio aduerſæ partis zoſtawáć miáłá / ſtanowi Duchownemu muśiáłáby bydź bárzo ßkodliwa y niebeſpieczna. Weyrzawßy też in mentem & rationem ipſius legis, gdyby tá ſuſpenſya nie do bliſko przyßłego Seymu / ále do niezámierzonego pomienioney kompozycyey czáſu trwáć miáłá: á coby inßego ztąd było / iedno iáko poſpolićie mowią / Márchułtowe drzewo? Boby ći / ktorym Dźieśięćiny nie ſmákuią / ſnádnie temu zábiegáć mogli / żeby kompozycya nigdy nie doßłá: á zátym / żeby też ſuſpenſya na wieki trwáłá. Nie trácąc iednák ſercá / otoſmy ſie tu ſtáwili miedzy WW. MM. ná ten plác / z wielką chęćią / á ßczerą y vprzeymą powolnośćią / y ſkłonnośćią do wßytkich ſpoſobow y śrzodkow / ktore iedno ſłußne / ſpráwiedliwe / z Práwy y z Przywileymi náßemi zgadzáiące ſie / od WW. MM. nam podáne będą. Obiecuiąc to / że nas W. M. w żadney ſłußney y ſpráwiedliwey rzeczy

alienos

alienos nigdy nie vznáćie. Pewni też tego będąc / że y W. M. wzáiemną ßczerość y vprzeymość w tych ſpráwách nam / y wßytkiemu Duchowieńſtwu pokażećie / y nic tákowego po nas / czegobyſmy illæſa conſcientia noſtra, & ſine præiudicio iurium, priuilegiorum, ac immunitatum Eccleſiaſticarum vczynić nie mogli / potrzebowáć nie będźiećie.

Vkázuie ießcze dáley tá Mátká náßá WW. MM. okrutną ránę w boku / ktora do ſercá iey przenikáiąc / iuż práwie do grobu wpráwić ią chce. Azaż to nie śmierći ſie rowna / pátrzyć ná ták wielkie znißczenie y zprofánowánie Kośćiołow / y innych mieyſc świętych ná cześć y chwałę Bożą od świątobliwych onych Przodkow fundowánych. Znáyduie ſie w ſámey Diecezyey Krákowſkiey do kilku ſet Kośćiołow Kátholickich zburzonych / y rozmáitemi ſpoſobámi zepſowánych: nuż w Gnieźnieńſkiey pewnie ſto przeßło: á w Kuiáwſkiey niemal tyleż: tákże w inßych. Idźmyß do dobr / fundußow / czynßow / y ſkárbow Kośćielnych: O Boże / iáko wiele ſie tego / tám gdźie nie miáło bydź / obroćiło! Nápátrzáły ſie oczy ludzkie tego / kiedy Kielichy / y Krzyże Kośćielne zlewano / kiedy Ornaty kráiano / kiedy inße appáraty Kośćielne pſowano / y wniwecz obrácano. A więc to nie żal / nie boleść ſerdeczna / nie tylko Kápłanowi / ále nayoźiebleyßemu Kátholikowi pátrzyć ná to / kiedy rzeczy Pánu Bogu świątobliwie oddáne w márny pożytek ludzki ſie obracáią? á przećie o ták wielką krzywdę Bożą / y obelżenie Máieſtatu iego Práwá v nas nie máß / y milczeć każą. O iáka niezbożność / y rzec ſie może / ßalenſtwo niewypowiedźiáne! Chcemy áby nam Pan Bog błogoſłáwił / y dárował nam pokoy: á my go ták lekce ſobie poważamy: álboć rozumiemy / że non eſt Deus. vtinam aliquando ſaperemus, & intelligeremus.

Odnośi oſtátnią ránę w nogách / z ktorą áczkolwiek ſie odkryć niechce: iednák bárzo ią boli / y muśi ná nie nie pomálu chramáć; á to z tey miary / że ſługi Kośćielne / y oſoby Duchowne / mimo ſtárodawny zwyczay / y Práwo wßytkich práwie narodow Chrześćiáńſkich opiſáne / mimo dekretá Synodow świętych / á nákoniec mimo ſáme powołánie ich / od własney głowy naywyżßego Páſterzá y namieſtnikow

mieſtnikow

mieſtnikow iego / do świetckich iákichśi ſubſellia poćiągáią. Bo gdyby ná tym ſtánąć miáło / żeby Kápłani / iáko niektorzy chcą / nie przed Biſkupy / y Przełożonemi ſwemi / ále przed Vrzędámi świetckimi / in perſonalibus, ſtáwáć y ſpráwowáć ſie mieli: A w coż ich prerogátywy / w coż Práwá Duchowne / y Kánony święte / kiedy mnie Kápłaná / lubo to Státutem Koronnym / lubo Mágdeburſkim Práwem / ábo Sáxonem iákim ſądźić będą. A drudzy záś ná to náćieráią / áby remota appellatione do naywyżſzey głowy / nas ſądzono. A nie wiedzą tego / że áppellácya dla dwu przyczyn ieſt w Práwie poſtánowiona: iedná / áby grauatus beneficium miał ad ſuperiorem Iudicem prouocandi: druga / áby ſuperioris authoritati & iuriſdictioni derogácya ſie nie działá. Otoż by też dobrze od tego nas beneficium odſtrychniono: á Oycu świętemu / iáko w tym preiudykowáć mogą? y iáko my będąc członkámi iego / możemy ná to pozwolić / y od niego ſie odſtrychnąć? Poſzłoćby to coś ná ono / co o wilkách powiádáią / ktorzy pſow chćieli zbyć od trzody: ták też y nas podobno od głowy / y Páſterzow náſzych oddźielić chcą / áby tym beſpieczniey / cuſtodibus remotis, in gregem Domini ſæuire mogli. Dla Bogá poczuwayćie ſie W. M. o wáśći to / y o ſumnienie wáſze idźie. Nie ná tymći ſtánie / kiedy Kápłany / y ſtan Duchowny zniſzczą / y prerogátywy ich nádwątlą: ále zátym / o ſam fundáment Wiáry powſzechney Chrześćiáńſkiey / tym śmieley kuśić ſie będą / nie máiąc ktoby im wſtręt vczynić miał w zamyſłách ich. Maćie W. M. w Státućie ártykuły opiſáne / o ktore Duchowni powinni przed ſądem Ziemſkim odpowiádáć: bá y ná bliſko przeſzłym Seymie ad alios caſus poćiągniono tego Práwá. A czemużby ſie tym nie kontentowáć? czemuby w tey mierze nie iśdź zá Przodkámi ſwemi? ktorzy piè & ſanctè poſtánowili / áby oſoby duchowne ad forum ſeculare nie tylko poćiągáne nie były: ále owſzem chćieli to mieć / áby świetcka oſobá o ſzkodę / ábo krzywdę Duchownemu vczynioną / in foro ſpirituali odpowiádáłá. O czym świádczy Státut Zygmuntá Krolá / Anno 1543. w Krákowie vczyniony. Tákowáć byłá przedtym wolność / y vſzánowánie ſtanu Kápłáńſkiego / á teraz wſzytko ſie odmieniło: y iáko nas też Pan Bog błogoſłáwi / widzimy ná oko.

Te ráný ſwoie y vrázy Kośćioł Boży / mátká náſzá / W W. M M. vkázawſzy / ſupplices manus tendit do W W. M M. ktorzy ná ten czás vniuerſam Reipub: formam repræſentatis, ábyśćie z miłośći tey / ktorą pobożni ſynowie rodzicom ſwym winni / vlitowáli ſie tego bolu / y vrázow iey / á nie odbiegáli iey z tego płácu ládáiáko: ále żebyśćie ſie zgodnie ſtáráli o to / iákoby do pierwſzey śiły / y zdrowia / przyść mogłá. Bo ieſliby (czego ſtrzeż Boże) dłużey w tym bolu trwáć miáłá: á czego inſzego / iedno zwątpiwſzy iuż o ratowániu ſwym / oſtátniego vpadku ſpodźiewáćby ſie przyſzło? Do czego / áby iey nie przychodźiło: przez członki ſwe choćiaż bárzo zchorzáłe y zránione / przez głowę naprzod ſwoię / to ieſt oblubienicá ſwego / w ktorym was porodźiłá / y wychowáłá: przez ręce / w ktorych nośi Sákrámentá święte / ktorymi was karmiłá / y do tych czáſow kármić nie przeſtáwa: przez bok nakoniec ſwoy / z ktorego was krwią niewinną Páná Zbáwićielá náſzego omyłá / W W. M M. wſzytkich ſynow ſwych prośi / y obteſtuie. My też imieniem wſzytkiego Duchowieńſtwa / oto W W. M M. PP. y Bráćiey náſzey miłey prośimy / y iáko nay pilniey vśiluiemy / ábyśćie W. M. priuata wſzytkie ſtudia ná ſtronę odłożywſzy / pilno tę ſpráwę wźięli przed ſie: y vmiárkowánemi ánimuſzámi weyzrzeli w to / co vraża Páná Bogá wſzechmogącego / chwałę iego świętą / á potym y nas ſługi iego: y ták te rzeczy nápráwowáli y leczeli / coby było z pomnożeniem chwały imienia iego świętego / z zbáwieniem duſz ludzkich / z ochroną praw praw kośćielnych / á nieśmiertelną chwałą W. M M. y potomſtwá W W. M M.

W czym / ábyś nam wſzytkim Pánie Boże wſzechmogący / obrońco náſz iedyny / z miłośierdźia ſwego świętego poblogoſłáwić raczył / o to ćię wſzyſcy pokornie prośimy. Amen.



De Controuersijs

INTER

ORDINEM ECCLESIASTICVM ET SECVLAREM,

In Polonia;

Ex Iure Diuino, Regniq; Statutis, Priuilegijs, ac præscriptione:

TRACTATIO.

In qua refellitur Libellus quidam famosus & mordax, contra Querimoniam & Postulata Cleri, in Comitijs Regni Anno 1585. Regi, Regniq; Ordinibus publicè oblata, conscriptus.

Nunc demum recognita & aucta, & à plurimis mendis purgata.



CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

Anno Domini, M. DC. XXXII.

Ecclesiastici 7.

In tota anima tua time Dominũ,& Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute dilige eum qui te fecit, & ministros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & propugnato cum brachijs. Da illis partem, sicut mandatũ est tibi, primitiarũ & purgationis.

1. Thessalon: 5.

Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate, propter opus illorum, & pacem habete cum eis.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, PRÆLATIS, CANONICIS.

Vniuersoque Regni Poloniæ Clero, Auctor S.

Mirari satis non possum, Viri Illustrißimi, & Ornatißimi, cùm Ordinis vestri homines primi in Poloniam clarißimum Fidei lumen intulerint, in eademq́; augenda, & amplificanda, sexcentos iam totos annos desudârint: inueniri tamen aliquos, qui vobis tantùm abest, vt pro summo beneficio, meritam gratiam, debitamq́; referant, vt etiam illud enitantur & moliantur vnum, ne summum dignitatis, & honoris gradum, quẽ magnâ omnium voluntate, & consensione, iam inde à Christianæ Religionis in Polonia principio, estis assecuti, retineatis. Est & illud, quod maiorem mihi mouet admirationem, quòd alij tam incredibili in vos suffusi maleuolentiâ sint, vt dicere non vereantur iustitium indici oportere, iurisdictionem intermitti, iudicia tolli, vobis deniq́; omnem auctoritatem, & potestatem, lege Diuina & humana tributam, eripiendam esse. Illud autem

 penitus


penitùs obstupesco, alios non deesse, qui Decimas ipsas, & ad vitam sustentandam, & ad rerum Diuinarum procurationem, & administrationem necessarias, vobis non inuideant modò, verùmetiam per summum dedecus Ministris hæreticis, ad quos nullo iure pertinent, decretas velint. Quo nihil iniquius, aut indignius excogitari potest. Atq; hæc quidem mihi miranda, atque obstupescenda videntur: alijs autem fortasse, qui minus in istorum hominum familiaritate, atq; libris versati sunt, incredibilia prorsus, ac portenti similia videbuntur: qui tamen, fidenter dico, si vel vnum libellum famosum, contra Querimoniam, & postulata Cleri in Comitijs Regni, Anno 1585. Regi, totiq; Senatui oblata, scriptum, & diuulgatum legerint, & ijs quæ commemoraui, habebunt fidem, & tantam improbitatem, ac ingrati animi crimen, admiratione obstupefacti, perhorrescent. Ego sanè vt semel eum peruolutaui, vsq; adeò cohorrui, vt non calamo aduersus eundem agendum, sed incendio decernerem. Ne tamen scriptum tam venenatum, & pestiferum, ac falsis redundans criminationibus, in Ecclesiasticum Ordinem, alioqui innocentissimum, odium concitaret, aut minus rerum peritis scrupulum, ac dubitationem aliquam de eiusdem iurisdictione, Decimarum percipiendarum facultate, vetu-

vetustissimisq; Priuilegijs inijceret, operæpretium me facturum sum arbitratus, si illud refutarem potiùs, quàm asperuarer. In quam sanè sententiam eò faciliùs descendi, quòd viri quidam primarij, ijq; sapientissimi, & optimi, scriptionis, & suasores, & impulsores fuerint: quorum ego consilijs, atq; studijs vti refragarer, nunquam animum inducere potui. Vt autem opus ipsum perfectius, & absolutius esset, ac non totum in hominis improbissimi calumnijs, & conuitijs refellendis consumeretur, non Cleri tantùm querimoniam, & postulata defendenda; verùmetiam iurisdictionem vniuersam, & Decimarum æquitatem, ex Sacrarum literarum monumentis, & Regni Poloniæ sanctissimis Legibus, asserendam putaui. Quod an fuerim assecutus, aliorum sit iudicium, assequi sanè volui: cùm vt de nobilissimo Ordine vestro, ad Dei Opt: Max: gloriam, & honorem, bene mererer, eumq; calamitate penè fractum, & afflictum excitarem, tum vt improborum quorundam nefarios ac furentes conatus retardarē. Qualecunq; autem sit quod præstitimus, id vobis totū, Amplissimi Viri, do, dono, atq; consecro: illudq; Deum Opt: Max: supplicibus oro verbis, vt & Ordini vestro sit emolumento, & aduersarios edoceat, Decimas vobis per summam iniuriam eripi, & iurisdictionem, quam obtine-

obtinetis, legitimam, Reiq́ publicæ necessariam esse. Valete.

AVCTOR LECTORI, S.

Quoniam libelli famosi, qui à nobis confutatur, auctor, nomen suum suppressit: ne mirere Lector, si, vbi is nominandus erat, Calumniatoris vocabulum repereris. Meritò enim ita hominem appellamus, quoniam calumnijs, & conuitijs, perpetuò ferè vtitur. Atque vt facilius porrò intelligas ea quæ hîc à nobis disputantur: ipsa *Postulata Ordinis Ecclesiastici,* quæ iste calumniatur, nostræ tractationi præmittenda esse duximus. Vale.



POSTVLATA ORDINIS ECCLESIASTICI, SEV CAPITA,

Per Deputatos Status Ecclesiastici, de Iniurijs, *quibus idem contra ius Diuinum, & contra Iura, Priuilegiaq́ sua grauatus est, Warschauiæ, in Comitijs Regni Generalibus, Anno Domini, M.D.LXXX. V. Die 22. Febr. DD. Deputatis auctoritate R. M. ex Senatorio & Equestri Ordine, publice proposita.*

I. Religionis S. Catholicæ violatio, Hæresumque variarum in Regnum inuectio.

II. Iurisdictionis Ecclesiasticæ, eiusq́; spiritualis gladij Excommunicationis, eneruatio.


III. Decimarum à quibusdam retentio, & ademptio.

IV. Prærogatiuarum & Libertatum diminutio.

V. Ecclesiarum prophanatio, Fundationum, Censuum, Prouentuum, Thesaurorum Ecclesiasticorum, & bonorum aliorum ademptio, & spoliatio.

VI. Fori pro iniurijs realibus & personalibus, tam primæ & secundæ instantiæ, quàm executionis suspensio: Brachij secularis, Remissarum ex Tribunali Regni, & alijs subsellijs causarum, nulla executio.

BRE-



BREVIS EXPLICATIO SVPERIOrum Capitum, verbotenus, coram DD. Deputatis, per Spirituales facta, die, & loco, vt suprà, postmodumq; scripto, tradita.

Ad primum.

I. Vtrùm expediat Reipublicæ, & fas decorumq; sit:

Apostasias fieri.
Schismata & peregrinas Religiones innumeras inuehi.
Deum blasphemari.
Christum publicè negari.
Hæresibus modum nullum & finem imponi.
Atheismum, Paganismum, Saracenismum introduci.
Iniurias in Deum impunè fieri.
Magistratum, qui Dei Maximi, & Religionis Christianæ causam agat, & tueatur, sicut est in Polonia status Spiritualis, nullum fieri.

Ad secundum.

II. Vtrùm expediat Reipublicæ & fas decorumq; sit:

Sacrilegia impunè tolerari.
Periuria, incantationes, Veneficia, Magias, incestus, Bigamias, & Trigamias, adulteria publica, homicidia absq; pœnitentia solenni, vsuras impunè tolerari.
De diuortijs, Matrimonijs, legitimitate, excessibus occultis & publicis in Deum, & loca sacra, nullum ius institui.

Ad tertium.

III. Vtrùm expediat Reipublicæ, & fas decorumq; sit:

Seculares, Sacerdotum officia sibi vsurpare, & Decimas manipulares, & alias, contra iura Diuina & humana, à subditis suis extorquere, & in proprios vsus conuertere: Hæreditatem Christi, panem Ecclesiæ Dei, alimoniam & victum pauperum, his quibus iure & consuetudine debetur, subtrahere.

Ad quartum.

IV. Vtrùm expediat Reipublicæ, & fas decorumq; sit:

Seruos Dei, & Sacerdotes Ecclesiæ sanctæ, sine honore esse, & contemptui haberi, ac pro gratia fidei & religionis, vnà cum libertatibus publicis introductæ, & semper impendi solitæ, iniuriâ affici, exactionibus onerari, & quodammodo exauthorari.

Ad quintum.

V. Vtrum expediat Reipublicæ, & fas decorumq; sit:

Ex Ecclesijs Deo dicatis stabula fieri, desolationem & abominationem intueri: Sepulchra Christianorum violari: sine Sacramentis & cultu diuino plebem passim viuere, & mori pecudum more: Thesauros Ecclesiarum & ornamenta distrahi, & in vsus prophanos, contra leges Regni, conuerti: Fundos & census ad laudem Dei adscriptos, adimi.

Ad sextum.

VI. Vtrùm expediat Reipublicæ, & fas decorumq; sit:

Solos Sacerdotes sine lege, sine iustitia, sine Iudice, tam reales, quàm personales, iniurias pati.

Neces & percussiones Cleri, impunè grassari.

Sacerdotes, Iudæis, Scythis, & quibusuis obscurissimis hominibus, Iudicem tamen, Iustitiam, & defensionem habentibus, postponi.

Deum in seruis Ecclesiæ sanctæ sperni, & contemni.

Augustinus in Psal: 84.


Fac iustitiam, & habebis pacem, vt osculentur se iustitia & pax. Si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis.

Idem Augustinus Epist: 166.


Concordate nobiscum fratres, diligimus vos: hoc vobis volumus, quod & nobis. Si propterea nos grauiùs odistis, quia errare vos & perire non permittimus, hoc Deo dicite, quem timemus minantem malis pastoribus, & dicentem: Quod errauerat, non reuocastis; & quod perierat non inquisistis.

Idem ibidem.

Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem iubent, quod quisquis contempserit, ipse sibi iudicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum sortem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis veritas iussit.



DeCon-



De Controuersijs

Inter Ordinem Ecclesiasticum & Secularem, in Polonia;

Ex Iure Diuino, Regniq; Statutis, Priuilegijs, ac Præscriptione,

TRACTATIO.

In qua refellitur libellus quidam famosus & mordax, contra *Querimoniam*, & *Postulata Cleri*, in postremis Regni Comitijs, Regi, Regniq; Ordinibus, publicè oblata, conscriptus.

Ordinis Ecclesiastici Calumniatori, S.



QVIS tibi malus genius, (Ordinis Ecclesiastici Calumniator) hanc mentē iniecerit, vt in vniuersi Poloniæ Cleri, iustißimam querelam tam liberè licenterq; inueherere, ignoro sanè: malum tamen genium fuisse, qui tam insani atq; dementis consilij, auctor tibi extitit, non de meo sensu iudico, suspicionibus, coniecturisuè leuißimis persuasus, sed firmißimis nixus argumentis, & ijs omninò signis, quibus omnium verè Christianorum opinione veritas solet illustrari. Video enim te graui

m isc-

miſeroq; hæreſeos morbo laborare, & ex odio quodam infinito, in Ordinem Eccleſiaſticum concepto, hanc non tam defenſionem tuorum riualium ſuſcepiſſe, quàm grauiſsimâ Deo dicatos homines calumniâ, nimiſq; callidâ & malitioſâ iuris interpretatione petijſſe. Hoc enim cùm vniuerſa tractationis tuæ ſeries indicat, alia ex alijs conuitia nectens, tum illa ſpeciatim probra: [Nullum finem iuriſdictioni veſtræ imponitis, Noua erigitis ſubſellia, Opibus ſecularium inhiatis, vtrumq; gladium tacitè vobis dari poſtulatis, ſatis ſuperq; comprobant.] Hæreſi autem te peſtilentiſsimæ Lutheranorum addictum eſſe, non iniquiſsimæ ſolùm cauſæ à te ſuſcepta defenſio, verùm etiam in Catholicam Romanamq; Eccleſiam infinita, intolerabili cum petulantia, coniecta maledicta demonſtrant. Quæ cùm ita ſint, quis verè, ſincereq; Chriſtianus, te inſtinctu afflatuq; Diuino, & non potiùs cacodæmonis impulſu, & hortatu, ad hanc aduerſus vniuerſum Eccleſiaſticum Ordinem ſcriptionem, animum appuliſſe perſuaſum habeat? Zelum enim amarum habere, vt Iacobi Apoſtoli vtar verbis, non eſt ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica: hæreſes autem, vel ipſo Paulo teſtificante, doctrinæ dæmoniorum exiſtunt. Iniuria igitur, calumniator, & ad cauſæ iniquiſsimæ defenſionem fraudulenter, ita diſputationem tuam vniuerſam aduerſus Clerum inſtituis, ac ſi Polonæ nobilitatis totius, quæ ſecularis vulgò nũcupatur,

In Præfatione.

Iacobi 5.

1.Tim: 4.


cupatur, partes tuendas ac defendendas ſuſcepiſſes. Quaſi verò vel omnes Seculares Lutheri dogma peſtiferum ſequerentur; vel alioqui Lutherani tuam impudentiam comprobarent in Eccleſiaſticorum poſtulatis exagitandis; vel deniq; pleriq; Catholici non eſſent, & ij qui Clerum omni honore & veneratione, vti & Romanam quoq; Eccleſiam vniuerſam, proſequerentur: quamuis ex eorum numero pauci à quibuſdam in fraudem inducti, & neſcio qua opum cupiditate inflammati, non ita libentes Ordini Eccleſiaſtico Decimas dependant, & aliquã quoq; iuriſdictionis eiuſdem partem velint imminutam. Sed eſt hoc à te aſtutè & veteratoriè factum, vt minùs perſpicaces & acuti, qui te pro Republica agere ſuſpicarentur, faciliùs cauſam iniuſtam & iniquam probandam ſibi putarent. Toto tamen aberras cœlo, ſi vel Catholicos, & viros omnes bonos, tam rationis conſilijq; expertes arbitraris, vt fraudem tuam non intelligant; vel nullos ex vniuerſo Ordine exiſtere putas, qui cæteris artes tuas atq; dolos patefaciant. Sunt enim nobiles Poloni propemodum vniuerſi, quæ Diuina eſt bonitas, ita Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ addicti, vt ea non perſpiciant modò, ſed reſpuant & reijciant omnia, quæ vni communiq; Chriſtianorum Religioni aduerſantur; atq; adeò ita animis affecti, vt vel millies malint Decimas Clero dependere, quàm tuæ inſulſiſsimæ & inſolentiſsimæ orationi ſuffragari. Sed

 fuit hic

fuit hic semper hæreticorum mos, vt opinationes erroresq; suos quamuis paucis probatos, multorum tamen nomine orbi Christiano proponerent vniuerso. Quem inprimis secuti ante mille peneq; ducentos annos Arriani, Patrum Ariminensis Synodi auctoritate abusi, hæresim suam dementissimā probare volebant. Cæterùm vt dolus ipsorum malus Catholicos haud diu latuit, ita tua tuorumq; fraus viris sapientibus & cordatis patet: perditio quoque, vt cum D. Petro loquar, non dormitat. Aduersum te igitur, calumniator, non ita agam, ac si cum nobilitatis patrono controuersia mihi foret, sed cum eo viro, qui specie nescio qua falsæ libertatis, & Ordinis secularis simulato studio, Ecclesiam vniuersam insectetur: illudq; ostendam, te iniquè Catholicos eorum criminum, quæ ijsdem intendis, facere reos, atq; adeò ipsos te ex iure manu consertum vocare posse, quòd in alienas possessiones tam temerè impudenterq; irrueris. Mendacia quoq; tua prodam innumera, quibus tibi visum est hunc tuum libellum, tanquam flosculis inspergere: inscitiam deniq; & imperitiam maximam patefaciam, qua turpiter non in Theologia modò, quam profiteri videris, sed in ipsa etiam Polonorum historia, quæ in medio posita, omnium ferè manibus teritur, lapsus es.

Sozom: & Theodor: in lib: Ecclesiast. histor.

2. Petr: 2.



CAPVT

CAPVT I.

Primam Ecclesiastici Ordinis querimoniam, de Apostasiis, blasphemiis in Deum, hæresibus, &c. iustissimam esse.

ET quidem vt Fidem liberem meam, & illud quod sum pollicitus, absque longo verborum circuitu præstem, ineptam illam tuam & insulsam, calumniator, præfationem non attingam: ne dum ipse maledicta, quibus solis abundat, verso, orationem meam commaculem; sed Caput tractationis tuæ primum aggrediar, in quo quamuis nihil ad Ecclesiasticorum querimoniam appositè responderis, quia tamen aliquid popularibus tuis respondisse videri vis, quàm id fueris assecutus, ante omnia demonstrabo. Cùm igitur Clerus grauiter, pro rei indignitate & atrocitate, iureque optimo pro officij munerisq; sui ratione, questus esset, passim Apostatas fieri, schismata, & peregrinas Religiones innumeras in Regnum inuehi, Deum blasphemari, Christum publicè negari, Hæresibus nullum modum & finem imponi, Atheismum, Paganismum, Saracenismum, in Regnum introduci, iniurias in Deum impune fieri, Magistratum denique, qui Dei & Religionis causam agat, & tueatur, nullum in Republica permitti, cùm inquam hæc omnia lamentabiliter deplorauisset: tu id iniuria Clerum facere, volens de-

lens demonſtrare, nullis in medium adductis argumentis, triumphantis in morem exclamas ſolùm: [Oſtendite tandem qui reuera Apoſtatæ ſint; oſtendite, qui Religionem Apoſtolicam, ſpiritu fundatam Apoſtolico, violârint; oſtendite quis tot hæreſes non adeò in Regnum hoc, quàm in Regnum & hæreditatẽ Chriſti inuexerit. Hæc probate Patres, nec cauſa inaudita condemnate fratres.] Quaſi verò arduum omnino opus eſſet, ac non imperitiſsimo cuiq; facillimum, innumeros producere ex grege veſtro, qui perruptis pudicitiæ clauſtris, ac voti religione contempta, ex caſtis Deoq; ſacris Monachis, vobis impulſoribus & auctoribus, mulieroſi Miniſtri euaſerunt. Quaſi etiam perdifficilè & illud foret, complures enumerare, qui Catholicam ſemel egreſsi Eccleſiam, & veſtra ſecuti turbulentiſsima caſtra, non minùs quàm Apoſtata Iulianus, perfidiosè & nequiter libris editis, Chriſti fidem, adeòq; Chriſtum ipſum oppugnauerunt, & ita etiam in præſentia vitæ ſuæ rationes omnes inſtituunt, vt ſatis appareat omnem eos de religione curam, cogitationemq; abieciſſe. Quaſi denique, & vos ipſi, ô Lutherani & Caluiniani, qui Eccleſiam Catholicam, in qua nati & educati eſtis, Chriſtiq; veſtimenta (vt Hieronymi vtar verbis) ſuſcepiſtis, temerè ac nefariè, ad vnius improbiſsimi hominis vocem deſeruiſtis, Apoſtatarũ nomen & appellationem (quod non calumniandi, ſed veritatis aperiendæ ſtudio dixerim) effugere iure poſsitis, vel te ipſo, calumniator, iudice. Illos enim Apoſta-

Epiſt: 57. init.

Lutherani & Caluiniſtæ, Apoſtatæ.

Apoſtatas cenſes, [qui Religionem Apoſtolicam, ſpiritu fundatam Apoſtolico, violârunt.] Vos autem an nõ violâſtis? an non læſiſtis? an non polluiſtis? Quam enim Apoſtolicæ fidei partem integram, incorruptamq; retinuiſtis? Liberum hominis arbitrium vobis nullum eſt: Miſſæ ſacrificium improbatur: pœnitentia diſplicet: ſatisfactio dura eſt: diuorum inuocatio, ciborum delectus, inſtituta & vota Religioſorum, alia, repudiantur omnia. Quæ tamen ſingula, ita Scriptores Catholici eruditiſsimi & eloquentiſsimi, à veſtris calumnijs defenderunt, vt non modò reſpondere, ſed ne hiſcere quidem audeatis: ita etiam veſtræ factionis auctores, Caluinus, Melanchton, Magdeburgenſes à veteribus fuiſſe recepta confitentur (quamuis næuos Patrum hæc omnia ſtolidiſsimè nuncupent) vt non iam nata, ſed perpetuò credita fuiſſe conſtet: ita deniq; totius Eccleſiæ, Græcæ iuxta & Latinæ, firmauit auctoritas, vt non aliunde, quàm à Chriſti Seruatoris inſtitutione, & Traditione Apoſtolica, dimanare potuerint. Si enim omnium gentium conſenſionem M. Tullius naturæ legem uerißimè dixit: quidni & omnium Chriſtianorum conſpiratio, lex quoq; Chriſti æſtimetur? Iam verò hæreſes, quas non olim damnatas & extinctas ab inferis reuocâſtis? Solam enim fidem ad ſalutem ſufficere, in eaq; iuſtitiam conſiſtere, an non cum [a] Simone Mago, & [b] Eunomio aſſeueratis: ſacrum Chriſma & confeſsionem reijcitis, cum

In lib: Inſtit.

Lib: de Eccleſia.

In ſingulis Centur.

Vide Cenſuram Socolouij.

a Iren: lib: 1. cap: 20.

b Aug: hære 54.

tis, cum [c] Nouatianis & Donatistis: Sanctorum venerationem, Reliquias & Imagines cum [d] Vigilantio & Iconoclastis: orandi & sacrificandi pro Defunctis consuetudinem, cum [e] Aërianis, Xenaia, & Armenis? An non Missæ sacrificium cum [f] Petrobrusianis execramini, verba Dominicæ Cœnæ ad tropum, symbolumq; refertis, adeoq; Christum ex Eucharistia tollitis cum [g] Berengario & Wicleffo? An non vota & virginitatem cum [h] Iouiniano, stata ieiunia cum [i] Aërianis improbatis? An non solā Scripturam, in controuersis fidei quæstionibus, iudicem statuitis, traditiones non scriptas respuitis, cum [k] Arianis, Eunomio, & hæreticis, qui vnquam extiterunt, vniuersis. An non deniq;, vt finis aliquādo fit, vestra potissimùm, ô Lutherani & Caluiniani, operâ, hæresis pestilētissima Arij toties iugulata, ἀνομίαν adepta, reuixit? Hanc enim vos, libertate religionis non tam impetrata, quàm imperata, in Poloniam induxistis; Caluini & Lutheri hæreses complectendo in patriam intulistis. Vt enim ex Lutheri & Caluini opinationibus ortū Arianismus habuit, ita quoq; ope eorundem propagatur. Ortum autem ex ipsis habuisse constat. [a] Primum enim Lutherus & Gastius id confitentur. Antonius etiam Coruinus Lutheranus scribit, Anabaptistas è Zuingliana potissimùm secta, haud aliter atque ex equo Troiano, prodijsse. Ipsi quoq; Trinitarij, Euangelij sui originem ad vos tanquam parentes referunt,

c Theodo: l.3. hęr: fab. Opt: cont: Parmē. l.3. Socrat: 4. hist: c. 24. Cyp: lib: 4. Epist.
d Hier: Dialog: cont: Vigilant. Nicæna Syno: 2.
e Aug: hęr: 53. Damasce: lib: de hæresib. Nice: l. 16. hist: cap: 6.
f Petrus Clun: li: de sacri: Miss.
g De consecr: d. 2. In Artic: Romæ, Paris. & Oxo: damnatis.
h Hier: cōt: Iouin.
i Epiphan: hær: 75. Aug: ser: 53
k Theod: l. 1. hist: ca: 8. Basil: li: de Spir: S. c. 5.
a In Genes: p. 609. Lib: 1. de Exord: & error: Anabapt. Dialogo de Anaba.

ferunt, & subinde sua dogmata ex vestris scriptis, tanquam sanctioris cuiusdam auctoritatis commētationibus, tuentur atq; defendunt. Præterea nulli ferè statim qui Catholicos deserunt, Anabaptistæ fiunt, sed primò Lutherani, tum Caluiniani, demum Anabaptistæ & Trinitarij euadunt. Deniq; vbi Lutherani & Caluiniani pedem non fixère, nulla reliquarum pestium inuenitur: vt meritò quidam Symmistes vester, primæ paginæ libri Cracouiæ à se editi, illa verba: Nisi vitula mea arâssetis, non inuenissetis (Trinitarios notans) inscripserit. I nunc, calumniator, & illud gloriare, si lubet, nullas vos hæreses in Poloniam inuexisse: illud quoq; decanta: [Hæc probatē patres, nec causa inaudita condemnate fratres.] Audita iam causa olim est, eademque quæ veteres hæreticos, à vetustissimis Concilijs atq; Patribus lata sententia condemnauit, vos quoque, vestraq; dogmata reprobauit. Blasphemias autem, (quas in sua quoq; querimonia Ecclesiasticus Ordo deplorat) si in Polonia vigere quis ambigat, eidem Budnæi, Farnouij, Anabaptistarum Polonorum libri, Conciones, fidenter dico, dubitationem facilè tollent. Atheismos & Iudaismum (de his enim & querela instituitur) in Polonia quoq; inueniri, tam est exploratum, quàm certum innumeros Caluinistas, Lutheranos, Trinitarios, Dei prouidentiam inficiari; animorum negare immortalitatem; omnia necessitati atq; fato tribuere; Deum denique ipsum è mundo

Iud: 14.
Blasphemi.
Athei & Iudæi.

è mundo tollere. Et ſi liberet, poſſem & ipſe atheos aliquos recenſere: eorum quoq; proferre nomina, qui non minùs quàm Iudæi, & ſceleratè ſentire, & impiè loqui haud verentur. Sed idem meum eſt, quod vniuerſi Eccleſiaſtici Ordinis, conſilium, & longè malim tàm grauem Reipubl: calamitatē deplorare, quàm in nominibus tantæ ærumnæ auctorum percenſendis laborare. Iure igitur, atq; meritò, calumniator, Eccleſiaſticus Ordo de hæreſibus veſtris, blaſphemijs, apoſtaſijs, cæteriſq; malis queritur.

CAPVT II.

Iniuſtè hæreſes, ac blaſphemias Eccleſiæ Catholicæ, à Cleri calumniatore obijci.

ERas tu, Calumniator, quamuis diſsimulare quàm fateri malueris, horum criminum quæ vobis Eccleſiaſticus Ordo obiectârat, probè tibi cōſcius: & proinde Rhetorico vſus artificio, quod veritate nixus nequiueras, quacunq; ratione à te tuiſq; depellere voluiſti. Illud enim, etſi fruſtra, contendis vnum, vt quod in vos cadit crimen, in Catholicos vel deriues, vel ſanè cum Catholicis communices. [Ipſam, *inquis*, Chriſti fidem, grauiſſima ſalutis myſteria proponentem, in aniles fabulas, quales de animabus defunctorum, purgatorij pœnis, Sanctorumq; mortuorum ad ſepulchra editis miraculis vulgò referuntur, non minùs fraudulenter, quàm impudenter conuertitis.]

Ac mox Catholicis hæreſes obijcis: Alogianorū ſine lege viuentium; Encratitarum, quòd Sacerdotibus coniugia vetent; Gnoſticorum, quòd imaginum cultum retineant: tum & blaſphemos eoſdem facis, quòd in participationē gloriæ Dei Sanctos aduocârint, non abſq; meriti Chriſti iniuria; Iudæos, quòd legis ſtatuant adimpletionē, fidei ſoli iuſtitiam denegando; ſacrilegos, ob cōmunionem vnius ſpeciei, contra Chriſti, Pauli, ipſiuſq; Gelaſij exemplum; deniq; Antichriſtianos, quòd Romano Pontifici, Gregorio etiā abnuente, Principatum in Eccleſia detulerint. Sed nihil efficis, nec efficies vnquam, niſi priùs oſtenderis hæc omnia aniles eſſe fabulas, hæreſes, blaſphema, Iudaica, Antichriſtiana. Quod non minùs tibi fuerit promptum atq; facilè, quàm cœlū digito tangere. Quid enim? Ergonè fabulæ aniles erunt, quæ in Libris Machabæorum, de precibus pro vita functis inueniuntur? quæ Paulus de ijs habet, qui ſalutem aſſequentur, ſic tamen quaſi per ignem, pœnam videlicet ſignificans, maculas expurgantem, & certo temporis ſpacio finiendam, [a] Ambroſio, [b] Hieronymo, [c] Auguſtino, [d] Gregorio, [e] Origene, [f] Theodoreto, [g] Oecumenio, interpretibus? Ergonè aniles fabulæ erunt, quæ de miraculis ad ſepulchra Diuorum, Iſaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, Stephani, Petri, Pauli, Mamantis, Babylæ, Geruaſij & Protaſij editis,

2. Machab: 12.
1. Cor: 3.
a In 1. Cor: 3.
b In c. 4. Amos
c In Pſal: 31 & in 1. Cor: 3. De cura pro Defunct.
d Lib: 4. Dial: cap: 39.
e Homil: 6. in Exod. & 14. in Leuit.
f Apud D. Thomam opuſc: 1. cont: Græcos.
g In 1. Cor: 3.

[h] Epiphanius, [i] Augustinus, [k] Basilius, [l] Chryso-
stomus, [m] Rufinus, [n] Socrates, [o] Sozomenus,
[p] Theodoretus, [q] Ambrosius, memoriæ prodide-
runt? Ergonè hæreses erunt, quæ de Traditioni-
bus, Paulus Thessalonicensibus præcipit, & in
quibus [r] Basilius tantum momenti posuit, vt non
dubitauerit scribere eos, qui ipsas repudiare fue-
rint aggresi, clam ac pedetentim ratas ipsas Euã-
gelij sententias improbaturos? Ergonè hæreses
erunt, quæ de cœlibatu Episcoporum, aliorumq;
hominum Deo dicatorum, ex [t] D. Paulo, [u] Hie-
ronymus, [x] Origenes, & [y] Epiphanius disseruere?
uetustißima Concilia, [z] Neocæsariense, [a] Nicæ-
num I. [b] Carthaginense II. aliaq; complura san-
ciuêre? Ergonè hæreses censebuntur, adeò que
atheismi, quæ consentaneè ijs, quæ in Sacris literis
de Cherubinis, arca fœderis extant, Patres de li-
gno Crucis, alijsq; imaginibus tradidere, Tertul-
lianus, Iustinus, Minutius Felix, Cyrillus Ale-
xandrinus, Lactantius, S. Paulinus, ac septima
Synodus vniuersa? Ergonè blasphemum erit,
quod Sanctos Dei veneremur, quos Deus ipse
voluit honorari, quibusq; Christus [a] dedit sedere
secum in throno suo, [b] potestatem concesit su-
per gentes, [c] Ciuitatibus præposuit, ac denique
[d] honorificauit Pater ipse, omnisq; perpetuò co-
luit antiquitas, cum his sacræ Scripturæ nixa lo-
cis, tum illis quoq; exemplis, Abrahami, Loth,
Moysis,

h L. de vitis Prophet: in Synopsi.
i Lib: 22. ciuit. cap: 8.
k Or: in Mamant.
l Or: de S. Babyla.
m L. 1. hi. c. 39.
n Lib: 3. c. 18.
o Lib: 5. c. 19.
p L. 3. c. 10. 11.
q Serm: de S. Geruas.
r 2. Thess: 2.
s Lib: de Spiritu S. c. 27.
t 1. Cor: 7.
u In cap: 1. ad Tit. & lib: cõt: Iouin.
x Homil: 23. in Num.
y Contra hæres: Cathar.
z Cap: 1.
a Can: 3.
b Can: 2.
Apologet: c. 16
Apol: lib: 2.
In Octauio.
Lib: 6 contra Iulian.
Carm: de pass.
Natali 19
Act: 7.
a Apocal: 3.
b Apocal: 2.
c Lucæ 19.
d Ioan: 12.
Genes: 19.
Exodi 19.

Moysis, Iosue, qui sanctos Dei Angelos adorârunt,
aliorum quoq; qui eundem honorem viris Sanctis
tribuerunt; vt Abdias Eliæ, filij Prophetarum Eli-
sæo, alij alijs? Ergonè Iudaica habebuntur, quæ de
lege seruanda Christus præcepit: Si vis ad vitam in-
gredi, serua mandata; & quæ de operibus cum fide
sociandis Iacobus Apostolus tradidit? Ergonè sa-
crilega erit vnius speciei Communio, quam Chri-
stus ipse exemplo docuit, & Apostoli vsurpauêre?
Ergonè Antichristianus erit Petri in Ecclesia Prin-
cipatus à Christo Seruatore constitutus, & omnium
Patrum consensione, ad Romanos Pontifices, Suc-
cessores eius, deuolutus? Poteras tu hac tota accusa-
tione supersedere, vt friuola planè & inepta: quia ta-
men visum tibi est eam aduersus Catholicos institu-
ere, liceat mihi aliqua tua mendacia & errores pau-
cis annotare. Alogianos omnia ad traditiones retu-
lisse, mendacium est. Si enim Traditiones Aposto-
licas approbauissent, & æternum Dei verbum, quod
reijciebant, ab Apostolis traditum suscepissent. De
Tacianis quoque, Encratitis & Gnosticis, quod cõ-
miniisceris, non minùs falsum est. Priores enim haud
quaquam in hereticorum numero habiti sunt, quòd
cælibatum docuerint; sed quòd nuptias quascunque
etiam eorum, qui Deo continentiæ votum non fe-
cerant, opus esse dæmonis dictitarent; vt Epiphani-
us, Philaster, Augustinus, Theodoretus & Dama-
scenus, scribunt. Gnosticis nemo hoc, quod affir-
mas, vn-

Iosue 5.
3 Reg: 16.
4. Reg: 2.
Iacob: 2.
Lucæ 24.
Actor: 2. & 20.
Matth: 16.
Ioan: 21.
Hæresi 51.
Lib: de Hæresib.

mas, vnquam tribuit, ne ipse quidem Irenæus. Merito & honori Christi, Sanctorum veneratione derogari, & ipsum quoq; mendacium est: nam quod ipsos honoremus, à Christi quoque merito (à quo honore digni sunt effecti) proficiscitur. Et honorantes Sanctos, vt Augustinus ait, Christum honoramus: & honor seruorum redundat in Dominum. Quòd lapidibus & simulachris salutis causam tribuamus; perinde quoq; falsum est. Quòd ueterem reuocemus maledictionem, legis Christi obseruantiâ, blasphemum est, & à veritate alienissimum. Fidem cum operibus sociando, designari peccata per Christum remissa, & non remissa, calumnia est: cùm opera nostra, vim suam totã atq; virtutem, à Christo habere profiteamur. Gelasium Pontificem, vnius speciei Cõmunionem improbauisse, à vero quoq; abhorret. Nam Gelasius eo Canone reprehendit solùm eos Sacerdotes, qui tanquam sacrilegi, solam panis speciem, neglecto calice, consecrabant: vt omnium Interpretum est opinio: cui & inscriptio à Gratiano ex mente Gelasij, capiti præfixa fidẽ facit: quæ sic habet: Corpus Christi sine eius Sanguine Sacerdos non debet accipere. Gregorium denique Principatum in Ecclesia sibi non vendicâsse, ac nec ijs, qui eum præcesserunt, tribuisse, falsissimum est. Nam *lib: 2. Epist:* ait, Deo auctore, Romanam Ecclesiam cunctis prælatam Ecclesijs. Idem summam potestatem exercuit, cùm Ioanni, primæ Iustinianæ in Græcia

Serm: 26. de Sanctis. Epist: ad Ripar.

De consec: d. 2. cap: *Comperimus.*

Epist: 30.

in Græcia Episcopo pallium transmisit, & Adrianũ Thebanum de iurisdictione Episcopi Larissei exemit. Et suis antecessoribus eandem prærogatiuam tribuit: imò & vniuersalis Episcopi titulum, in Synodo Chalcedonensi D. Leoni tributũ scribit. Ipse tamen hanc appellationem in Ioanne Constantinopolitano reprehendit; tum quia illi nullo modo cõueniebat, tum etiam, quòd omnes alios Episcopos excludere videbatur. Quæ etiam causa fuit, vt nec ipse agnomine eo vti voluerit, quamuis rem voce significatam sibi competere habuerit exploratũ. Hæc cùm ita se habeant, non te, calumniator, pudet, in Capitis tui primi Epilogo (ac si omnes Ecclesiasticos iam hæreticos, Atheos, blasphemos & sacrilegos, comprobauisses) in illa verba prorumpere: [Eos ne iam qui talia doceant, vt inter nos religionis ambitu sedeant, ad eum Magistratum deligemus? aut qui hæreseos rei maximè peragantur, pro ipsis Iudicibus assumemus?] Et illud per summam calumniam Catholicis imponere, quòd, cùm queruntur, magistratum deesse, qui religionis causam agat, & status spiritualis curam gerat, eum desiderent, qui flamma atq; ferro religionem Catholicam tueatur. Et non deessent quidem fortasse, vel hic, vel alibi, qui existimarent, iure atque meritò hoc se posse expetere: cùm semper hæreticos pœnis afficere, moris & in ipsa quidem Polonia fuerit, hi tamen quos tu calumniaris, nihil hîc quiritant aliud, quàm in Ecclesia-

Lib: 4. Epist: 15.
Lib: 2. Epist: 7.
Act: 3.
Lib: 4. Epist: 32.
Lib: 4. Epist: 38.

stica iurisdictione tuenda, & Decimis recuperandis neminem esse, qui opem ipsis ferat, quod sanè est æquissimum. Aut forsitan non licet ei, qui iniuriã patitur, de iniuria sua queri, & magistratus opem atque auxilium implorare?

CAPVT III.

Iurisdictionem Ecclesiasticam, contra Iura Regni, perpetuamq; consuetudinem, iniustissimè minui: Excommunicationemq; magno Reipubl: malo contemni.

CVm in prima hac Ordinis Ecclesiastici querela exagitanda, vsq; adeò verecundiæ fines transieris: non mirum, si in reliquis discutiendis, benè & nauiter impudens existas. Et sanè ore durissimo es, in hac altera querimonia vexanda. Quis enim eandem iustissimam esse non videat? Cùm enim sacrilegia, periuria, incantationes, veneficia, aliaq; scelera, de quibus hæc tota querimonia instituitur, puniri grauissimè diuinæ literæ iubeant, eorundemq; præcipuos vindices, omnium Christianorum Iura, Ecclesiasticos esse voluerint: an non iustissima Clericis quiritandi causa est, quòd Excommunicatio, quæ Christi Seruatoris iussu, & Apostolorum exẽplo, flagitiosorum hominum coërceat libidinem, petulantiam frangat, retundat audaciam, impunè illicitèque contemnitur? Cùm etiam leges Regni sanctissi-

Matth: 18. 1. Cor: 4. & 5.

sanctissimæ, ab integerrimis latæ Principibus, omniumq; Ordinum consensione firmatæ, huiusmodi criminum, & cognitionem, & iudicium, ad Clerũ ita pertinere decreuerint, vt Arcium, Vrbiumque Præfecti, quod ille de sontibus statuisset, exequi tueriq; tenerentur: an non conqueri iure optimo possunt, mutatam iudiciorum formam atq; rationem, Iudicum Ecclesiasticorum conuulsam auctoritatẽ, eorundemq; sanctissima Decreta, vel negligi, vel contemni? Inficiabere fortassis leges vllas tales extare. Librum Statutorum peruoluta, & tum negare aude. En ipsa legum verba clara, testata, & perspicua. *Inprimis*, inquit Sigismundus Rex, *ad Spirituale iudicium pertinet, iudicare differentias Religionis: hæreses videlicet, schismata, blasphemias contra Deum, & Apostasias; pro Decimis, Septem Sacramentis Ecclesiæ, veneficijs, sacrilegijs, & Simonia, &c.* Quod ipse Decretum non ita tulit, ac si antea de ijsdem, siue criminibus, siue causis, Ecclesiasticus Ordo non iudicauisset; (perpetua enim multorum seculorum consuetudo contrarium euincit) sed vti ne Ecclesiasticus Ordo hos iudiciorum fines egressus, ad controuersias seculares discutiendas dilaberetur. Hoc enim legis ipsius formula comprobat, adeòq; tota ratio demonstrat. Capitaneos autem punire debere, quos Ecclesiasticus Ordo reos excommunicatione legitimâ castigat, Vladislaus & Casimirus, iam olim statuere. Ascribam verba: *Statuimus, & ordinamus*

Sigismundus Crac: Anno 1543.

Vladislaus Crac: 1433. & Casimirus Petric: 1458.

dinamus per præsentes, vt dum aliquis indigena Regni nostri, cuiuscunq; status & conditionis existat, propter raptum Decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiastica-rum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunq; siue etiam in contumacia, de non parendo Iuri & mandatis S. Ecclesiæ, sententiâ Excommunicationis iustè fuerit innodatus: ipsamq; vltra annum legalem pertinaciter sustinuerit, nec curauerit pro excessu emendam exhibere, extunc Anno huiusmodi elapso, omnia bona huiusmodi excommunicati debent recipi per locorum Capitaneos, quibus subiacent, & apprehendi, & quousq; per eosdem excommunicatos, &c. Mandamus igitur omnibus & singulis, Regni nostri Capitaneis, &c. quatenus ad compescendam talium excommunicatorum duritiā, & temeritatem, præmissa nostra saluberrima Decreta, executioni debitæ debeant demandare, quoties per Prælatos super hoc fuerit requisitum. An his sanctionibus quidquam potest extare liquidius & euidentius? Et ne quis minùs legitimas calumniari iure poßit, ipsi Principes, omnium Ordinum cōsensione latas, asseuerant, atq; etiam in librum Statutorum relatas, vt cæteras omnes, ita & has quoq; Senatus vniuersus, suo rursus suffragio comprobauit. Hæc tamen omnia ab his Regibus, de Iurisdictione Ecclesiastica, eiusq; executione Decreta, non tum primùm cœpta, sed antea quoq; fuisse in Polonia vsurpata, ex vetustißimis aliorum Poloniæ Principum, atq; Ducum, Priuilegijs liquet. Vladislaus enim Odonis Poloniæ Dux,

Quod idem Casimirus in Priuilegio data in Opátowiec, repetit.

Dux, in Priuilegio Ecclesiæ Gnesnensi concesso: *Renuncio,* inquit, *omni ordinationi Spiritualis Iuris, tam domorum Religiosarum, quàm Secularium Ecclesiarum.* Casimirus quoq; Magnus, in Priuilegio eidem Ecclesiæ concesso, plurima memorat, quæ vniuersam iurisdictionem Ecclesiasticam complectuntur. *1. Interea decernimus specialiter, quòd si quispiā in prædictæ Gnesnensis, & eius Collegiatarum Ecclesiarum prædictarum bonis, aliquam in rebus, seu personis, violentiam notoriam fecerit: idem per memoratum D. Archiepiscopum, & suos Successores, ad satisfactionem condignam, censurâ Ecclesiasticâ compellatur. 2. Item decernimus, quòd excommunicati per Iudicem à iudicio repellantur, & ad testimonium, dummodo id in fraudem non fiat, nullatenus admittantur.* Idem quoq; in altero Clericis egregiè consulit. *Vbi,* inquit, *Sacerdotem, vel Clericum in sacris constitutum, vulnerari, capi, vel occidi contigerit, locus ille tam diu sit interdictus, quousq; maleficium huiusmodi committens, satisfaciat, vel Ecclesiæ tradatur, aut homines loci eiusdem Sacramentum præstiterint, quod eis operam non dantibus, neq; detinere valentibus, idem aufugit malefactor: & tunc in dicto loco diuina relaxabuntur.* In eiusdem quoq; Casimiri Priuilegio concordiæ, omnium Ordinum consensione facto, Excommunicationis exprimitur pœna, cuius executio Secularibus demandatur. Eandem etiam Iurisdictionem vsurpatam fuisse, & quidem obseruatam religiosè à Principibus ipsis,

Anno 1233.

Dat: Crac: 1357.

Dat: Posnaniæ, 1360.

bus ipsis, quod Episcopi decreuissent ex Boleslai Pudici, qui Casimirum Magnum antecesit, sanctione
Anno 1252. patet. *Cupientes,* inquit, *libertatis participes effici, qua Christus suos liberauit; volumus, quantum ipso adiuuāte possumus, libertatem Ecclesiasticam conseruare, ac nostris Successoribus transmittere conseruandam, &c. Firmiter autem promittimus, quod de causis, & negotijs Ecclesiasticis, Nos, vel alij Iudices Seculares, nullo modo cognoscemus, nec de ipsis nos intromittemus: sed Episcopus, Præpositi, Archidiaconi, & alij Iudices Ecclesiastici, de ijsdem liberè iudicent, & disponant, sicut & Episcopus pro se, & supradictis Ecclesiasticis Iudicibus, nobis promisit, quod de causis Secularibus se nullatenus intromittent, quæ ad nostrum spectent examen.* Idē
Dat: in Co. sten: 1298. etiam ex Henrici Ducis Poloniæ Priuilegio, quod Ecclesiæ Gnesnensi, Vladislauiensi, & Posnaniensi, concessit, apertissimè constat. *Promittimus,* inquit, *quod excommunicatos volumus in omnibus actibus legitimis euitare, & si vltra Annum in excommunicatione iacuerint, bona Excommunicatorum nostro fisco applicabimus, satis faciendo Ecclesiæ de ijsdem, prout, vel in quanto ipsi Excommunicati fuerant Ecclesiis obligati. Promittimus etiam dictas Ecclesias, contra earum indebitos turbatores, toto posse adiuuare, & ope nostræ potentiæ, fideliter defensare.* Sed clarissimum, & vetustissimum, huius Iurisdictionis testimoniū, apud
Anno 1022. Dlugossum extat: *Cùm enim nobiles quidam Decimarum pendendarum, consuetudini refragarentur, nec Ecclesias*

clesias frequentarent, (verba sunt Dlugossi) *Ministrosq́; & Sacerdotes, de eorum Ecclesiis pellerent, Boleslaus Rex, gliscentem conspirationem in ipso suo ortu extinxit, nemine eundem impediente, quin adiuuantibus potius vniuersis. Auctores enim illius,* inquit idem grauissimus Scriptor, *missis militibus comprehendit, & capita conspirationis, partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus mulctauit.* Atq; hæc quidem talia sunt, vt possint cuiq; etiam peruicaci, Iurisdictionem Ecclesiasticam persuadere, quia tamen & recētiorum Regum abundamus sanctionibus, & ipsas quoq; appingamus. Io: igitur Albertus & Alexan- An: 1496.
der, in sanctionibus suis & excommunicationis meminere, & eiusdem per Capitaneos executionis. Si- Craco: in sua Coron: 1507.
gismundus quoq; I. Statuto, quo nobilitatis immunitatem à teloneis persoluendis confirmat, hæc verba subijcit: *quam pœnam Iudex Spiritualis loci illius, de teloneatore per censuras Ecclesiasticas exigat.* Et Iu- In Coronatione Sigis: Aug.
risdictionem Ecclesiasticam non semel commemorat; deniq; quod caput est, sanctione præstantissima eandem approbauit. Sigismundi autem I. filius Au- Cracouiæ, 1537.
gustus, cuius auctoritate aduersarij inprimis nituntur, iurauit omnia Iura, Priuilegia, Libertates, Literas, immunitates Regni, Ecclesiasticas, Seculares, Ecclesijs, ipsiq; Regno Poloniæ, eiusdemq; Prælatis, &c. manu tenere, custodire, & attendere. Et in Coronatione sua: *Primùm omnia,* inquit, *quæcunque iurauimus omnibus subditis nostris, incolis Reg: Polon:* In literis Statibus Regni datis.
cuiuscun-

cuiuscunq; Ordinis & conditionis fuerint, absq; vlla controuerſia ſeruare, defendere, & exequi velle, &c. Quod etiam ſingulari quoq; Priuilegio in Comitijs
An: 1548. Petricouieñ: confirmauit. Idem deniq; in receſſu
An: 1555. Petricouienſi. *Neque etenim decet,* inquit, *S.R. Maieſtatem, Iurisdoctionem Spiritualem in rebus Spiritualibus & Secularibus impedire. Quam cum alijs immunitatibus Ordinum Regni ſeruaturum ſe iurauit, &c.* Ad idem inſtitutum facit, quòd ex multorum Regum Priuilegijs conſtet, dignitates & officia imminuenda non eſſe, vt habet Ladiſlaus Iagello in Iedlna: *Dignitates*, inquiens, *Eccleſiaſticas & Seculares, non debemus minuere, neq; ſuffocare. Quod tamen fit, dum Epiſcoporum, aliorumq; iurisdictio, vel impeditur, vel tollitur.* Ex his omnibus liquet, Ordinem Eccleſiaſticum, ſine controuerſia iuriſdictionem à tempore ſuſceptæ religionis exercuiſſe. Omitto, breuitatis ſtudio, Decreta in diuerſis Eccleſijs lata, à Regniq; Ordinibus approbata, nec in rei iudicatæ executione vnquam impedita. Prætereo quoque exempla innumera, huius, quam aſſerimus, Iuriſdictionis, in Regibus ipſis, Ducibus, Capitaneis, ijſq; qui officia obibant publica, necnon communitatibus, Ciuitatibus, hominibuſq; priuatis, hæreſeos, Apoſtaſeos, blaſphemiæ, ſacrilegij, aliorumq; criminum, condemnatis, pœnis affectis, rebus Eccleſiaſticis vendicatis. Quæ omnia ex monumentis, actiſq; publicis, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Gneſnen-

Gneſnenſium, Cracouieñ: Vladiſlauieñ: & Poſnanieñ: comprobari poſſunt. Nec ſanè, calumniator, habes, quo harum ſanctionum æquiſsimarum infringas auctoritatē. Scio quidem riuales tuos, imò & te ipſum, Capite ſequenti, illud comminiſci, Cōſtitutiones Anni 43. abrogatas eſſe (ac ſi aliæ nullæ aliorum Regum extarent) ſed quibus quæſo Argumentis? quibu teſtimonijs? quoniam videlicet Typographus Cracouienſis, non in ipſo Statutorum libro, ſed poſt omnia Statuta, imò poſt ipſum Indicē, monet Lectorem, rem ita ſe habere. Præclarum ſanè teſtimonium. Quaſi verò Typographis, legum condendarum, vel abrogandarum, eſſet auctoritas: quaſi etiam ipſi Conſtitutiones illas abrogatas affirmanti, fides habenda ſit; cùm nec quo rege, quo loco, quo tempore, fuerint antiquatæ, prodiderit. Verùm heus tu, legum Polonarum perite, primam Sigiſmundi Auguſti Petricouiæ latam legem, vidiſtin'? Vidiſſe te non arbitror: neq; enim niſi penitus, & frontem, & mentem perdideris, ad tua, & Typographi tui, frigidiſsima commenta, prouocâſſes. Te autem tantum Magiſtrum in Iſraël, eam non legiſſe, quis ferat? Sed largiamur hoc tibi, & dum noſtra tueamur, tuam inſignem imperitiam, & legum cognoſcendarum negligentiam interim diſsimulemus. Is igitur quem dixi, Auguſtus Rex, in primo omnium Priuilegio, confirmationis Priuilegiorum, Iurium, & Immunitatum Regni Poloniæ,

 illud

illud quoq; Statutum Anni 43. quod tu cũ tuo Typographo abrogatum comminiſceris, in ſuo ſtatu & vigore, id ab eo petentibus Minoris Poloniæ Nũcijs, manere voluit. Sic enim habet illa Conſtitutio, Polonicè Anno 1550. edita, cuius verba ego Latinè reddidi, & huc adſcripſi: *Vt deſiderio*, inquit Rex, *Equeſtris Ordinis Minoris Poloniæ ſatisfiat, Statutum Anni 1543. in vigore relinquimus ad alia Comitia: tantiſper dum aliquid melius Iure communi ſtatuamus.* I nunc, & te, tuiq; ſimiles, Regi oppone, & cùm nulla poſtmodum habita Comitia, quæ melius aliquid in hoc generę ſtatuerint, protuleris, ac ne proferre quidem poſsis, aude porrò dicere, Conſtitutiones Anni 43. eſſe abrogatas. Nec illud tamen ignoro, alios, teq; ipſum, calumniator, inhibitionem Sigiſmundi Auguſti commemorare ſolitos, qua ille vetuiſſe viſus eſt, ne Decreta Iudicij Spiritualis, Capitanei exequerentur. Sed hæc cum legibus Regni, Priuilegijs Cleri, adeòq; iudiciorum repugnet iuribus, nullam habere vim poteſt, ad leges ipſas abrogandas: maximè quòd in ijſdem Comitijs, Epiſcopi vniuerſi publicè eidem contradixerint; deque grauamine, vt loqui ſolemus, proteſtatione ſolenniter præmiſſa, vim videlicet Ordini Eccleſiaſtico inferri, omnes ex Senatu diſceſſerint. Atque ea proteſtatio (ne forte nos, quod tute facis, falſò aliquid comminiſci exiſtimes) ea, inquam, proteſtatio habetur in Eccleſia Cracouieñ: ſub inſcriptione manus pro-

Cap: ſeq: An: 1563. Petricouiæ.

nus propriæ, & ſigillo eiuſdem Regis. Eiuſq; rei diploma (ne hoc quoq; ignores, quanquam tot & tãtis teſtibus indignus es) Reuerendus D. Staniſlaus Skarſzewski, Canonicus Crac: poſt obitum Reuerendiſſ: Domini ſui, Petri Myſzkowski, Epiſcopi Crac: Venerabili eiuſdem Eccleſiæ Capitulo, aſſeruandum attulit. Quid? quod ipſa Sigiſmundi inhibitio habeat, ſolos Seculares eiuſdem auctores extitiſſe? Deniq; & alijs Regni legibus eandem repugnare, quis rerum Polonarum peritus ambigat? Annè vlla ſanctio firma, ſtabiliſq; in Polonia noſtra habeatur, quæ non omnium Ordinum conſenſu roboretur? Non equidem opinor. Caſimiri enim Regis, ipſumq; ſecuti Alexandri, Decretum eſt: *Statuimus cum vniuerſis Regni noſtri Prælatis, Conſiliarijs, Baronibus, vt deinceps futuris temporibus perpetuis, nihil noui conſtitui debeat, per nos, & ſucceſſores noſtros, ſine communi Conſiliariorum, & Nunciorum terreſtrium conſenſu, quod fieret in præiudicium, grauamenq; Reipublicæ, atq; incommodum cuiuslibet priuatum, ad innouationemq; Iuris communis, & publicæ libertatis.* An non omnium Ordinum ſacrandæ legi requirit conſenſionem? Idem quoq; Alexander, in confirmatione Conſtitutionis Friderici & Carolinæ, omnia Statuta, &c. contra libertatem Eccleſiæ, vel perſonas Eccleſiaſticas, &c. edita, illo ipſo iure decernit eſſe nulla. Sigiſmundus etiam I. Petricouiæ, *Conſtitutiones*, inquit, *nouas, nonniſi cum Conſiliariorum (Spirituali-*

In Nieſzowá. Alexandri in Rádom, fol: 115.

An: 1538.

ritualium & Secularium) ac Nunciorum terrestrium consensu, secundum Statutū Alexandri Regis faciemus. Si tamen Secularis Ordo, Augusti Regis inhibitionem (legem enim ob iniquitatem pudet dicere) aduersus Clerum valere postulat, quidni (cùm potior ipse, & si non maior, Senatus pars sit) legē Regi suadeat, quæ ipsis Secularibus repugnantibus lata, vim suam roburq; obtineat? Æqua enim vtriusq; Ordinis ratio, quin & Ecclesiastici Ordinis conditio melior ac superior. Vt igitur iuris æqualitas, æquabilitasq; iustitiæ consentanea, adeòq; Reipubl: necessaria conseruetur, fateatur oportet Secularis Ordo, eam qualemcunque inhibitionem, nullius esse momenti atq; ponderis, ad Ecclesiasticorum hominum Iurisdictionem, vel imminuendam, vel infirmandam. Sed tamen præterea rem ita se habere, & illud indicat, quod apud Herbortum Augusti extat, amplissimum confirmationis iurium Priuilegium, illa adiecta clausula: *Quod si aliquando eueniret, vt vel per nos, vel per quempiam alium, istis ipsis Iuribus, Statutis, Donationibus, Priuilegijs, Litteris, Immunitatibus, & Libertatibus, aliquid huiusmodi fieret contrarium, vel si illis derogare, easdemuè per nos ipsos abrogare aliqua re vellemus: extunc omne illud nihil firmitatis, neq; ponderis habere debet, sed omne illud, vigore istius Conuentus, nihili & cassum intelligi debet; prout & nos hoc ipsum annihilamus & cassamus, & nihili esse inuenimus, præsentibus litteris nostris, temporibus perpetuis.*

Petricouiæ, An: 1550.

Quod si etiam nos contra hoc quidquam fecerimus, tunc non aliter intelligi debet, nisi quia in hoc ipso contra iusiurandum nostrum excessimus. Denique postquam inhibitionem fecerat literis suis (quæ etiamnum asseruantur) testatus est Ecclesiasticorum actiones iudiciarias, veteri more institutas, eadem minimè impediri. Et sanè sapienter Augustus Rex, quod minùs prudenter, ac Regni legibus ipsiq; rationi consentaneè, sanciuisse videri poterat, antiquauit & abrogauit, vt satis ostenderit de reliquis idem omninò censendum esse. Nam si de Apostasi, schismate, religionibus peregrinis, sacrilegijs, incantationibus, veneficijs, &c. Ordo Ecclesiasticus non iudicauerit, atq; adeò quod decreuerit, Seculares pro sua in Republ: potestate, non fuerint executi: illud sequatur necesse est, quod Ecclesiastici hoc loco queruntur, vt videlicet hæc omnia scelera impune fiant, inultaq; relinquantur. Ad hæc nisi de diuortijs, matrimonijs, ab Ecclesiastico Ordine ita ius instituatur, vt quæ in ijsdem peccata fuerint, Arcium, Vrbiumq; Præfectorum operâ corrigantur & emendantur, eò licentiâ quadam ad extremum deuenietur, vt Diuina humanaq; iura violentur, ac perturbentur omnia. Quod ne accidat aliquando, Ordinis Secularis est prouidere. Hoc enim illis onus Diuina lege incumbit, vt quæ Iudices Ecclesiastici, religionis integritati & puritati aduersari cēsuerint, pœnisq; digna decreuerint: ea ipsi seuerè vindicent.

 Reges

Reges enim (atq; eadem ratione cæteri Magistratus Ciuiles) Ecclesiæ nutricij sunt, vt Isaias ait. Dissipat quoq; impios Rex sapiens, vt in *Prouerb:* habetur. Et in ipsa adeò Synagoga iubentur interimi, qui Sacerdoti non obtemperant. Deniq; vt D. Augustinus scribit: *Regum, atq; vniuersi Magistratus Ciuilis, munus officiumq; est, Deo seruire, sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum destruendo: sicut seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo: sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Deum compellendo: sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando: sicut seruiuit Nabuchodonozor, omnes in Regno suo positos, à blasphemando Deo, lege terribili, prohibendo.* Debet & illud quoque cogitare, vt D. Leo inquit, potestatem sibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta, defendant, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituant. Quod optimi quiq; Imperatores perpetuò obseruârunt. Theodosius funditùs sustulit libertatem, ac omnes credere eo modo præcepit, quo Romanus Pontifex docebat esse credendum. Martianus quoque seuerè prohibet, ne quis ea quæ sunt in Concilijs Episcoporum, definita reuoluat, aut de ijs publicè disputare præsumat. Eiusdem etiam generis alia de Iuniore Valentiniano, Constantino Magno, Casimiro Magno, Alex: Sigismundo I. alijs legimus. Quos præclarè

Isa: 49. Prou: 20. Deut: 17. Epist: 50. Epist: 75. ad Leon: August. L. Cunctos pop. de S. Trin. C. Eodē. l. Nemo. Ambr: in Orat: fun: Val. Eufeb: l. 10 cap: 5. Cromerus.

clarè imitatus est feliciss: memoriæ Rex Stephanus, alijq; Poloniæ Catholici proceres, Ordinis Ecclesiastici, & Iurisdictionem, & Decreta tuendo, quantùm in tam infinita hominum libertate, seu potiùs licentia, valuere. Atq; hæc omnia ita fieri oportere, & ratio ipsa suadet. Potestas enim spiritualis & temporalis, in Ecclesia, non sunt res planè distinctæ & separatæ, vt regna politica plura: sed ita inter se connexæ & copulatæ, vt vnum efficiant corpus, seu potius ita cohærent inuicem, quemadmodum anima, atq; corpus. Est enim potestas spiritalis quasi anima; temporalis, corporis instar; vt Nazianzenus sapientissimè differit. Debet ergo hæc, illi seruire, eáq; tueri ac defendere, ac veluti terrenum regnum, vt D. Gregorius inquit, cœlesti famulari. Cùm igitur hæc vitia vniuersa, quæ Clerus in sua querimonia deplorat, talia sint, quæ Ecclesiæ Christi, ipsiq; Reipubl: exitiosa & perniciosa existant, Ordini Seculari illud incumbit, vt omni studio elaboret, ne quæ Ecclesiastici statuerint; vel repudientur, vel negligantur. Hac enim ratione corpus animæ consulet: quemadmodum anima, id est, Clerus corporis sui, Secularis nimirum Ordinis, & salutem quærit, & dignitatem tuetur. Iustissima igitur, calumniator, (ad te enim redeo) Cleri querimonia est, quòd iam ob iurisdictionem Ecclesiasticam, si non omnino spretam, violatam tamen & offensam, sacrilegia, periuria, incantamenta, magiæ, bigamiæ, &c. quæ olim

Orat: ad pop: timore perculsum. Lib: 2. Epist 61.

olim florente Ecclesiastico Ordine iacebant, nunc apud plurimos ita valeant, atq; vigeant, vt si non in honore sint, impunita tamen & inulta remaneant. Qua sanè in conquestione, nescio equidem, quid iure atq; meritò reprehendas: vt non demirari nequeā te, non modò communem calamitatem non deflere, sed in Ecclesiasticorum, adeòq; patriæ ipsius miserias insultare. [Iurisdictionem, *inquis*, doletis vobis ereptam.] Et quidni dolerent? quidni deflerent? Doleres & tu, calumniator, adeòq; defleres, si patriæ amore, Clericiq; studio tenerêre. Sed quia hæresis animum tuum ab Ecclesiastico Ordine reddidit alienū, & salutis publicę nullo teneris desiderio, quę lachrymis digna sunt, risu prosequeris; & quod est deterius, omnem calumniandi eos, qui te non læserunt iniuria, arripis ansam. [Hæc vos, *inquis*, in Ordinem nostrum hominum Secularium congeritis.] Cùm tamen non in vniuersum Ordinem, neq; solùm hæc vitia congerant, sed multorum deplorent scelera, quæ tam impune licenterque patrantur. Ac mox: [Ostendite, *inquis*, primò apud vos nullos esse sacrilegos, periuros, veneficos, incestuosos, bigamos, trigamos.] Ac, ne quicquam calumniæ desit, affirmas Romanos Pontifices complures, magiam exercuisse; vniuersos autem, non alia quàm mulcta pecuniaria puniri; adulteros in Clero inueniri, qui plures alunt concubinas, eosdemque se lege Ecclesiastica tueri. Melius est complures alere concubinas, quàm vel vnicam

vnicam vxorem Matrimonio iunctam habere. Ita tu quidem non minori improbitate, quàm audaciâ, in omnes Catholicos impudicam linguam exeris: & tantum non cum Pharisæo illo de te prædicas: Non sum sicut cæteri homines, &c. De Pontificibus, quod simplici affirmatione obijcis, simplici inficiatione pernego; id tamen à vero esse alienissimū, Catholici integris voluminibus ostendêre. Vitia Clericorum, mirū est, qua temeritate hic proferas. Quasi verò propterea, quod hæc in quorundam mores irrepserint, in communi hac temporum inclinatione, Ecclesiastico Ordini minùs liceat eadem deplorare. Aliquam fortassis iustæ accusationis occasionem nactus viderêre, si illud ostendere posses in Clero, hæc crimina omninò non vindicari. At ipse fateris pecuniariâ mulctâ puniri. Qua tamen non sola, vt tu impudenter asseueras, sed alijs quoq; pœnis, ab Ecclesia Christi perpetuò vsurpatis, interdum quoq; vinculis atq; carcere castigantur. Iam verò in Ordine Seculari hæc vitia ita reperiuntur, vt vindicari nequeant ob reorum potentiam, & deprauatos hominum mores, ipsamq; excommunicationē, & quæ eandem consequi solebant supplicia spreta & contempta. Quod autem de lege Ecclesiastica, de concubinis narras, fabula est, malitiosum & mēdax, nequam capitis commentum: neq; tu illud, si te ruperis, vspiam lege Ecclesiastica sancitum reperias. Nam & concubinatus ipse omnibus, Ecclesiæ Decreto

Bellarm: Tomo 1. Controu.

Vide Canones Pœniten: in fine decreti. & Gloss: in c. Ad reprimendam. De Offic: Iudic: Ord: Cōc: Trid: Ses: 25. c. 14 de Refor. vide & Syl: Luxuria. §. 3.

D. 34. c. Audite. & ca:

Meretrices. 32. q. 4. cap: Laici. D. 33. Epist: Lucij Papæ, ad Episcopos Galliæ. Trid: Sess: 24. cap: 8. de Refor: matrimo.

creto prohibitus est. & Clericis non solùm concubinatu, sed sermone etiam, & extranearum mulierum cohabitatione, seuerè interdictum. Quod cùm in Pontificum, & Conciliorum Decretis ita frequēs sit, vt vltro in oculos incurrat, id tamen tu maleuolentiâ obcœcatus, & vt serpentes venenis, sic tu calumnijs & contumelijs vndequaq; legendis, intentus, animaduertere noluisti. In eo tamen præclarum te ostendis Iurisconsultum, quod de diuortijs, matrimonijs, & legitimorum illegitimorumq; cōtrouersijs, Ecclesiasticum Ordinem iudicare nolis, quoniam ex Clericorum numero aliqui cōcubinas alunt, & illegitimis, vt tu loqueris, abundant. Quasi verò paucorum vitia (complures enim & ipse fateris existere morum continētiâ, & vitæ sanctimoniâ venerabiles) vniuerso sacrato Ordini obesse possent, eidemq; iudiciorum eripere facultatem. Quasi Secularis Ordo, quem tu Iudicem exoptas, ab ijsdem criminibus immunis esset. Sed in eo, quod subiungis, omnibus Iurisconsultis palmam eripis. [Si qui, *inquis*, Clerici, voto castitatis per omnia respondeant, quid ad eos matrimonij cognitio pertinet, cùm ab eo tanquam immunditie abhorreant?] quasi verò iudicare de criminibus non liceat Iudici etiam minimè criminoso, eiq; qui flagitia omnia abhorreat, ac detestetur. Sed, ô bone, Catholici Iudices à Matrimonio, tanquam immunditie, non abhorrent, sed magnum cum Paulo Sacramentum esse, persuasum habent:

Ephes. 5. 1. Tim: 5.

habent: Cum eodem tamen existimant habere eos damnationem qui cùm fuerint luxuriati, in Christo nubere volunt; quia primam fidem irritam fecerunt. Animaduertebas tu, opinor, calumniator, hæc quæ attulisti, Ecclesiasticis hominibus iudicandi potestatem non eripere: ac ne illud quidem euincere, iudiciorum formam corruptam & deprauatā existere: & proinde, vt ferè solent ij, qui hostem in pugna cedere nequeunt, ex animi quadam impotētia, ad calumnias frigidissimas, & iniquissima probra dilaberis, & Sacerdotes ob violatas pœnitentiæ leges (atqui si de illis iam disputaretur) insectaris. [Qualem verò, *inquis*, nobis pœnitentiæ modū proponitis. Dura quidem vos egenis ac miseris onera imponitis, ipsi verò ea ne digito quidem attingitis. Venalem peccatorum veniam habetis, sedentes tanquam nummularij in Ecclesia, bullas indulgentiarum exponitis. Vobis religio quæstus est, ita vt qui plures nummos in arcam immiserit, licet parricida, & immanis homicida, cunctorum iudicio habeatur, modò multum soluerit, solutus discedat.] Quæ omnia sunt huiusmodi, vt nihil instituto alienius, nihil probrosum magis, magisque falsum potueris Clero obiectare. Vbi enim, amabo te, vidisti aliam esse miserorum, aliam potentium, in Sacramento pœnitentiæ, conditionem? Vbi venalē peccatorum veniam? vbi Bullas Indulgentiarum ad quæstum expositas? parricidam quoq; & homicidam immanem,

nem, solutâ pecuniâ, solutum ac liberum abire? aut si vidisti aliquando, vbi saltem animaduertisti hæc Ecclesiastico Ordini probari, & nō potiùs grauiter seuereq; vindicari? Proferenda tibi nomina eorum erant, qui hæc tot atq; tanta patrâssent scelera: loca, tempora designanda, quibus accidissent: singula deniq; testibus cōprobanda, si fidē dictis tuis haberi voluisses. Nunc autē cùm horum præstiteris, omninò nihil, & temerarius accusator, & improbus calumniator, à nobis iure meritoq; habeberis.

CAPVT IV.

Decimas, iure naturæ & Diuino, hominibus Ecclesiasticis deberi.

TErtium Ecclesiasticæ querimoniæ Caput est, quòd Seculares Sacerdotum officia sibi vsurpent, & Decimas manipulares, aliasq;, contra iura Diuina & humana, à subditis suis extorqueant, & in proprios vsus conuertant: hæreditatem Christi, panem Ecclesiæ, his quibus iure & consuetudine debetur, subtrahant. Ad hanc tam grauem, iustamq; conquestionem, ea tua est, calumniator, responsio, vt equidem coniectura assequi nequeam, magisnè astutus ac versutus, an iuris Diuini & humani imperitus, dici debeas. In ea enim ita te geris, vt ad omnē malitiam atq; fraudem, versare orationem tuam videare: ita quoq; leges cùm sacras, tum profanas, quæ de

quæ de Decimis extant, pertractas, vt has vix attigisse, illas ne vidisse quidem te appareat satis. Quæ enim maior calliditas (de imperitia & inscitia post viderimus) esse cuiusquam potuit, quàm tuam hîc esse deprehendo? vt enim rudis ac minus perspicax Lector, quàm difficili in loco versarere, quamque malam tuerere causam minimè animaduerteret, faciliusq; in errorem induceretur, ita misces & turbas omnia, vt leges priùs editæ, posteriores esse videantur. Sed omnia quamuis implicatissima explicabo, inuolutissima euoluam, vt quiuis intelligat te voluisse magis, quàm potuisse, Decimarum legem consuetudinemq; oppugnare. Et quoniam ita tractationem tuam instituis, vt priùs num iure Diuino, tum an humano debeantur, disquiras, idem quoque à me seruabitur ordo. Libet tamen priùs, vt absolutior perfectiorq; sit tractatio, illud ostendere: Iure naturæ Ordini Ecclesiastico deberi Decimas. Quod sanè nec arduum, nec difcile fuerit. Cùm enim natura eam notionem insculpserit hominum mentibus, vt ijs, qui nostra causa labores subeunt, præmia deberi intelligamus: eâdem quoque admonente cognoscimus, Clero, qui in populi gratiam, multum operæ studijq; in sacrorum procuratione ponit, alimenta esse tribuenda. Et vnde Regibus vectigalia, militibus stipendia deberi intelligimus: inde quoq; discimus, Sacerdotibus esse Decimas persoluendas; cùm his veluti subsidijs, ita vitam sustentare debe-

Decimas iure naturæ Ecclesiasticis deberi.

re debeant, vt neq; egeant, nec abundent. Ac ne dubitare quis poſſit hæc ita ſe habere, Abrahami exẽplum ſuppetit, qui Melchiſedeco Sacerdoti Decimas dedit. [Geneſ: 14. Chryſ: Homil: 35. in Geneſ.] Quem locum Chryſoſtomus explicans, Abrahamum hoc facto Doctorem noſtrum fuiſſe ſcribit, atque adeò monuiſſe, quid nobis incumbat oneris. [Decimas deberi iure Diuino.] Iam verò vt ius Diuinum aggrediamur, ab eo potiſſimùm ordiar, quod ſolùm protuliſti, & nulla ratione nixus reieciſti, Leuitarum exemplo. Leuitis Deus iuſsit Decimas dari, Sacerdotibus igitur tribuendæ. [Leuit: vlt. Num: 18. Malach: 3.] Quod enim erant in lege Moyſis Leuitæ, hoc in Euangelio Sacerdotes. Et quamuis Chriſtiani à cæremonijs legis liberi ſint & immunes, priſcorum tamen Patrum, nemo ab hac Decimarum ſanctione eoſdem ſolutos exiſtimauit; quin potiùs ita de eadem diſſeruêre vetuſtiſſimi quiq;, vt magis eâdem Chriſtianos, quàm olim Iudæos aſtringi dicerent. [Lib: 2. Apoſt conſt: cap: 29. 38. 39. & l. 8. cap: 36. In Pſ: 146. In c. 3. Malach.] Quod inprimis Clemens, D. Petri diſcipulus & ſucceſſor, ex eo oſtendit, quòd Chriſtianorum iuſtitia plùs abundare, quàm Scribarum & Phariſæorum debeat: quo eodem argumento & Auguſtinus vtitur. Hieronymus autem: *Quod de Decimis*, inquit, *primitijſq; diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus atq; Leuitis, in Eccleſiæ quoq; populis intelligite: quibus præceptum eſt, non ſolum Decimas & primitias dare, &c. id qui non fecerit, Deum defraudare & ſupplantare conuincitur.* Auguſtinus quoque eundem Malachiæ locum de Decimis explanans: [Serm: 219. de temp.]

Deus, inquit, *qui dignatus eſt totum dare, Decimam à nobis dignatur repetere.* [16. q. 1.] Deniq; Gregorius: *Sicut*, inquit, *offerri iubemini à lege Decimas rerum, ita ei offerre contendite Decimas dierum.* [Homil: 16. in Euang.] Vt mirum ſit, te de Leuitarum exemplo ita diſſerere, vt dicere non verearis, quid illud ad vos? cùm vnica hac nitaris interrogatiuncula: Nunquid pro ſui muneris functionibus, tot ditati erant cenſibus & fundationibus? Ad quam ſi affirmando reſpondero, iam ſilendum tibi fuerit. Ità igitur reſpondeo. Neq; Leuitæ, vt tu parum Theologus exiſtimas, ſolis Decimis ſuſtentabantur. Hacebant enim inſuper poſſeſſiones ſuas. Quamuis enim in partitione terræ, agros & vineas non acceperant: Vrbes tamen, quas inhabitarent, illis dabantur, & pecoribus alendis paſcua. [Num: 18. Deut 10. Ioſue 13. Num: 35. Ioſue 21.] Emere quoq; illis fas erat, & à populo religionis cauſa oblata accipere, vt modo Eccleſiaſtico Ordini accidit. Vnde *Leuitici vltimo* præcipitur, vt ſi quis agrum Domino vouerit, eum Sacerdotes poſſideant. [Leuit: vlt.] Quin & Regis ad Abiathar Sacerdotem vox eſt: Vade ad agrum tuum. [3. Reg: 2.] Hieremias quoq; Sacerdos erat, & tamen agrum ſe emiſſe ac poſſediſſe ſcribit. [Hier: 32.] Deniq; Barnabas Leuita fuit, agrum tamen, quem habebat, vendidit. [Act: 4.] Et ſi his omnibus deſtitueremur firmamentis, cauſæ tamen iuſtiſſimæ ſubſunt, cur Clerus Chriſtianus præter Decimas, alia quoq; iure poſſideat. Clerus enim Chriſtianus amplior eſt, grauioribus ſumptibus ac laboribus obnoxius. Tẽplum

plum Leuitis vnum erat, Pontifex vnus, & pauci quidam ex familia Aaron Sacerdotes, qui per vices in Templo ministrabant, cæteri famulorum loco erant: At Christianis templa sunt innumera, Decimarum prouentibus conseruanda & restauranda, Pontifices plurimi, & Sacerdotes propemodum infiniti, qui tamen litteris exculti sint oportet: quod fieri sanè nequit, nisi patrimonij magnam priùs iacturam fecerint. Deniq; perpetuò Ecclesiæ adesse debent, non vt illi certis atq; statis solùm temporibus. Sed non eo loco causa Ecclesiastica est, vt solo
1. Cor: 9. Leuitarum exemplo nitatur. Nam vt D.Pauli verbis vtar: *Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere.* Et: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui Altari deseruiunt, cum altari participant. Quis militat suis stipendijs vnquam?* Et: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Ad quem locum August: scribens in illud Psal: 146. *Parat terræ pluuiã, producit in montibus fœnum, &c.* Ait populos, qui tanquam terra accipiunt pluuiam doctrinæ à Sacerdotibus, debere eis producere fœnum bonorum temporalium, Denique Christus
Matth: 22. ait: *Redditæ quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Quem locum Hieronymus & Augustinus explanantes, præcipere aiunt Dominum, vt pendantur Cæsari tributa, & Deo Decimæ.

Aug: lib: 50. in Homil. 48.

CAPVT

CAPVT V.

Ecclesiasticum Ordinem, Decimas ad eos vsus accommodare, quos lex Diuina, & sacri Canones postulant: nec calumniatoris cauillationes, quibus contrarium ostendere nititur, vllius esse ponderis.

AT panis, *inquis,* vobis est ad affluentiam, & tamen nouis contributionibus, miseram nobilitatem præterito bello exhaustam, onerare vultis. Satiùs esset eas Decimas militibus seminudis, quibus nondum sunt exsoluta stipendia, attribuere, quàm libidinosis & otiosis permittere: maximè quòd iuxta Canones vestros, bona Ecclesiæ in quatuor partes diuidi debeant. 1. Vt pro errogandis spectet eleemosynis. 2. Pro Templorum erigendis & instaurandis ædificijs. 3. Pro captiuis ab hoste redimendis. 4. Demum pro mensa Cleri.] Ac mox pauperes miseratus: [Quot ditâstis, *inquis,* pauperum Collegia? Quot Templa his temporibus erexistis, aut collapsa restaurâstis? Quot captiuos redemistis?] Tum causaris Ecclesiasticos, [Sculteos suos, milites olim Regni, per summam iniustitiam Regno ademisse, nec tamen publica sustinere onera.] Denique monitoris tibi imponis personam, aut potiùs rigidi cuiusdam censoris. Grauiter enim in Clericos inueheris, [quòd opes tanto studio comparent, maioremq; pensionum, quàm salutis populi rationem habeant.] Ac bellè tu quidem hæc omnia, calumniator, ac de egentibus inprimis bellissimè. Vereor tamen, ne dum hæc stomachans tam inuidiosè commemoras, illud

 in te

Ioan: 12. in te conueniat, quod de Iuda Iſcariothe D. Ioannes Euangeliſta ſcriptum reliquit: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, &c.* Vereor, inquam, ne pauperum cura nihil te ſolicitet ac excruciet, eamque ſolam ob cauſam queraris, quòd quæ Clerus poſsidet, tibi adempta putes, eademq; in tuis mallis cernere loculis, quàm in ipſorum Eccleſijs. Reſponderi tamen, nec incõmodè, illud opinor tibi poteſt, quod Chriſtus Iudæ quiritanti dixit: *Sine illam. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.* Si enim Clericis hæc qualiacunq; Decimarum, ad vitam ſuſtentandam, ſubſidia ademeritis, pauperes ſemper habetis vobiſcum, Clericos
1. Cor: 9. verò nequaquam. Quis enim ſuis militat ſtipendijs vnquam? Et iam experti videmus, vbi Decimas per ſummam iniuriam Sacerdotibus eripuiſtis, ibi quoq; Clericos nullos inueniri, templis illatam vaſtitatem, cultumque Dei omnem interijſſe. Quod vobis hæreticis ſanè perplacet, qui Religionem Catholicam funditùs ſublatam velletis, & Eccleſiaſticum Ordinem euerſum penitùs: vt inſanis veſtris hæreſibus & delirationibus, dari queat locus, & mulieroſi veſtri ſathanæ Miniſtri, qui omnia harpyiarum inſtar diripiant, eidem poſſint ſuccedere. Sed non ſunt ita bardi atq; ſtupidi Clerici, addo quoque, nec ita Diuini cultûs & honoris obliti, vt Decimas hæreditatem Chriſti, Dei Opt: Max: gloriæ propagan-

pagandæ inprimis neceſſarias, & opportunas, veſtris moti querimonijs, probris, & conuitijs, abijcere ac negligere velint. Quod autem ipſis ad affluentiam panem ſuppetere ais, neſcio ſanè quàm verum ſit. Equidem cùm omnẽ Poloniam oculis atq; animo luſtro, ſinguloſq; ex Ordine Eccleſiaſtico inſpicio, paucos omninò video, quibus panis ſit ad affluentiam, nullos quibus abundet ad luxuriam. Quin illud potiùs animaduerto, plurimos etiam Prælatos & Canonicos, vt innumerabiles Plebanos taceam, inopiâ laborare: cæteros vix tantas habere opes, quantæ ad dignitatem Ordinis ſui, Eccleſiamq; Dei à veſtris iniurijs tuendam & defendendam, ſufficiant. Et ſi omninò affluerent, grauiſſimè in Deum peccarent, ſi hæreditatem Chriſti vobis proderent, & Decimas ſi non ipſis vniuerſis, maiori tamen Cleri parti, ipſiq; poſteritati perneceſſarias, ſibi per vim eripi paterentur. Si qui autem libidinoſi & otioſi exiſtant, vt aiebas, & non diffiteor, quamuis pauciores, quæ Diuina eſt bonitas, inueniantur in dies; ij pœnis Eccleſiaſticis caſtigantur. De contributionibus (ita enim loqueris) quibus nobilitatem onerãt, haud ſcio, an queas argumentis, quod verbo dicis, oſtendere. Decimæ certè contributiones non ſunt. Quod verò militibus ſatiùs fore eaſdem concedere, quàm Clericis dictitas, non exiſtimo. Suum enim cuiq; tribuere, iuſtitiæ atque æquitatis ſuadet ratio. Decimæ autem Clericorum, non militum, ſunt ſubſidia.

sidia. Militibus interim ab ijs soluantur stipendia, quibus id onus legibus Regni, ac perpetua consuetudine, incumbit. Decimas autem tantò satius est Clericis, quàm militibus elargiri, quantò præstat Christianam propagari Religionem, cultumq; Diuinum integrum ac incorruptum conseruari, quàm per paucos egentes milites, patriam interdum, aduersus vim externam, & hostium impetus, propugnari. Milites interim à Clero nō negliguntur. Non minùs enim Clerus, quàm Ordo secularis, ad eosdē, in Regni finibus, & bellis externis, sustentandos dependit, quamuis nullo ad id iure astringatur; ac ne Sculteos quidem suos, quod tu comminisceris, ad militiam ablegare teneatur, vt infra demonstrabo. Pauperum interim, quorum tu patronus videri cupis, nescio, an alioqui oppressor & oppugnator, ea cura ab Ecclesiastico habetur Ordine, quam sacræ literæ postulant, ipsorumque officij ratio requirit. Nec scio, an vlla Collegia pauperum, Cracouiæ, Posnaniæ, Wilnæ, Calissiæ, Pultouiæ, Braunsbergæ, alibi, ab alijs quàm Episcopis ædificata, & annuis prouentibus dotata inueniantur; vt te meritò pudere tuæ interrogationis debeat: [Quot ditastis pauperum Collegia?] Templa quoq; (contra, quam tu Ordini Ecclesiastico infensissimus asseueras) non vno in loco exædificârunt, & collapsa restaurârunt, Ecclesiastici; vel certè maximis impensis illustrârunt, & exornârunt. Calissiæ, Reuerend: Archiepiscopus Gnesnensis, Stanislaus Karnkowski: Wladislauiæ, & alibi, Reuerend: Hieronymus Rozdrazewski, Episcopus Cuiauiæ. Posnaniæ, Reuerend: Lucas à Kościelec. Pultouiæ, Reuerendiss: Petrus Dunin Wolski, Episcopus Plocensis; vt alios innumeros taceam, quos recensere, si liberet, possem. Vt tu iam, nisi iniuriâ, queri nequeas, legem de quadripartita bonorum Ecclesiasticorum diuisione violari. Quæ tamen non est, quam tu imperitè scribis. Prima enim pars, Syluestro sanciente, cedit Episcopo, altera Presbyteris & Diaconis, tertia Templorū instaurationi, quarta Pauperibus & Peregrinis. Calumnias autem cæteras, & conuitia, quibus Clerum licenter & impudenter afficis, nihil moror. Neque enim tu ostendisti hactenus Clerum in eo errare, atque labi, quòd Decimas tanto studio quærat: nec illud fecisti planum, maiore eos opum cupiditate, quàm incolumitatis ac salutis ouium, teneri. Vos id quàm verum sit, iam pridem experientiâ discitis. Quot enim à grege suo ex vestra hæresi propellunt quotidiè lupos? Quot delirationibus vestris, prauisq; opinionibus imbutos, ad Catholicam reducūt Ecclesiam? Quot à vobis euersas instaurant aras? Quot templa vestro violata scelere, in dies expiant? Quot deniq; vestrâ infectos labe, ex Oppidis, Villisque, non vi, non armis, sed vitæ integritate, & eruditissimis ad populum Cōcionibus profligârunt? imò, quoniam opum cupiditatem nusquam non Clericis

Syluest: can: 4.

Clericis exprobras, non defuerunt, qui precio dato Vrbes comparârunt, non tam fortassis opum desiderio, quàm studio religionis Catholicæ, in ijsdem iam collapsæ, restaurandæ. In cæteris autem, quæ ouium incolumitati conducunt, desiderare tu quidem poteris aliquid, iure tamen atque meritò nihil. Tanta Doctorum in populo erudiendo diligentia; tanta Pastorum in Sacramentorum administratione sedulitas. Atq; hæc ad tuas, calumniator, non tam rationes, quàm calumnias, in quibus etsi frigidissimis, tutissimum tibi fore putâsti, si delitesceres, cùm nihil reperires, quod firmum satis esset, ad id, quod ostendendum susceperas, comprobandum: Decimas nimirum iure Diuino, ad Ecclesiasticum Ordinem haud spectare. Nos autem ita lege Diuina ad eundem spectare docuimus, vt ne contra quidem hiscere valeas.

CAPVT VI.

Decimas, iure tum communi, tum Polonis proprio, Ecclesiasticis hominibus esse persoluendas: earundemq; pendendarum originem, non à bello in Syria, Clemente III. Pontifice (vt calumniator fingit) contra Saladinum suscepto, sed in Polonia à Mieczyslao & Boleslao, vetustissimis Regibus, esse petendam.

NVnc quoniam tibi ita visum est, asseuerare Decimas, nec iure quidem humano ad Clericos pertinere, id quoq; falsissimum esse, cùm tua infirmando, tum nostra roborando, demonstremus. Et quidem initio illud mihi permirum est, qua fronte tu Decimarum initia facias, à bello nescio quo, Clemente III. Pontifice, contra Saladinum in Syria suscepto: ita, vt earundem non alia fuerit occasio, vel origo, quàm quòd Pontifex eo tempore, vt rē Christianam laborantem iuuaret, Decimas à Christianis, cùm alibi, tum etiam in Polonia exegerit; quæ postea Vladislai Iagellonis lege, Clero efflagitante, lata, perpetuæ euaserint. Quis enim vetus rerum Polonarum scriptor, tale quidpiam literarum monumentis commendauit? Quænam historia externa tradidit? Quis tam audacis atq; liberæ asseuerationis testis? Non equidem negârim, & olim consuetudinem fuisse, cùm grauius aliquod periculum Reipubl: immineret, aut Hierosolyma à Saracenis, vel teneretur, vel vexaretur, vt Romani Pontifices, omnium Christianorum Principum opem implorarent, illudq; efflagitarent; vt Decimas belli quasi subsidia penderent: ab ea tamen, siue in Prouincijs exteris, siue in Polonia ipsa originem habuisse; illud est, quod penitus inficior. Et sanè meritò, iureque optimo. Si enim leges vniuersis communes Prouincijs, de Decimis sancitas, inspiciamus (vt interim de perpetua, ab Apostolorum temporibus, easdem pendendi consuetudine taceam) complures eiusmodi cōperiemus, quæ ante mille annos viguerint, alias

aſias quæ ante Clementem III. & cùm Hieroſoly-ma à Saracenis, alijſq; Chriſtiani nominis hoſtibus, conquieſceret. Decimas enim ſolui oportere, hæc omnia Concilia, ne Pontifices memorem, iure Di-uino nixa, decernunt: Aurelianenſe I. Matiſconen-ſe II. Foroiulienſe, Moguntina tria, Rhemenſe, Va-lentinum, Arelatenſe IV. Cabilonenſe II. Metenſe, Triburienſe, & alia, quæ breuitatis cauſa, volens at-que lubens, prætereo. Si autem ipſas Poloniæ leges & Statuta, peruolutauerimus, facilè comperiemus Decimas, in ipſa quoq; Polonia aliam, quàm belli Saladini propulſationem, originem habuiſſe, ac non recenti quapiam conſuetudine, ſed planè vetuſtiſsi-ma, optimorumq; Principum legibus firmatas, & roboratas. Mieczyſlaus enim, (vt Dlugoſſus, Cro-merus, alijq; qui de rebus Polonorum ſcripſerunt, memorant,) ducentis, ante Clementem III. annis, Chriſti ſacris initiatus, tanta religionis propagandæ cupiditate flagrauit, vt multa ſtatim templa exædi-ficârit, ampliſsimis cenſibus & poſſeſsionibus locu-pletârit, Epiſcopiſq; inſtitutis, Decimas frugum o-mnis generis, tã de ſuis, quàm ſuæ nobilitatis, adeòq; plebis agris, edicto perpetuo aſſcripſerit. Quod ſanè teſtimonium, tam eſt præclarum & illuſtre, vt ſi ali-ud nullum, vel in Hiſtorijs extaret, vel in Statutis inueniretur, ipſum ſolum ad Decimarum ius Cleri-cis vindicandum ſufficeret. Quid enim? An legiti-ma id decernendi poteſtas Mieczyſlao defuit? At

Cap: 17. Cap: 5. Cap: vlt. Moguntinum tempore Caroli Mag: c. 38. ſub Rab: c. 10. tempore Arnulphi, cap: 17. Rhem: ca: 38. temp: Caroli M. Valentinum tempore Lothar. ca: 10 Arel: IV. cap: 9. Cap: 19. Cap: 2. Cap: 13. Mieczyſlaus Princeps Poloniæ, anno 965. Clemens III. anno 1188.

Princeps

Princeps erat non modò ſui iuris, ſed etiam, nondũ tanta ſubditis, quàm nunc cernimus, libertate con-ceſſa, vſq; adeò legum ſolutus vinculis; vt mutare, vendere, donare, pro arbitratu potuerit. Quod & alijs Principibus tum licuiſſe, immunitates ab ipſis conceſſæ comprobant. An Hiſtoriæ, quæ hoc Prin-cipis tam præclarum factum memoriæ prodidit, fi-dem abrogabunt? at id nulla ſubnixi ratione faciẽt: eandemq; opera gentis ſuæ, ſiue originem, ſiue res geſtas omnes, dubias incertaſq; reddent. Cur enim alijs narrationibus fides tribuatur; huic, quæ de De-cimis inſtituitur, ſoli derogetur? Sunt igitur Deci-mæ non recenti memoria inuentæ, ſed vnà cum ipſa Chriſti fide natæ: non vi, non armis extortæ, ſed ſo-lo principis arbitrio, ac religione conceſſæ: non ad exigui ſpacium temporis, ſed quàmdiu Clerus in Polonia perdurârit. Hanc autem Mieczyſlai legem, cæteros, qui ipſum ſecuti ſunt, Reges, ratam legiti-mamq; habuiſſe, ipſi ſuo exemplo, geſtiſque, ſatis oſtenderunt. Omnes enim Clero ex agris ſuis Deci-mas dependerunt; & ſi qui minùs interdum, id quod mandârunt, ipſi exequerentur, eos pœnis grauiſsi-mis caſtigârunt. Vnde, cùm tempore Boleſlai Re-gis, aliqui in earundem Decimarum manipularium ſolutione difficiles ſe præberent; nullatenus paſſus eſt, inquit Dlugoſſus, Decimarum manipularium, pro Eccleſijs & miniſtris Dei, in vniuerſis Principa-tibus ſuo imperio ſubiectis, ſolutionem, aut varieta-

Boleſlaus an: 1020. apud Dlugoſſum.

H te aliqua

te aliqua diminui, aut in dubium aliquatenus reuocari: ſed decernit & mandauit, illam eſſe perpetuam & perennem; varia vltionis Diuinæ flagella, filijs, nepotibus, ſucceſſoribuſq; ſuis interminans, ſi per quempiam illorum, præfatarum Decimarum contingeret ſolutionem intercipi, tranſmutari, vel reſcindi. Et cùm rurſus nonnulli Nobiles Poloniæ, (inquit idem Dlugoſſus) ſathanâ ſuggerente, onerosam Decimarum manipularium ſolutionē, onerosos Chriſtianæ Religionis ritus dicentes; hi præſertim, qui in ſpurcitijs gentilitatis enutriti, iugum orthodoxum non facilè tolerabant, ad ritus redire prophanos, & vetuſtam ſacrilegamque vitam reſumere, & Decimas tempore inſtituto non reddere, nec Eccleſias frequentare, miniſtroſq; & Sacerdotes de eorum Eccleſijs pellere, frequenti conſpiratione diſponebant: id cùm ad Boleſlai Poloniæ Regis notitiam perductum eſſet, non tulit fideliſſimus fidei Catholicæ propagator, gliſcentem conſpirationem conſurgere, ſed in ipſo ſuo ortu illam mox extinxit. Auctores enim eius miſſis militibus comprehendit, & capita conſpirationis, partim capitali ſupplicio extinxit, partim verberibus mulctauit. Eius veſtigijs inſiſtens Caſimirus Magnus, cùm exorta cōtrouerſia in Minore Polonia eſſet inter Bodzantā, ipſumq; non de Decimarum iure, ſed de vecturis ſolummodò, rationeq; Decimas exigendi; ita demum litem finiuit, vt eam arbitrio Iaroſlai Gneſneñ: Archiepiſcopi,

[Margin: An: 1022.]

[Margin: Caſimirus Magnus, 1369. in Stat: fol: 53.]

ſcopi, reliquerit, eaſque leges Iaroſlao cenſente, ſumma Senatorum voluntate ediderit, quæ & Decimarum iura ſtabiliunt, & modum earundem perſoluendarum eum præſcribunt, quem Archiepiſcopus æquiſſimum opportuniſſimumque fore decernebat. Hunc etiam ſecutus Vladiſlaus Iagello, cùm quidam inuenirentur, non quidem qui Decimas iure deberi inficiarentur, ſed qui eaſdem tamen per vim iniquiſſimè ſibi vendicarent, pœnaſq; & cenſuras, quibus ob tantam iniuriam afficiebantur, ſuperbè contemnerent: eos quoq; grauiſſima lata lege coërcuit. Cùm autem non ita diu poſt, Caſimiro eius filio, Reipubl: habenas moderante, idem accideret; is parentem optimum imitatus, ſacrilegorum, decreto haud diſſimili, compreſsit audaciam. Deniq; ne omnium Principum decreta atq; ſanctiones memorem, idem, Alexander, Sigiſmundus I. alijq; Reges, in Decimarum firmādo iure, adeòq; exequendo, præſtiterunt. Quæ cùm ita ſint, quis te, calumniator, ferat, Decimarum originem, à bello neſcio quo, contra Saracenos ſuſcepto, Clemento III. Pontifice, facientem? Quis item ſuſtineat has Principum ſanctiſſimas & æquiſsimas leges, partim prætereuntem, partim inuoluentem, partim repudiantem, de ijſdem deniq; ita populariter ac ſeditiosè differentem, ac ſi Decimæ nec ijſdem ſtatuerentur, nec

[Margin: Vladiſlaus Iagello, 1443. in Statut: V. Decimæ.]

[Margin: Caſimirus 1458 fol: 66.]

[Margin: Caſimiri decr: tale eſt exordium: Si Regni noſtri ſubditis clementiæ noſtræ, & Regalis prouiſionis, in augendis iuribus, & immunitatibus, ac libertatibus cōſeruandis, ſinū extendimus: quanto magis Eccleſijs, vnde laus & honor altiſſimo Iesv Chriſto, omnium creatori, ſaluſq; prouenit animarum, nec nō perſonis & membris Eccleſiaſticis, id facere ac impendere conuenit.]

roborarentur? Quis deniq; te æquo animo patiatur, vetuſtiſsimorum Mieczyſlai & Boleſlai Poloniæ Regum, nullam planè mentionem facientem, eoſdemq; , ac ſi nihil vnquam de Decimis ſanciuiſſent, alto prementem ſilentio? Pudeat te, calumniator, tam mala fide peſsimam tueri cauſam: rudemq; nobilitatem tam improba legum, ſiue diſsimulatione, ſiue malitioſa & fraudulenta interpretatione, à ſanctiſsima & vetuſtiſsima Decimarum perſoluēdarum conſuetudine auocare. Efficies tamen nihil, nec vllum cauſæ tuæ afferes præſidium. Illas enim quas præteris, Mieczyſlai & Boleſlai ſanctiones, atq; geſta, aliorumq; Principum Decreta, perpetuò vrgebo, illiſq; vel ſolis proclamabo, Decimarum æquitatē abundè firmari. Caſimiri autem & Iagellonis, quas infringere conaris, leges ita tuebor, vt quiuis intelligat te improbum eſſe calumniatorem, & Iuris Poloni non interpretē, ſed vexatorem, & exagitatorē.

In contextu & ea habentur: Decimas, quas ſibi Deus in ſignum vniuerſalis dominij, pro alimento ſeruientium, reddi cenſuit, aliaq; animaduerſione digniſſima.

Sigiſmundi cōſtitutio Cracouiæ, 1532. Cùm magna pars Reipubl: noſtræ, in Ordine & ſtatu Eccleſiaſt: conſiſtat, &c. Eccleſiæq; Regni noſtri ſint ampliter dotatæ, cùm ad Diuinum cultum peragendum, & manutenendum, tum etiā ad viros literatos, &c. Ibidem etiam habētur Cōſtitutiones de Decimis, ex agris ſterilibus, ſculteto rū, hortis, terris vaſtatis, &c. deniq; ſoluendas eſſe ſecundùm priſcam conſuetudinē, dicitur.

CAPVT VII.

Caſimiri eſſe legem, quæ in Statutis extat, de Decimis, quamuis Iaroslai Archiepiſcopi Gneſnenſis, inter Caſimirum, & Bodzantam Epiſcopum Crac: arbitri, nomen præfixum habeat: eandemq; legitimam eſſe, ac perpetuam.

ET quidem initio haud ſcio, quonā pacto iuſtiſsimam, vel malitiæ, vel certè imperitiæ, ſuſpicionem effugere poſsis; qui, cùm Caſimiri Magni, & Iagellonis, de Decimis ſanctionum mentionem facias: Iagellonem tamen primum fuiſſe fingas, qui poſt commentitiam tuam, illam à bello ſacro Decimarum originem, eaſdem lege firmauerit. Vladiſlaum enim Iagellonem, Caſimirus Magnus, & ætate, & Decimarum prædatoribus coërcendis, anteceſsit. Sed hoc tibi donemus: nobis interim fiat poteſtas, vt, quod ordinis poſtulat ratio, priùs diſpiciamus, quibus rationibus Caſimiri legem labefactare moliaris. Sic igitur tu: [Leges, quæ Caſimiri nomine circumferuntur, non Caſimiri, ſed Iaroſlai & Bodzantæ ſunt. Illæ autem, quid ad nos? Clerum illi ſuum legibus illis obligare potuerunt, nos nullo modo. Tum etiam ſi eſſent Caſimiri voluntate editæ, &c. tamē abſq; Secularium conſenſione latæ, nullæ forent. Non enim deſcripti ſunt, *inquis*, præſentes equeſtris ordinis eius approbationis teſtes. Quod tamen in alijs Caſimiri legibus obſeruatum videmus. Et proinde nunquam pro legibus habitæ ſunt, priuſquam eas Laſcus inter leges Regni retuliſſet.] Deniq; cum vniuerſo clero eam tranſactionem fuiſſe factam pernegas, & proinde perpetuam eſſe nō potuiſſe. Quia tamen hæc omnia exiguam omninò vim habere ad legem infirmandam animaduertis, illud ſaltem calumniaris; [extare aliam Bodzantæ legem, quæ oſtendat Nobiles Decimā ſoluiſſe liberam, in Bodzantæ verò Decreto, à Decimis eos agros immunes pronunciari, qui à tempore Iaroſlai coli cœpiſſent; & cùm contrarium Clerus vrgeret, nobilitatem, Cromero teſte, repugnauiſſe.] Atque hæc tu

quidem affirmas, sed inuerecundè prorsus, & impudenter. Tam enim clarum atq; euidens est, hanc de Decimis sanctionem Casimiri esse, quàm aliam vllam ab ipso editam, & in Statutorum volumine comprehensam. Casimirus enim ipse, legem inprimis esse suam testatur: *Nos Casimirus*, inquit, *Dei Gratia Rex Poloniæ, significamus tenore præsentium, quomodo cupientes, &c.* Et mox Decreta aduersus eos, qui Decimas ad se per vim rapuerunt, sequuntur. Et vt ipsa legis æquitas declaretur, ipsius ferendæ caussas producit Rex: vt omnes, *inquit*, cuiuscunq; status & conditionis existant, honestè viuant, alter alterum non lædat, & ius vnicuiq; suum tribuatur. Tum ne minùs legitimè latam causari quis posset, de consilio, *inquit*, Venerabilis in Christo Patris & Domini, Iaroslai, S. Gnesneñ: Ecclesiæ Archiepiscopi; necnon Prælatorum, Palatinorum, Baronū, & vniuersorum Nobilium nostrorum, de Terra Poloniæ. Deniq;, vt legis ipsa perennitas & perpetuitas ostendatur: *Ad perpetuam*, inquit, *rei memoriā*. Si hæc Casimiri lex non est: quænam eius sanctio alteriusuè cuiuscunq; Principis esse censeatur? Quid enim in hac lege desideratur, quod in alijs quibusuis sanctionibus inuenitur eo consilio adiunctum, vt earundem auctor cognoscatur? Quòd autem Iaroslai & Bodzantæ nomina, legis statim initio ascripta sint, nihil siue veritati, siue firmitati legis derogat. Alio enim consilio, quàm legis statuendæ caussa, sunt

Apud Herbortum, fol: 53.

sa, sunt apposita. Primùm quidem voluntate Regis, qui eo in negotio opera eorundem vsus fuerat. Deinde necessitate. Siquidem illa ipsa sanctione, multum de seueritate in Decimis exigendis, tum vsitata, remittebatur. Hoc autem absq; Spiritualium consensu fieri non poterat. Deniq; stylo illius seculi, quo nondum certa formula legum ferendarum, vti nunc esse cernimus, præscripta fuit. Quòd verò singulorum Senatorum requiris nomina, iniuriam facis, cùm Casimirus ipse vniuersorum non Senatorū modò, sed etiam Nobilium consilio atq; suasu, eandem se tulisse dictitet: & aliorum quoq; Regū Decreta inueniantur, vbi ordine singulorum nomina non percenseantur; vt Ioannis Alberti Petricouiæ, Alexādri in Radom, & ipsius Casimiri, quod tu impudenter inficiaris, Visliciæ. Quòd deniq; non cum vniuerso Clero transactionē eam factam, (ita enim loqueris) & proinde perpetuam esse non potuisse causaris, friuolum est & inane. Quid enim obstat priuatam controuersiam, legi publicæ cōdendæ occasionem præbuisse? Quid item rationi magis consentaneum, quàm vt iniuriam, quam Bodzanta passus est, optimi Regis æquitate, lex publica ab vniuersis propulsaret? Quin & perpetuam esse potuisse, atq; adeò perpetuam euasisse, Casimirus ipse testatur; & Decimarum pendendarum in Polonia consuetudo docet. De Lasco Episcopo, quod memoras, nihil moror. Nisi enim Lascum legem ipsam condi-

Ioannes Albertus, Petricouię An: 1496. fol: 96. Alexander in Radom, An: 1505. fol: 9. Casimirus Visliciæ, An: 1368. fol: 8.

condidiſſe oſtenderis, nihil effeceris. Si enim quia in volumen Statutorum ipſe retulit, minus eſt legitima ſanctionis auctoritas: & aliæ abrogentur leges, quas Herbortus ſparſas ac diſsipatas comportauit. Interim de Laſco hoc dicere habeo, nullum extare volumen aliud, in quo Statuta deſcripta ſint, Regum, Ordinumq; conſenſione, approbatum, & in Archiuijs, primarijſq; Eccleſijs, in charta pergamena aſſeruatum, vſuq; ipſo & cõſuetudine tritum, præter hoc vnum, quod Laſcus compoſuit. Ex eo Herbortus & Przyluſius, omnia deſumpſere; hic tamen, quia varia hæretica commenta Statutis appoſuit, exploſus eſt ab omnibus. Et quod caput eſt, vniuerſalibus Sigiſmundi Auguſti literis proſcriptus: quas literas, eſt qui tibi ſi velis, eiuſdem Regis ſigillo munitas, oſtendere poſsit. Sed enim hanc, ſiue legẽ, ſiue ſanctionem, à Iaroſlao quidem ſcriptã, Caſimiri iuſſu editam, in veris Regni legibus, in præſentia eſſe numerandam, illud præterea oſtendit, quòd Vladiſlaus Iagello, hæc atq; ſimilia Cleri Priuilegia, in vniuerſum lege communi Ordinum conſenſu lata, ſtabiliuerit: *Vt indigenæ*, inquit, *noſtri, tam Spirituales, quàm Seculares, abſq; vlla ambiguitate, Iuribus & Priuilegijs, quæ illis ſunt dudum à prædeceſſoribus noſtris datæ, ſecuriùs vti poſſent, nec aliqua circa eorum continentiam hæſitantia ſuſpendi: omnia & ſingula Priuilegia, libertates, & conceſsiones, quas obtinent, ſub quacunq; verborum forma, &c. in omnibus punctis innouamus.*

Iagello prope Czervviensko, An: 1422.

nouamus. Et alibi idem ipſe Vladiſlaus, omnes Eccleſias, in omnibus earum iuribus, immunitatibus, ac diſtinctionibus antiquis, quibus temporibus Dominorum, *inquit*, Prædeceſſorum noſtrorum, fruebantur, conſeruamus: ibidemq; omnes conſuetudines, tempore Caſimiri Regis, & aliorum, per Spirituales obtentas, approbat. Quo quidem Priuilegio, omnes Iaroſlai & Bodzantæ legis clauſulas, atque partes confirmatas, liquidò patet. Siquidam nullæ aliæ eiuſmodi diſtinctiones (vt cum Iagellone loquar) metæ, puncta, in Statutis Caſimiri, ſi has exceperis, extant. In eandem fermè ſententiam, Ioannes Albertus ait ſe confirmare omnia Eccleſiæ iura, tam ordinaria, quàm extraordinaria, deciſiones & arbitria, per quaſcunq; perſonas facta, & data. Quibus verbis clariſſimè indicat ſe leges has, quas Bodzantæ & Iaroſlai dicis, approbauiſſe. Iam verò quòd contendis, etiamſi hæ leges legitimæ habeantur, nulla tamen ratione vniuerſos obligare; quoniam Bodzantæ lex inueniatur, qua innuit Nobiles pendiſſe Decimam liberam, alios verò illiberam, neſcio quale ſit; nec ego tale ſtatutum reperio vſquam. Vocem quidem (illiberam) inuenio in eodem Caſimiri & Bodzantæ Decreto; ex ea tamen Nobiles liberas & arbitrarias ſoluiſſe Decimas, ſanè non colligo. Hæc enim Decreti verba ſunt: *Item decreuimus: quod vbicunq; aliquis Nobilis, alteri Nobili ſibi æquali, hæreditatem ſuã obligauerit, & creditor agros*

In Iedlna, & poſtea Cracouiæ, Iagello anno 1433.

Ioannes Albertus, An: 1501.

In Statut: fol: 56.

coluerit, in ea Decimam frugum de agris suis soluat illi Ecclesiæ, cui is, qui obligauit soluere, conseruat ab antiquo. Ita illud haud scio, an queas ostendere, quod de Iaroslao ex Cromero refers, in eius nimirum lege formulam hanc inueniri; vt qui agri à Iaroslai temporibus primum coli cœpissent, illi à Decimis pendendis prorsus liberi haberentur. Neq; equidem mihi queo persuadere tale quidpiam extare, cùm Iaroslai lex, quæ in Statutis inuenitur, de omnibus in vniuersum agris decernat: & ea perpetua fuerit consuetudo, vt ex omnibus agris, nullo discrimine, Decimæ soluerentur. Est igitur hæc tua, calumniator, excogitata ad veritatem labefactandam inuẽtio. Casimiri interim sanctio firma, fixaq; manet, & à tuis calumnijs tutissima. Nunc superest, vt, quoniam Vladislai quoq; Iagellonis Decretum conuellendum tibi suscepisti, id quibus fretus rationibus facias, disquiramus.

CAPVT VIII.

Vladislai Iagellonis sanctionem, de Decimis, legitimam esse, nec à Ludouico, aut Sigismundo Augusto, abrogatam.

MVlta sunt cauillationum tuarum, calumniator, capita, quibus huius auctoritatem legis infringere niteris, sed inania ita, & friuola omnia, vt nullo negotio refellantur. Cùm enim ita differis: Ludoui-

[Ludouicus Rex, ab omnibus contributionibus, censibus Regijs, Nobilitatem Polonam antea fecit immunẽ; non potuit ergo Iagello successor eius, priuata auctoritate, Nobilitatem nouis contributionibus onerare.] Respondeo tibi: Decimas contributiones non esse, ac multò minùs nouas contributiones; vtpotè, quæ vnà cum fide Christiana in Polonia cœperint. ac Ludouicus, Decimarum ne verbo quidem meminit, Nobilitatem autem Polonam, à tributis solùm facit immunem. Hoc autem quid ad rem? ab ijs enim nobilitatem liberam facit, à quibus ipsi potestate Regia licuit: à Decimis neq; liberat, neq; liberare quidem potuit, cùm id ad ius Diuinum pertineat, & ante eum Mieczyslai, Boleslai, & Casimiri Magni, leges extiterint, quibus vniuersi ad Decimarum solutionem astringerentur. Cùm rursus [Ordines sub Sigismundo Augusto, narras, Priuilegiũ à Iagellone datum, arte atq; precibus extortum iudicauisse, & proinde idipsum abrogauisse,] impudenter, pace tua dixerim, mentiris. Vbi enim tale Ordinũ extat de Iagellonis Priuilegio iudicium? Vbi quoque sanctionis ipsius abrogatio? Illud solùm quibusdam importunè flagitantibus, Sigismundus annuit, ne Capitanei exequi tenerentur, quod Ecclesiastici in eos statuerent, qui Decimas non soluissent; verùm & hoc vniuerso Clero repugnante, & reclamante. Quod proinde & iniquè factum, & contra leges sancitum, nullam vim legis obtinere potuit, vt antea pluribus demonstraui. Ne illud memorẽ, hoc quo-

Ludouicus an: 1374. Fol: 40.

Capite 5.

hoc quoq; Decretum qualecunque, ab eodem po-
1565. ſtea Sigiſmundo fuiſſe antiquatum. Cùm etiam [illos ſolos Priuilegio Iagellonis notari, ais, qui Decimas rapuerunt, non autem eodem definiri Decimas ex agris Nobilium, ad Eccleſiaſticos iure pertinere:] ipſius Priuilegij verbis te refello. *Quicunq; Princeps*, inquit Iagello, *ſeu Capitaneus, Baro, aut Nobilis*, &c. *Decimas* (*quas ſibi Deus in ſignum vniuerſalis dominij, pro alimento ſeruientium, reddi cenſuit*) *rapuerit, inuaſerit, &c.* Iure enim Diuino, Decimas ad Eccleſiaſticum Ordinem ſpectare, lex dicit: à quo Nobiles ſanè non magis quàm plebeij, (cùm omnes conſtringat æquè) excipiuntur. Vt autem alijs verbis rem totam lex exprimeret, nulla planè erat neceſsitas, cùm ex Nobilium numero, prorſus nemo, Decimas deberi Clericis, inficiaretur: etſi quidam alieni cupidiores, eaſdem per ſummam iniuriam ſibi vendicarent. Cùm deniq; ais, [in Priuilegio commemorari Caſtra, Villas, poſſeſſiones Eccleſiæ, & proinde non in Secularium, ſed Eccleſiaſticorum bonis, Decimas intelligi debere,] fraudulentiſſimè, & malitioſiſſimè calumniaris. Priuilegij enim ea eſt formula, vt primùm eos qui Decimas rapiunt, tum autem & eos, qui domos, villas, caſtra, &c. ad Eccleſias, piaque loca ſpectantia inuadunt, caſtiget. Quin & in hoc ipſe tibi, ô bone, contradicis. An non tua illa initio huius diſputationis, ſunt verba: [Iagello precibus & perſuaſionibus victus, literas dat Clericis, quibus Decimas in ſuo Regno exigēdas, permittit.] Oportet, iuxta prouerbiū, mendacē eſſe memorē.

C A-

CAPVT IX.

Decimas Eccleſiaſtico Ordini iure deberi, ex vetuſtiſsimis Regum Poloniæ diplomatibus: ex Regum ipſorum exemplo, qui ex bonis ſuis ſemper Decimas dependerunt: ex ipſo deniq; Præſcriptionis iure, manifeſtum eſſe.

IVre ergo naturæ, Diuino & humano, ab vniuerſis Poloniæ proceribus, in volumine Statutorum probato, & recepto, Decimæ Eccleſiaſtico debentur Ordini: vt ex Diuinis literis, grauiſſimorum Scriptorum teſtimonijs, vetuſtiſſimarumq; legum auctoritate demonſtraui. Nunc autem, quoniam & alia ſuppetunt argumentorum genera, quibus Decimarum æquitatem ſtabiliamus, & ipſa quoq; cōprehenſa paucis proferamus. Illud autem primum ſit, quòd vetuſtiſſima extent Priuilegia, Eccleſijs ſingulis propria; ex quibus conſtat Clericis, ſtatim cū ipſa Chriſtiana Religione, ius Decimas accipiendi fuiſſe tributum. Et quidem primò Archiepiſcopum Gneſnenſem Decimas habuiſſe, antequam Caſimirus, vocabulo iuſtus, Poloniæ Dux eſſet, ex Priuilegio Inſtitutionis, vetuſtiſſimæ Abbatiæ Suleiouień:
oſtendi poteſt. Boleſlaus enim Dux, cognomento Boleſlaus Pudicus,
Pudicus, in diplomate ſuo, confirmat & recitat di- an: 1202.
ploma Aui ſui, Caſimiri Iuſti, in quo ſub finem hæc An: 1176.
clauſula inuenitur: *Sciendum deniq;, quòd Dominus Petrus Gneſnenſis Archiepiſcopus, huius ſancti operis coadiutor,*

adiutor esse cupiens, Diuina instinctione, & in ea ex Fulconis Crac: Episcopi petitione, Decimam de Silio, cũ pertinentijs suis; Decimam de Belai, de Lánczno, de Mileiow & Stampitz, de Sbilow & Domocelanes, contulit eisdem Fratribus. Ecclesiam quoq; de Baldricow, cum Decimis; Decimam de Standow, de Cheuam, de Pasturow contulit, & Sigilli nostri & sui, & Fulconis Episcopi Crac: munimine roborauit. Istæ porrò villæ, aut sanè ex eis pleræq;, Casimiri Ducis erant, vti ex eodem Priuilegio colligitur. Archiepiscopus nihilominus in eis Decimas possidebat, quas Fratribus, petente Fulcone Crac: Episcopo, est elargitus. Hoc idem de Decimis, Cleri reliqui, ex antiquissimo Priuilegio institutionis Abbatiæ Wangrouecensis, à Sbilutho Ciue Poloniæ, coram Messicone Duce,
An:1153. colligi potest, in quo hæc clausula sub finem subijcitur: *Et hæ sunt villæ, quarum Decimæ attinent B. Petro; Bartozegæ, Slozim, Bukouæ, Dambroniki, &c.* Et
An:1291. deinde: *Igitur si quis hæc violauerit, anathema sit.* Venceslaus etiam Rex Boëmiæ, Dux Cracou: & Sendom: omnes fundationes Ecclesiarum, Monasteriorum, Decimasq;, nominatim suo Priuilegio
Casimirus Magnus, 1337. Crac. stabilit, atq; roborat. Casimirus quoq; Magnus, in singulari ac præcipuo quodam Diplomate, Ecclesiæ Gnesnensi concesso, de Decimis ita decreuit: *Adijcimus decernentes, quòd milites non impediant, nec prohibeant, in grandijs villanorum suorum, venditionem liberam Decimarum, ne propter hoc Deus prouocetur, cum iuxta*

eum iuxta ius naturale, liberum esse debeat, de re propria disponere, prout placet. Iure ergo naturæ, si Casimiro credamus, Decimæ ad Clerum spectant. Et infra: *Etiam declarantes adijcimus, quòd sicut Gnesnensem Archiepiscopum, & suam Ecclesiam, inuenimus in possessione & perceptione telonei Decimæ septimanei, in infrascriptis locis, & Ciuitatibus nostris, videlicet, in Chalicz, in Piotricouia, in Siradia, &c. ita eos voluimus remanere perpetuò, in perceptione huiusmodi Decimæ septimanei telonei prædicti, pacificè, & quietè.* Idẽ In Priuilegio, Dat: Posnaniæ, 1360.
etiam ipse Rex, postmodum concordiam inijt, perpetuò duraturam consilio Baronum terræ Poloniæ, cum Iaroslao Gnesnensi Archiepiscopo, de Decimis, de Maldratis, Fertonibus, ex Terris Poloniæ & Lancitiæ, ad Clerum spectantibus, aliaq; complura laude dignissima, decreuit. Testis & vetustissimæ Decimas pendendi in Polonia consuetudinis, est Innocentij II. Pontificis (qui post Christi fidem in Polonia receptam, annum circiter centesimum & trigesimum vixit) Bulla, Anno Incarnationis Dominicæ 1136. Pontific: Innocentij Anno 2. edita; in qua iam Dioeceses in Polonia constitutas, & præsertim Gnesneñ: cum bonis Ecclesiæ eidem attributis, nominatim commemorat, & Decimas manipulares cuiusuis generis, etiam ferri, plumbi, pellium, mellis, &c. quæ ad Ecclesiam Gnesneñ: spectabant, & antea persoluebantur recenset, ipsasq; suo quoque Diplomate roborat, & confirmat. Quam quidem Bullam

Bullam approbat, & ſe vidiſſe teſtatur Caſimirus Magnus Rex Poloniæ, in ſuo illo Priuilegio, Crac: Anno Dñi, 1357. dato. Atq; ita in eorum bonorum & Decimarum poſſeſsione, & vſu, à prædicta Bulla, Eccleſia Gneſneñ: fuit. Quæ Bulla, cùm centum circiter annis, poſt fundatam in Polonia Religionem, promulgata fuerit, nimirū planum omnibus, teſtatumq; facit, Decimas, à plantata in Polonia Religione Chriſtiana, Clericis orthodoxis deberi: eaſdemq; bello Saladini eſſe antiquiores. Teſtis quoq; eſt & alia Eugenij III. Bulla, qua donationem factam Wernero, Vladiſlauienſii Epiſcopo, Caſtri Gdańsk, in Pomerania, cum Decima, tam annonæ, quàm omnium eorum, quæ de nauibus ſoluuntur, ratam, legitimamq; decernit. Teſtes innumeratæ aliæ ſanctiones, ac diplomata, vetuſtiſsimorum tum Poloniæ Principum, Przemiſlai Ducis Poloniæ, Boleſlai, Samouiti, Boleſlai alterius, Caſimiri, aliorumq; Maſouiæ Ducum, ac Ludouici Hungariæ & Poloniæ Regis, aliorumq; Poloniæ Regum recentiorum: tum Romanorum Pont: Eccleſiæ Cracouienſi, Vladiſlauienſi, Poſnanienſi, Plocenſi, alijs conceſſa, quæ breuitatis ſtudio, volens atque lubens prætereo. Vnum tantùm hîc apponam Sigiſmundi I. ſcriptum, quod ad Pruſſos de Decimis, Epiſcopo Vladiſlauienſi pendendis, miſit, ſapiens planè ac religioſum.

Bellum Saladini, circa annum D. 1190. Euge: III. An: 1148. in lib: Priuileg: Eccleſ: Vladiſl: fol: 57. An: 1252. An: 1297. in Sochaczeuo. An: 1300. Budę, 1385. 24. Ian.

SIGI-

SIGISMVNDVS REX,

Ad Conſiliarios Terrarum Pruſsiæ, de Decimis Epiſcopo Vladiſlauienſi pendendis.

Magnifici & Generoſi, ſyncerè nobis dilecti. Accepimus literas veſtras, quibus neſcimus, prolixenè magis, an indignè, nobis, cùm aduerſus Decretum noſtrum, quod de ſoluendis Decimis Epiſcopo Vladiſlauienſi, Anno ſuperiore, iuſtè & æquanimiter tulimus, reſpondetis: idq; agitis, docentes nos, quaſi nouum aut deſultorium Chriſtianum, de lege gratiæ, de ſublato Sacerdotio Leuitico, de non contribuendo Paſtoribus, niſi paſcant, & alijs tritis iam Apoſtatarum cantilenis: non temperantes interim ab aculeis in ſuum Epiſcopum & Paſtorem: vnde vehementer miramur, quæ eſt iſta noua Chriſtiana ratio. Quia per legem gratiæ, quæ tantùm legi iram operanti contradicit, per libertatem Euāgelicam, quæ ſolum ſeruituti peccati opponitur, duplex, idq; ingens peccatum, aduerſus Diuinas & humanas leges, committitis: Alterum, non reddendo proximo ſuo, atq; adeò Paſtori, quæ ſua ſunt: Alterum, literis & Decretis Principis ſui non parendo. Si per legem gratiæ, liber eſt populus à ſoluendis Decimis, quæ miniſtris Dei debentur, eadem lege liber erit à ſoluendis tributis, quæ alijs ordinibus & poteſtatibus debentur. Nam lege gratiæ, omnes pariter Chriſtiani in vnam libertatem ſunt

K

aſciti,

asciti. Si ob hoc, quod sublatum est, sacerdotium Iudæorum, non plus habeant sacerdotij Christiani Sacerdotes, quàm id quod commune est omnibus, neq; illis suos prouentus debetis: pari ratione abolito Regno Iudæorum, Christiani non plus erunt Reges, quàm cæteri Christiani. Nam per legem gratiæ, omnes ex æquo Regale sacerdotium esse censentur. Quod si Christiani Principes, Decimas & prouentus successoribus Apostolorum non rectè contulerunt: minùs rectè Apostolis ipsis primi illi Christiani, precia bonorum suorum omnium conferebant. Si nefas est, Pontificem ob non redditas Decimas populum excommunicare: maius erit nefas, quod Apostoli, ob negatam pecuniam, Ecclesiæ dicatam, vtraq; morte condemnabant. Si non pendendum est Pastori, nisi pascat, & doceat: non pendendus erit etiam à plebe suus census, Ordini seu statui militari, nisi militet, & populum Dei tueatur. Si deniq; non sunt validæ dotes & Priuilegia, Maiorum & antecessorum nostrorum, Ecclesiasticis collata: cuius erunt firmitatis illa alijs Ordinibus, sub paribus signis, pari atramento & pelle, concessa. Atq; hæ sunt illæ Euangelicæ rationes, quæ nunc orbem terrarum, seditionibus, tumultibus, periurijs, & sacrilegijs, implent. Graui igitur & molestißimo animo ferimus, quod aduersus Decretum nostrum, tales literas, talibus impijs dogmatibus consutas misceritis, quæ non solum indigna sunt auribus nostris, & ab vniuersa Ecclesia Catholica damnata; sed etiam à nobis, & alijs Christianis Principibus, publicis edictis vetita: & proinde de-

inde denunciamus vobis hanc immutabilem sententiã, & voluntatem nostram, quod Decretum ipsum nostrũ, iustè & legitimè latum, nulla ex parte mutaturi, neque Dominum Episcopum, & iura ipsius, nostro debito patrocinio deserturi sumus. Et si in ea contumacia perseuerare volueritis: Nos id, quod ad iustum & Christianum Principem attinet, exequemur. Datum Petricouiæ, decima Ianuarij, Anno Domini, 1528.

Atq; hæ omnia sunt huiusmodi, vt, si nihil in Statutorum volumine de Decimis extaret, satis superq; Decimarum æquitatem comprobent, adeòq; seculares astringant, vt easdem studiosè diligenterque dependant. Alterum, pro Decimarum æquitate, argumentum illud sit, quod ex Regum omnium desumitur exemplo. Constat enim omnes, qui hactenus vixerunt Reges, adeòq; ipsum postremũ, omniq; memoria dignum, Stephanum, ex agris suis Regijs Decimas Clero dependisse; & decreuisse non semel, vt ex iure (quod terrestre vocant) liquet, etiam post intermissam iurisdictionem, vt Decimæ ab alijs dependerentur. Quorum & exempla, & Decreta, ac Mandata, quæ dicunt, etiam Sigismundi Augusti, Episcopis, & Capitaneis data, tantum valuere, vt subsecuta sit eorundẽ perpetuò executio, donec maledictum compositionis nomen, iustitiæ cursum retardauit. Inficiari non potes. Hoc autem ipsorum factum est eiusmodi, vt ex eodem, & legum interpretationem, nobilitatis vniuersæ autoramen-

toramentum, Decimarumq; perſoluendarum obligationem habeamus. Quæ enim legis explicatio certior, Regis ipſius facto & exemplo, vim ipſam legis, non animo modò, ſed oculis etiam ipſis obijciente? Quî etiam fieri poteſt, vt ſubiectorum bona, libera magis ſint & immunia, Regis ipſius poſſeſsionibus? An maiores ſubditorum, quàm Principum prærogatiuæ? An poſſeſsiones à Regijs deriuatæ, à Regibuſq; ipſis quæſitæ, præſtantioribus, quàm ipſorum Regum fundi, Priuilegijs vallari, & muniri poſſunt? An is, à quo omnia emanant Priuilegia, ſolus ijſdem careat? Quod igitur Rex ſibi non vendicat, nullo modo ſibi tribuere ſubditi poſſunt. *Si enim* (Ambroſius ait) *cenſum Filius Dei ſoluit: quis tu tantus es, qui tibi non putas eſſe ſoluendum? Non debet ei, cui quod minus eſt non licet, quod amplius eſt licere.* Cùm igitur, vt rem à capite arceſſam, Mieczyſlaus Rex, ex ſuis, ſubditorumq; poſſeſsionibus, Decimas pēdendas edicto perpetuo cauerit, ipſeq;, & poſteri, eaſdem perſoluerint; nulla ratione ab eorum autoramento, ij, qui in eorundē ditione & poteſtate ſunt, immunes eſſe queunt. Quinimò, etiamſi de Decimis nulla omninò extaret lex, Regis ipſum factum, loco legis habendum eſſet. Ea eſt enim omnium gentium, ac inprimis Poloniæ conſuetudo; vt vbi lex ſcripta deeſt, ad exempla Maiorum, ac Regum, maximè recurratur, ab ijſdemque quid ſtatuendum, ac decernendum ſit, in dubijs & ambiguis

In Lucam.

ambiguis accipiatur. Tertium ex ipſa præſcriptione firmiſsimum eſt ſumere argumentum. Legibus Regni ſancitum eſt, triennij rei cuiuſpiam poſſeſsionem ſufficere, vt quis nequeat rei poſſeſsione dimoueri. Eccleſiaſtici autem non iam trium annorum ſpacio, ſed ab ipſo Chriſtianæ religionis principio, Decimas in Polonia poſſederunt; ac in præſentia, vbi æquitas locum habet, poſsident: nemo igitur niſi iniuria eaſdem ſubtrahere, aut vſurpare poteſt: maximè cùm ipſa præſcriptio tot roborata legibus, tot vallata Priuilegijs exiſtat. Vt tu hoc loco iure falſitatis arguaris, qui hanc Decimarum pendendarum conſuetudinem, ex libera hominum voluntate, non autem ex neceſsitate legis profectam comminiſceris: in eo etiam meritò reprehendaris, quod adeò iuris imperitus ſis, vt neſcias, vel ipſam conſuetudinem præſcriptione roboratam, vim legis apud omnes gentes perpetuò obtinuiſſe.

Caſimirus Magnus Viſliciæ, fol: 18.

CAPVT X.

Decimas non deberi Miniſtris hæreticorum, propter Confœderationem, vt fingit calumniator: Confœderationem autem nullam eſſe in Polonia legitimè factam, ac ne fieri quidem poſſe.

ANimaduerteras tu, opinor, calumniator, quamuis id diſsimulare, quàm fateri malueris, maniſeſtius

festius esse Decimas Ecclesiastico Ordini deberi, quàm vt negari, nisi impudentissimè posset. Quare id tandem & ipse, quamuis timidè, confiteris, illudque peroptas solùm, vt ministris tuis hæreticis potiùs quàm Clero Catholico dependantur. [Maiores, *inquis*, nostri non aliam ob causam, Decimas pendebant Sacerdotibus, quàm ob sacrorum communionem. Cur ergo nobis non liceat eis Decimas dependere, quorum Dei colendi præscriptum & doctrinam sequimur, suadente conscientia? An non hoc iam liberum cuique, cùm liber cultus permissus sit religionis?] Et ad extremum permolestè fers, Catholicos in Comitijs eam conditionem abnuisse. Itanè verò? Ministris ergo decimas dependere vultis? & Christi aduersarijs, Christi hæreditatē, à legitimis possessoribus ereptā, tradere? Quo iure? Qua nixi consuetudine? Ego sanè in vniuerso Statutorum volumine, legem nullam descriptam inuenio, quæ id decernat, ac multò minùs vllius, apud quemcunq; Historicum consuetudinis mentionem, quæ Decimas Ministris dependi suadeat. Si quæ autem de hæreticis extant leges, vt sanè sunt complures, ea nulla ijsdem decernunt præmia; sed eos proscribunt potiùs, eorumq; bona omnia fisco addicunt: & Diuinæ literæ hæreticis nō mercedem aliquam, sed pœnas vbiq; ac supplicia proponunt. Vt vel hinc conijcere posis, quid tuis ministris debeatur. Adhæc Decimas, Mieczyslaus, Boleslaus, Casimirus Magnus, Reges cæteri, vniuersa deniq; Nobilitas, non Ministris ad Regnorum interi-

Vladislaus Iagello in Wielun. fol: 75. Confœderatio Principum in Korczyn, An: 1438. fol: 76.

interitum & euersionem natis, sed sui similibus; id est, Catholicis Sacerdotibus, alendis & sustentandis, reliquerunt. Vt iam minimè fas tibi sit, alienum tuis ministris tradere. De libero cultu religionis permisso, quod ais, mendacium est. Nunquam enim alia in Polonia, præter Catholicam, probata & recepta est. *Confœderatio enim, bona nobilitatis parte, ac Clero vniuerso reclamante, per vim & fraudes, tum in Augusti Interregno, tum in postrema Ordinum Conuocatione, introducta est.* Et proinde, aduersus veteres Principum contra hæreticos conspirationes, & Confœderationes, & sacratissimas Regni leges, (quę omnium Ordinum consensum ad aliquid faciendū requirunt, & nihil in Comitijs tractari volunt, quod Nuncijs à Nobilitate in mandatis datum non fuerit) nisi omnia violentur ac imminuantur iura, valere nequit. Sed præstat Confœderationes ipsas, legesq; aduersus hæreticos latas, hîc adscribere. Sic igitur Ordines Regni in Korczyn, cùm hæc præfati fuissent: *Nos Principes, Spirituales & Seculares, Barones & Comites, Proceres, Milites, Nobilitas, Ciuitates, totaq; Communitas Regni Poloniæ, singulariter singuli, & vniuersaliter vniuersi, eodem animo, eadem voluntate, scientia, assensu, & ratihabitione: omnes vnanimiter decernimus, & significamus tenore præsentium, &c. quòd quicunq; existat indigena Regni Poloniæ, &c. vellet aliquas inobedientias contra ius terrestre, commune, &c. aut etiam hæreticales errores facere, vel promo-*

Alexand: in Radom, fol: 265.

An: 1438. die 3. Martij.

promouere: contra talem, siue tales, cuiuscunq; status, gradus, conditionis, & praeeminentiæ fuerint, siue Spirituales, siue Seculares, & in eorum destructionem consurgere volumus, & promittimus, sub fide & honore nostris, absq; dolo & fraude: nec ipsis auxilio, vel fauore, patrocinari volumus, sub fide & honore nostris; etiamsi sanguine, affinitate, & quacunq; propinquitate fuerint nobis, aut alicui nostrûm coniuncti: nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed eos, & eorum quemlibet talem punire volumus, & promittimus. Atq; hæc illi, & Christianissimè, & sapientissimè. Quàm verò dissimiliter isti, qui vel in Augusti Interregno, vel nuper in Conuocatione, Confœderationem architectati sunt? Libet enim alteros cum alteris conferre. Illi: *Nos Spirituales & Seculares.* Hi: Nos Seculares. Constat enim Ecclesiasticum Ordinem vniuersum, impiæ huic conspirationi refragatos. Illi: *Quicunq; hæreticales errores facere, vel promouere vellet, in eorum destructionem consurgere volumus.* Hi: Omnes in sua religione quietos sinemus. Illi denique: *Nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed punire promittimus.* Hi: Eos defendemus ac tuebimur, ac si qui ipsis fuerint impedimẽto, quo minus hæreses suas liberè, licenterq; disseminẽt; ij grauissimis afficientur pœnis. Quæ tamen omnia talia sunt, vt satis ostendant hanc Confœderationẽ priori illi contrariam ac repugnantem, non tam Cõfœderationem, quàm impiorum aduersus Dominũ, & aduer-

sus Christum eius, conspirationem esse: ac proinde eiusmodi, quæ nullum in Regno, optimis firmato legibus, locum habere debeat. Sed non fuit hæc sola Principum in Polonia Catholicorum contra hæreticos Confœderatio, quin & eam aliæ haud dissimiles antecesserunt, & vna Masouiæ Ducis cum suis, contra Lutherum est subsecuta, quas breuitatis studio prætermitto. Iam verò leges præstantissimorum Poloniæ Regum, contra hæreticos latæ, innumeræ propemodum inueniuntur. Adscribam paucas. Vladislai Iagellonis sanctio est: *Maturo consilio Prælatorum, Principum, ac Baronum nostrorum, habito & consensu, præsentibus decernimus, & pro firmo, constanti, & pro irrefragabili edicto teneri præcipimus: Vt quicunq; in Regno Poloniæ nostro, & terris nobis subiectis, hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit: per nostros Capitaneos, Consules Ciuitatum, & alios Officiales, ac quoslibet subditos nostros, siue in officijs, siue extra viuentes, velut Regiæ Maiestatis offensor capiatur, & iuxta exigentiam excessus sui puniatur.* Ac mox grauissimæ subiunguntur pœnæ decretæ, in eos Regno Poloniæ subiectos, qui ad tempus præscriptum ex Boëmia non redirent. Idem quoq; ipse Iagello, Dignitarios, quos vocant, statuit non esse eligendos alios, quàm qui fuerint Catholici, & Romanæ Ecclesiæ obtemperantes: *Nec etiã,* inquit, *aliqua officia terræ perpetua, vt sunt, Dignitates, Ca-*

[Margin notes: Varszauiæ in Comit: An: 1520. — In Wielun; 1424. — Fol: Stat: 126.]

tes, Castellanatus, &c. obeant; quia sæpè diuersitas cultus diuersitatem inducit animorum. Ac ad extremum concludit: *Omnes libertates, gratias* (verba decreti sunt) *illis tantummodo concedi, qui sunt cultores Christianæ Religionis, Romanæ Ecclesiæ subiecti.* Sigismundus I. huius insistens vestigijs, plurima & sapientissimè, & sanctissimè, in eandem sententiam decreuit. In hæc enim verba Torunij legem sanciuit: *Manifestum facimus harum serie literarum, quòd intelligentes, ad Regnum & Dominia nostra, inferri nonnullos libellos cuiusdam fratris Martini Lutheri Augustiniani, in quibus multa continentur, tam contra Sedem Apostolicam, quàm etiam in perturbationem communis Ordinis, & status rei Ecclesiasticæ, & religionis. Cùm enim in Regno nostro, ex huiusmodi scriptis, errores aliqui pullularint, officij nostri, vt Christiani Principis, & fidelis filij sanctæ matris Ecclesiæ, esse duximus, vt authoritate & potestate nostra Regia, huic cœpto noxio resisteremus. Mandamus itaq; vobis omnibus subditis nostris, & cuilibet vestrum seorsim, vt nemo deinceps audeat talia opera, vt præmissum est, in Regnum, & Dominia nostra inferre, vendere, aut illis vti; sub pœnis confiscationis bonorum, atq; exilij: quas vnusquisq; mandatum nostrum transgrediens, sine vlla excusatione, tam ignorantiæ, quàm alterius causa subibit.* Et Cracouiæ haud dissimiliter: *Nos pro officio Christiani Principis, eam ipsam religionem, à SS. Patribus ordinatam, ac per sanctam Ecclesiam Romanam directam,*

Torunij, 1520.

Cracouiæ, 1528.

directam, nobisq; à Maioribus nostris per manus traditam, ac per nos quoq;, & gentes nostras, multo sanguine, & clarißimis gratia Dei victorijs hactenus defensam, à labe hæretica his temporibus in vicinia emergente, integram ac immaculatam, in Regno ac Dominijs nostris conseruare volentes, publicis edictis mandauimus, &c. ne qui dogma ipsum pestiferum, ac iam pridem damnatum, approbare, profiteri, vel tueri auderet, sub pœna capitis, & confiscationis bonorum omniũ, &c. Eiusdem quoq; Edictum extat, contra religionis innouatores, grauissimum, & seuerissimum: *Audimus,* inquit, *permultos esse in Regno nostro factiosos, & nouandarum rerum cupidos homines, qui sectas ab orthodoxis Patribus, in vniuersalibus Concilijs reprobatas, non in occulto saltem sectantur; sed & publicè profitentur, & dißeminant: non sine contemptu piarum sanctionum, à sancta Catholica Ecclesia institutarum, & receptarum, atq; Edictorum nostrorum. Esse item non paucos, qui liberos, propinquos, & affines suos, Wittebergam mittunt, vt illic mox ab ineunte ætate, priusquam nouerint malum à bono discernere, pestifera dogmata, ab ipso Luthero, qui horum malorum caput est, imbibant, & postea in Regno nostro diffundant, & propagent. Quæ res quàm feliciter vicinis circum circa Regionibus ceciderit, nemini obscurum est. Videmus enim luce meridiana clarius, quantæ seditiones, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio, quanta pietatis ruina, quanta deniq; honestatiq;*

An:1354.

statis euersio, ex his initijs excitata sit. Quod ne nobis quoq;, & subditis nostris, vnquam vsu veniret, cauimus aliquoties edictis nostris, grauibus pœnis in transgressores constitutis. Et infra: *Quod attinet ad eos, qui apud Lutherum, vel apud quoscunq; alios factionũ istarum principes, vitam degunt; ijs omnem aditum, ad quasuis Dignitates & Magistratus, præcludemus*
Cracouiæ, 1543. *in posterum.* Deniq; Cracouiæ, ne violari, aut immutari religio in Polonia posset, hanc quam subiungimus, æquissimam sanctionem condidit. *In eo cum Consiliariis nostris, & Nunciis terrestribus, conuenit nobis, vt liberum sit vnicuiq; nostrorum subditorum de Regno nostro exire, ad quamcunq; Regionem vellet, videndi, seruiendi, & se in bonis moribus, ac honestis disciplinis, exercendi causa, & propter bonas literas ab Ecclesia admissas: alioqui, si quis rediens ex aliena Prouincia, qualescunq; nouas doctrinas, aut libros propagare, subministrare, & vti illis vellet; is iuxta antiqua Iura, & Priuilegia Regni, debet se iustificare.* Quin & Sigismundus Augustus, optimum ac sanctissimũ Parentem imitatus, complura contra hæreticos edicta composuit. Quorum primum, quod quidem
Posnaniæ, 1550. ex Actis pub. sciam, illud est, quod ad Andream Comitem à Gorka, Generalem Capitaneum, misit, quo Picardos, exules in Boëmia & Morauia, grauissimis propositis pœnis, Regno excedere iussit. Alterum est, quod
Wilnæ, an: 1556. 2. Martij. Wilnæ non ita diu post edidit, cuius illud est exordium: *Perfertur ad nos, Picardorum, Boëmorum, Anabaptista-*

baptistarum, Sacramentariorum, Lutheranorum, & aliorum hæreticorum, praua dogmata palam prædicari. Tertium huic persimile, quod anno insequẽti, Warszauiæ, omnium Ordinum consensu, scripsit: cui & literas ad Capitaneos, ac Ciuitates, adiunxit, quibus Mandata sua contra hæreticos, & eorundem librorum Bibliopolas, vti exequerentur, præcepit. Quartum denique, instigante Iacobo ab Ostrorog, ad Comitia tum internuncio, ac postea Poloniæ Maioris Generali Capitaneo, aduersus Trinitarios, Anabaptistas, ac Arrianos, tulit; cuius tale est principiũ: *Ex plerisq;, tum veteribus, tum recentioribus, exemplis externis, nunc autem ex domestica hac nostra experientia apertè cognoscimus, consensu quidem ac concordia religionis, firmari Respublicas, &c.* Ac ad extremum, Vrbium, Arciumq; præfectis, datis ad eosdem literis, mandauit, vt hoc hominum genus, ipsorum opera Regno pelleretur. Quid, quod Poloniæ Reges, non solùm homines priuatos, sibiq; subditam Nobilitatem, hæresim docere non permiserint; sed ne eos quidem, quos publica fide ad se vocauerant, quòd hæretici essent, in Regno diutiùs morari permiserint? Extat huius rei clarissimum apud Cromerum testimonium (vt alia taceam) de Vladislao Rege; qui, cùm apud Coributhum, Boëmis hæreticis comitatum, commemorauisset; quanta rerum omnium perturbatio secuta apud eos, ex mutata & perturbata religione esset, vt florentissimum quo-

Margin notes (p. 75): Warszau: 1556. — Parczouęi an: 1564. — Cromerus lib: 20. hist.

 dam

dam Boëmorum Regnum ad interitum properaret, sublatis Magistratibus, sacris iuxta ac profanis, euersis Oppidis & munitionibus; cæsis, vel fuga dilapsis optimatibus; constupratis honestis Matronis, atque virginibus; profanatis, direptis, ac dirutis templis; abrogatis sanctissimis cæremonijs; sacrosancta religione contaminata; ac tam varijs, portentosis, & abominandis opinionibus discerpta, vt nemini propemodum cum altero conueniret: deniq; peruerso rerum omnium, atq; naturæ ipsius ordine: quæ omnia, ni maturè resipiscerent, præsens & extremũ exitium consequi necesse esset: nec tamen quicquã homines pertinaces & peruicaces permouisset, Vrbe eos eiecit, propter solennes Paschæ dies. Sbignei autem Episcopi tanta fuit religio, vt ipsius interdicto cessatum à sacris sit, quoad illi Cracouiæ subsistere. Iam verò, cùm hæ tot atq; tantæ sint optimorum Principum contra hæreses conspirationes, & Confœderationes; tam variæ quoq; ac multiplices, aduersus easdem sancitæ, leges; quis æquo animo ferat, nouam quampiam Confœderationem, veteribus illis prorsus contrariam ac repugnãtem, ijsdem anteponi? Cùm etiam hæ ritè, atq; ordine, ac, vt vno verbo dicam, summa omnium Regni Procerũ voluntate, & consensione, confectæ sint; ista autem Clero vniuerso reclamante, ac bona nobilitatis parte, integrisq; Prouincijs refragantibus inita: quis vnquam patiatur illis abrogatis & antiquatis, hanc vnam,

vnam, atq; solam apud omnes valere? Indignaplanè res, ac prorsus intoleranda, maximè quòd Confœderationem istam recentiorem qualẽcunq;, tam importunè efflagitent, non vt pax publica, vt prætexunt, firmetur, sed vt Catholica euertatur fides, ac Ordo Ecclesiasticus intereat vniuersus. Hoc enim ita se habere, ipsorum hæreticorum testantur facta. Nulli enim ipsorum, si paucos excipias, in suis, siue Oppidis, siue pagis, subditis suis Catholicam religionem permittunt: quod hæreticos, Germaniæ atq; Angliæ, imitati faciunt. In quo tamen illud est indignissimum; quòd cùm suis ipsi libertatem cultûs non concedant, eam tamen à Principibus, quibus subijciuntur, sibi denegari molestissimè ferant. Adhæc, fundationes à Maioribus institutas conuellunt; Decimas, ac Ecclesiasticorum census, per vim rapiunt; solo æquant Deo sacrata templa; diripiunt Villas, ac sibi iniquissimè vendicant; Ecclesias Catholicorum vsurpant, contaminant, ac violant impuris suis ritibus & cærimonijs; Sacerdotes ædibus suis ac Parochijs eijciunt, Apostatas ijsdem substituunt; in sibi deniq; subditorum, non corpora modò, sed & in animas ipsas crudelissimè sæuiunt, dum eosdem grauissimis propositis pœnis, ad sua illa nõ iam tẽpla, sed gurgustia compellunt. Quæ tamen omnia fieri minimè deberent, si vel ipsa qualiscunq; Confœderatio obseruaretur. Quid enim? An aliud in eadem, quamuis iniustissimè petunt, quàm vt liberum re-

rum religionis habeant cultum ? Cur igitur liberũ esse sibi subiectis nolunt ? An non vnicuiq; etiam Ecclesiastico homini, ius suum integrum manere se velle proclamant, beneficiaq; illæsa ? Cur ergo ius omne tollunt ? imò cur Ecclesiasticorum panẽ, Decimas, adeòque hoc facto etiam Ecclesiasticos tollunt ? Negabunt fortaßis, hæc se in sua qualicunq; Confœderatione spopondisse. En ipsa Confœderationis verba: [Nihilominùs per præsentem, *inquiunt*, Confœderationem nostram, superioritati, & iurisdictioni in subditos, tam Spiritualium, quàm Secularium, minimè derogare volumus, neq; obedientiam cuiusquam subditorum Dominis suis destruimus: quinimò, sicubi huiusmodi licentia sub prætextu religionis reperietur, liberum sit & nunc cuiq; Domino, in subditum suum inobedientem, tã Spiritualibus, quàm in Secularibus, pro arbitrio suo animaduertere. Item, vt omnia beneficia Iurispatronatus Regij, Prælaturarum Ecclesiasticarum, vtpotè Archiep: Episcop: & aliorum omnis generis, non alijs conferantur, quàm Romanæ Ecclesiæ Clericis indigenis Polonis, iuxta Statutum. Item, beneficia conseruentur in suo statu, pro hominibus Romanæ Ecclesiæ indigenis, iuxta Statutum.]

1533. Statutum autem Sigismundi I. vti & aliorum Principum, Decimas beneficijs annexuit. Et sanè qualia beneficia, Decimis subtractis, quibus ipsa beneficia tota nituntur ? Quæ ideo dixerim, ne per Confœderationem suam, Decimas rapere sibi licere putent. Ex his iam, opinor, liquet, Confœderationem hanc in Polonia hæreticam, quâ liber religionis cultus permittitur, nullius esse ponderis, eamque qua-

lemcun-

lemcunq; ab hæreticis ipsis violari. Quod sanè, si viri sapientes cum animis suis reputarent, neq; tam faciles ad hanc religionis libertatem sinendam, ac multò minus approbandam, forent. Maximè quod ita res se habeat, vt eandem adeò Diuinæ literæ vetent, vt nec permitti quidem poßit ab Ordinibus, hic liber religionis, quem fingunt, cultus. Vetare
autem quis ambigat ? *Vnus enim Dominus, vna fi-* Ephes: 4.
des, vnum Baptisma, inquit Apostolus; & proinde vnus omninò cultus: & ideo si præter eundem existat alius, non cultus, sed cultus est euersio, ac per-
nicies. Reprehensus quoq; est Angelus Pergami, Apoc: 2.
quòd apud se haberet aliquos, tenentes doctrinam Nicolaitarum: & Angelus Thiatyræ, quòd permitteret Iezabel seducere seruos Dei. Diuinæ quoq; li-
teræ, vbiq; Christianos declinare hæreticos iubent. 2. Tim: 3.
Hos, Paulus, *deuita*, inquit. Et alibi imperat, *vt* Galat: 5.
obseruemus, ac fugiamus eos, qui serunt offensiones, & Rom: 16.
offendicula, præter doctrinam quam didicimus. Et ite-
rum: *Vtinam*, inquit, *abscindantur, qui vos contur-* Galat: 1.
bant. Deniq; nec Angelum quidem ferendum censet, si annunciauerit, præter id, quod est nobis tra-
ditum. *Nec Aue ei dixeritis*, Ioannes ait, *nec recipia-* 2. Ioan: 1.
tis in domum vestram. Et Christus ipse: *Attendite* Matth: 7.
vobis à falsis Prophetis. Et: *Si Ecclesiam non audie-* Matth: 18.
rit, sit tibi Ethnicus & Publicanus. Quid, quod nec ipsi Iudæi, libertatem religionis permittere sine scelere potuerunt ? Iubentur enim in Deutoronomio,

M occidi

Deut: 17. occidi ex sententia Iudicis, qui non obediunt Sacer-
Deut: 18. doti, & falsi Prophetæ exterminari. An forsan vilior abiectiorq; Ecclesia est Synagoga, vt libertas religionis in illa nõ fuerit licita, in hac omnibus cõcedatur, facultate quadam, seu potius licentia permissa, omnia sacra polluendi & violandi? Indigna sanè res, & minimè ferenda, vt hæc tam absurda cogitatio, cuiquam Christiano in mentem veniat. Intellexêre hæe olim optimi quiq; Principes Christiani, & cognouêre hoc, Diuinas literas, adeòq; officij muneris q; ipsorum rationem ab ipsis flagitare, vt ne religionis vllam libortatem permitterent. Quare primus Christianorum Imperator Constantinus, cùm in Edicto plurima de hæresum incommodis dissetuisset, & hæreses vanitatem mendacijs intricatam, turpia malitiæ studia, venenata pharmaca, quibus sani ad infirmitatem, viuentes verò ad perpetuam mortem abducantur, alijsq; vocabulis nuncupauisset; concludens tamen: *Quid igitur?* inquit, *patiemurnè huiusmodi malorum, contagionem longiùs serpere? præsertim cùm longa dilatio faciat, vt sani ac valentes, ea tanquam pestifero morbo inficiantur? Cur igitur non cum maxima celeritate eiusmodi prauitatis, vt ita dicam, radices, animaduersione & pœna publica amputamus? Atq; quo ista vestræ pestis pernicies longiùs grassari impediatur, per hanc legem mandamus, ne quis vestrûm posthac conuentus cogere audeat. Et propterea etiam iubemus, vt vniuersæ ædes vestræ, in quibus congressus illos celebrare consueuistis, penitus euertantur: & hæc cautio eo vim suam porrigat, vt non modò non in publicis, sed ne in priuatis quidem ædificijs, aut in locis vllis separatis, huius vestræ superstitiosæ amentiæ factiones coëant.* Hunc secutus Theodosius, eandem prorsus sustulit credendi libertatem, ac iussit omnes credere eo modo, quo Romanus Pontifex docet esse credendum. Eiusdem quoq; vestigijs insistens Martianus, seuerè prohibet, ne quis ea, quæ sunt in Concilijs Episcoporum definita, reuoluat, aut de ijs publicè disputare præsumat. Idem, & Valentinianus Iunior, Casimirus Magnus, Alexander, Sigismundus I. alij, cum laude obseruârunt. Patres autem nusquam non hæreticos deuitandos, ac ne sinendos quidem tradunt. D. Irenæus contra Valent: scribens, postquam omnem cum ijsdem consuetudinem improbauisset, id se ab Apostolis accepisse testatur. *Tantum,* inquit, *Apostoli, & horum discipuli, habuerunt timorem, vt neq; verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem.* Sanctus autem Cyprianus: *Declinent,* inquit, *fortiter, & euitent, dilectissimi fratres nostri, verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* Et infra: *Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, simusq; ab eis tam separati, quàm sunt ab Ecclesia profugi. D. Antonius nũquam,* inquit Athanasius, *Manichæis, aut alijs hæreticis, amicabilia verba largitus est, denuncians talium amicitiam, atq; sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arrianos detestabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse acce-*

Eufeb: li: 3. de vita Cõstantini. cap: 62. & 63.

L. Cunctos populos. C. de summa Triniti & fid: Cathol.

C. Eodem. l. Nemo.

Lib: 3. c. 3.

Lib: 1. Ep: 3.

In vita Anton.

esse accedendum. Et ipse Antonius iam moriturus: *Hæreticorum*, inquit, *& Schismaticorum, venena vitate, meumq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi, ne pacificus quidem, sermo cum eis fuerit.* Hieronymus illud Pauli ad Galat: exponens: *Modicum fermentum totam massam corrumpit; Igitur,* inquit, *scintilla statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant: Arius vna scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Augustinus, vt vitandum hæreticum non ambigit, *ne infirmos, ac paruulos fallat; ita non abnuimus*, inquit, *modis, quibus possumus corrigendum.* Et in libris Retractationum, reuocat, quod aliquando senserat, non esse vi cogendos hæreticos ad fidem; & pluribus id fore vtilissimum ostendit. Et ne omnes recenseam ordine, idem de religione alia à Catholica non permittenda, Athanasius, Optatus, Leo, Gregorius, Bernardus, alij, scripsere. Quid? quòd non perfidiam modò hæreticorum (religionem enim pudet dicere) non putauerint permittendam, ipsosq; hæreticos impunitos relinqui oportere; sed ne libros quidem ipsorum extare voluerint, ipsos Apostolos imitati, qui libros curiosos & vanos inflammârunt. Hinc Concilij Nicæni Patres, Arij libros igni adiudicârũt; & Con-

Galat: 5. Hieron: in cap: 5. ad Galat.

Epist: 62.

Lib: 2. c. 5. & Ep: 48. & 50.

Apol: 2. Lib: 3. con: Parmen. Epist: 91. ad Turib: cap: 1. Li: 1. Ep: 72. Ser: 66. in Cãt.

Act: 19. Nicephor: lib: 8. c. 18.

& Constantinus, pœna capitis proposita, si quis eosdem occultauisset, iudicium suo Decreto roborauit. Epiphanius, Synodo in Cypro coacta, vetuit libros Origenis legi. Synodus Carthag: IV. ijs, qui Episcopi non fuerint, interdicit hæreticorum librorum lectione. Ephesinum Concilium, Nestorij libros vetuit. Theodosius Imperator, vetitos exuri iussit. Idem de Eutychetis scriptis censuit Synodus Chalced: Valentinianusq; & Martianus, decreuerunt. Idem deniq; & Concilium V. & Iustinianus Imperator, de libris Anthymi statuere; alij Patres, aliæq; Synodi, de alijs, quas breuitatis gratia prætermitto. Hæ tamen omnes, siue Synodi, siue Patres, siue deniq; Imperatores, satis indicant, hunc, quem narras, liberum religionis cultum, nullum apud Christianos locum habere debere. Et sanè recta idipsum suadet ratio. Est enim credendi, vt libet libertas, ipsius religionis Christianæ certissima pernicies. Nam cùm vna fides sit, vnaq;, quæ eandem tenet, Ecclesia: hæc credendi licentia facit, vt in varias partes distrahatur, ac discerpatur; &, vt verbo dicam, vt fides, ipsaq; Ecclesia, penitus intereat. Quod olim intelligens Iulianus Apostata, acerbissimus Christiani nomini hostis, hæreticis, vt Augustinus loquitur, libertatem perditionis permisit, & tunc basilicas hæreticis reddidit, quando templa dæmonijs: eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si vnitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrile-

Socr: lib: 1. c. 6. & Niceph: lib: 8. cap: 25.

Socr: l. 6. c. 9. Can: 16.

Liberatus. c. 10. Breu.

L. Damnato. C. de hæret.

Action: 3.

L. Quicunque. §. Nulli. & §. Omnes. C. de hæret.

Nouellæ Constit: Const: 42

Lib: 4. Epist: 32.

Epist: 166.

sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. Ac nō religioni solùm est hæc licentia pestifera, sed & ipsi statui ciuili pernitiosa, paciq; publicæ inprimis inimica. Vt enim D. Gregorius dicit: *Reipubl: ciuilis incolumitas ex Ecclesiæ pace pendet. Et vbi seruatur fides Deo, ibidem & Principi semel data, non facilè violatur, aut frangitur: nam ipsa religio vera atq; syncera, hoc docet, hoc exigit.* Accedit etiam, quòd discrepantes de religione sententiæ, animorum quoq; & voluntatum dissensiones pariant, ex quibus contentiones, rixas, bella, sequi necesse est, & ad extremum ipsarum Prouinciarum, in quibus ea vigent, interitum. *Omne enim Regnum in se diuisum, desolabitur.* (Luc: 11.) Et experientia nostri temporis, adeò hoc manifestè ostendit in Gallia, Germania, Anglia; vt superuacaneum videatur in eo demonstrando elaborare. Sed nec solùm ipsi Reipublicæ, sed singulis etiam ciuibus est exitiosa hæc credendi licentia: nam libertas credendi, nihil aliud est quàm libertas errandi; & quidem errandi in re omnium periculosissima; vtpotè, ex qua vniuscuiusq; pendet salus, & sequitur interitus. Vna enim sola vera fides est, vt Paulus ait, à qua qui potestatem facit, vt quis impune discedat, quid aliud agit, quàm vt homini viā ad inferos patefaciat? Et sanè, sicut nec ouibus salutare fuerit, si pastoris cura liberentur, adeòq; ijsdem concedatur, vt in præcipitem locum se committant; nec naui (Ephes: 4.) conducibile, vt amoto gubernaculo, in alto fluitās, aduersis tempestatibus iactetur: ita neq; Christianis prodesse poterit licentia illa, qua à veritate aberrandi illis integra sit potestas; & ea facultas conceditur, qua sibi perniciem concilient sempiternam. Pastores autem Episcopos, siue vi, siue fraude, siue deniq; pollicitationibus eò adigere, vt iureiurando confirment se nullam curam ouium suarum habituros, quin potiùs daturos operam, vt in quasuis hæreses etiam immanissimas, præcipites ruant, non modò impium, Christiq; præceptis aduersum, (qui eosdē iussit oues pascere, non prodere,) verùm etiam inhumanum prorsus ac barbarum est. Vt meritò Senatores illos, qui nuper in Cōuocatione, partim minis, partim precibus, partim pollicitationibus, miseros ad Confœderationi subscribendum adegerunt: pudere sui debeat, præsertim Catholicos, qui Religionem integram, atq; puram, omni priuata amicitia antiquiorem, ac chariorem, habendam esse, à suis Maioribus, & Iagellone inprimis religiosissimo Principe, discere potuissent. Quos sanè æquius fuisset illud cum animis suis cogitare; multò esse præclarius; veteres illos heroas imitari, qui leges grauissimas contra hæreticos condiderunt, & fœdus cū socijs inierunt de ijsdem profligandis, quàm ab illis desciscere, & ad nouos ritus, vel deflectere, vel inauditam Maioribus, imò exosam perfidiam cum Iuliano Apostata promouere. Atq; vtinam Senatoribus istis, quod de Arcadio Imperatore, & Chrysostomo, de re

Vide libellum Illustriss: D. Stanislai Karnkowski, Archiepiscopi Gnesnen: con: Confœderationem, sapientissimis refertum rationibus, & documentis.

Lib : 13. hist. c. 5.

de re haud dissimili, cum Gaina Gotho Ariano dissentientibus, Nicephorus Calixtus memorat, venisset in mentem: *Hic*, inquit Nicephorus, *ab antesignanis hæresis persuasus, sacram vnam ædem, consentientibus sibi in religione Sacerdotibus, ab Imperatore postulauit. Imperator inconstantiam animi eius metuens, tyrannidemq́, quæ ab eo expectabatur, suspectam habens; deliberaturum se, eiq́ consulturum esse recepit. Et Ioanni Chrysostomo accito, petitionem barbari indicauit. Diuinus autem vir, nō passus est ea verba ad exitum peruenire, neq́ tempori cessit; sed Episcopis, qui tum Constātinopoli aderant, secum ductis, Regiam Imperatoris ingressus est. Et per seipsum primùm, magno animo apud Imperatorem, causam egit: Ne sic*, inquiens, *ô Imperator, te facturum esse pollicearis; neq́ ita sanctum canibus proijcere constitueris. Ego enim non sustinebo, vt qui rectè de Deo sentiunt, eijciantur: atq́ eis sacrum delubrum, qui blasphemam aduersus eum linguam cient, concedatur. Neq́ barbarum illum timueris: verùm vtroq́ euocato, tu quidem tacitus, animum ad ea, quæ dicentur, aduerte: ego autem linguam illius frænabo, & persuadebo, vt minimè ille petat, quæ dare non conuenit. Imperator verbis his delectatus, vtrumq́ ad se accersit. Et Gainas ad finem perduci, quæ ei promissa erant, petijt. Ioannes autem illi resistens:* Non oportet, *inquit*, Principem, quicquam contra Deum audere; *si quidem vera pietas illi curæ est: sed potiùs benè constitutas leges seruare, & eam potissimùm, quæ contra hæreses*

alias

alias promulgata est. Suasitq́ adeò Imperatori, conducibilius esse dictitans, vt imperio potiùs cederet, quàm per impietatem ædem Dei proderet. Atq́ sermonem ad Gainam rursum conuertens, oportere se Ecclesiam vnā habere dicentem: Omnes tibi, inquit, *sacræ ædes patent. His Chrysostomus & Imperatorem ita confirmauit, vt templum denegarit Gainæ, & Gainæ silentium imposuit.* Vtinam, inquam, hoc præclarum & Imperatoris, & Episcopi factum, istis in mentem venisset. Non ita facilè fortassis, non vnam ædem, sed quantumquidem in ipsis est, omnes ædes hæreticis prodidissent: quin potiùs conducibilius sibi persuasissent, imperio, seu potiùs officio Senatoris cedere: nec nouas leges pro hæreticis sanciuissent, sed, vt Chrysostomus loquitur, bene constitutas, & maximè eas, quæ contra hæreses olim promulgatæ sunt, studiosè, diligenterq́; seruauissent, nec quicquam contra Deum, diuinumq́; honorem, honoris proprij nimium fortassis cupidi, fuissent ausi. *Sed heu, quo iustitiæ fides recessit*, (libet enim vsurpare verba illa, quibus Constantinus Magnus olim apud Ecclesiam Alexandrinam visus est) *cùm tantarum tenebrarum caligine inuoluimur? Neq́ id tam ex errore, qui multiplex est, quàm malignorum hominum vitijs, dum & propugnatores vecordiæ sustinemus; & eos, qui æquitatem & veritatem profligant, etiam cùm id sensibus nostris percipiamus, negligendos putamus. Quodnam id genus peruersitatis? inimicos*

Athanasi. Apol: 2.

N *non re-*

non reprehendimus, sed latrocinio nos comites damus: vnde fit, vt viam quandam sibi facillimè strauerit, nemine repugnante, perniciosissima fraus. Dei lege, & bono ingenio instructi, toleramus tamen inimicos, turbationum & tumultuum facibus, quasi incendia miscere; idq; neq; oculis præditi cernimus, neq; legis sententiæ imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram vitam incessit, cùm nos trimet tam incurij simus, etiam Deo admonente. Quid igitur? num id mediocrè aut tolerabile malum est? Num pro hostibus habendi sunt? Nonnè in domum & populum Dei ante oculos nostros, per sæuitiam debacchantur, & probra faciunt scelerati illi? Iam quanta id cum vesania faciant ipsi, vobis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua sua, si tam habent malitiam, plumbeasq; iras ita secum circumferunt, vt seipsos mutuis vicibus feriant, & nos secum ad auctarium sui supplicij abstrahant. Interim, qui rectà docet, hostis iudicatur: qui autem inuidiæ vitium præsefert, populum mansuetum, quòd minimè oportuit, inuadit, vastat, absumit, & seipsum vltro corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem subuertit, & fidem circumuenit: donec suæ conscientiæ cauernas & latibula quæritando inueniat. Ferocitas igitur agrestis eos miseros facit, qui ita temerè seipsos, cum indigni sint, efferāt inclamando: Heu scelera, illenè presbyter est? illene puer? mea existimatio attingitur, mihi hoc ipsum debetur, ab illo ablatum est. Ego igitur omnibus spoliatis, pro viribus nocebo. Luculentum insaniæ tumultum dicas, si

cas, si acies, conciliabula, aut conuitia istorum importunissimorum conuentuum videas. O nostram in Ecclesiam Dei peruersitatem! spectaculum maligni & dementis animi. Nunquamnè tandem pudefient? Nunquamnè semetipsi improbabunt? Nunquam in animo morsus sencient, vt vel nunc saltem contra imposturā, & rixas, dignum aliquid animo concipiant, & sentire videantur? Hæc Constantinus ille Magnus, & cū Constantino vnà ego, tum horum temporum, tum istorum hominum deplorans infelicitatem. Sed nunc ad te, calumniator, redeo. Cùm nulla vobis possit concedi credendi libertas, ac proinde nec eos sequi possitis, qui vobis formam fidei, contrariam ei, quam Catholica tradit Ecclesia, docent; nullas ministris vestris Decimas vendicare potestis, maximè quod non ipsorum gratia, sed Sacerdotum Catholicorum causa sint institutæ, vt ex legibus ac Priuilegijs iam liquet, ac ex omnium Ecclesiarū, Monasteriorum, ac Xenodochiorum fundationibus ostendi potest. Ac ne ministris modò, sed neq; secularis Ordinis hominibus, eas largiri iure potestis, eamq; dare licentiā, vt à sibi subiectis Decimas exigant; vtcunq; tu hoc loco bellè dictites: [Ius plenius in suum habent fundum, quàm vos in alienum.] Decimas enim ex fundo alieno Diuinæ & humanæ leges, vt iam ostendimus, Clericis persolui iubent, non autem laicis eas adiudicant, etiamsi Sacerdotū sibi munia ipsi vendicent. Neq; enim hæc ijs licet obire;

obire; vt non iam ijs laborum stipendia, sed audaciæ pœnæ debeantur. Vt de hoc quoq; secularium abusu, Ordo Ecclesiasticus iure queratur. Nec tua illa excusatio locum habet: [Quid si Doctores vestros redarguant, & ipsi doctrina tanquam veri patresfamiliâs, suæ discant præesse familiæ, quis hæc improbauerit?] quasi verò oues pastores suos redarguere debeant, aut seculares docendi munus suscipere. Familiam suam possunt, adeòq; debent Christiani ad omnem virtutem instituere, Conciones tamen communi Christianorum sensui, atq; sententiæ repugnantes, ex nescio quorũ delirantium haustas Postillis prælegere familiaribus, & impium est, & absurdum.

CAPVT XI.

Iudices Tribunalis, iustè & sapienter decreuisse, Decimas more Maiorum dependendas, tam retentas, quàm in posterum persoluendas, postquam in Comitijs compositioni aßignatis, nulla facta fuerit compositio.

ATq; hactenus de Decimis insulsè, ac non modò Diuinis, sed nec Regni legibus, rectæq; rationi consentaneè disseruisti. Nunc quoniam Ordinis Ecclesiastici causam, Illustrissimus Cardinalis Bolognetus, perpetua dignus memoria, in Comitijs, & sanctè & sapienter egit, ipsum quoq; tibi vexandum sumis. Illud enim te malè habet, quòd executionẽ Decretorum Tribunalis Regni, quibus Decimarũ solutio

solutio imperatur, tã diu suspendi quiritet: sed quod faciendum tibi erat, rationes eius efficacissimas minimè refellis. Illud enim solùm quæris, num Iudices Tribunalis in tam graui, ac necdum definito negotio aliquid statuere debuerint? quasi verò negotium Decimarum nondum definitum sit, cùm ex Diuinis literis, Regniq; legibus, clarum & testatum sit, Decimas Ordini Ecclesiastico deberi, & ex Historijs constet, omniq; antiquitate absq; vlla cõtrouersia perpetuò fuisse persolutas: quasi etiam causa Decimarum ita sit noua, vt sine Tribunalis iudicij definitione, iustissimam æquissimamq; esse, non sit manifestum, aut ita dubia & ambigua, vt ad compositonem reijci debuerit. Imò nec Tribunali, calumniator, fas fuit, postquam prima Comitia præterierant, compositioni assignata, aliud statuere; sed necessariò pronunciandum illi fuit, eos Decimas dependere oportere, qui easdem sibi iniuria vendicauissent. Suspensio enim executionis sententiæ Tribunalis, ad proxima solùm Comitia facta fuit. Et hoc tum ex verbis ipsis Decreti, tum ex ipsa ratione liquet. Verba sunt: *Executionem verò Decreti, ad alterum Conuentum suspendimus*; quæ proximum Conuentum significare, Cardinalis Bolognetus planè demonstrat. Et ratio idipsum suadet. Nam alioqui absurdissimum Decretum foret, si incertum cõpositionis tempus relinqueretur: & tamen, nisi finita compositione, ea quæ de Decimis est, controuersia finiri

ſia finiri non poſsit. Hoc enim ex eo ſequeretur, quod cùm cõpoſitio ipſa illorum, qui Decimas debent, conſenſum & voluntatem neceſſariò requirãt; poſſent ipſi diſſentiendo efficere, ne vnquam finiretur ſuſpenſio; & vt perpetuum hoc eſſet impedimẽtum, ne Decimæ Eccleſijs ampliùs ſoluerẽtur. Quo quid alienius, quid abſurdius excogitari poteſt? Quid enim aliud eſſet, debitorum arbitrio committere rei debitæ ſolutionem, quàm peruicacibus hominibus, & ſolutionem iuſtiſsimam detrectantibus, Decreto publico ſuffragari, quàm rapinas fouere, quàm legibus imponere, & totius Polonici iuris auctoritatem, per ſummam fraudẽ & iniuriam infringere, ac labefactare. Quæ cùm ita ſint, peractis prius Comitijs, Decretorum de Decimis perſoluendis fieri debuit executio: [At, *inquis*, ſi per legem licuit tempus differre compoſitionis; cur etiam per legem non licuit tempus differre ſuſpenſionis, cùm cauſa principalis nondum ſublata fuerit?] Per quam legem, ô bone, licuit tempus differre compoſitionis? hanc tu legem proferre debebas. Ea ſanè nulla eſt, ac nec eſſe quidem potuit, Clero vniuerſo reclamante, ac illud teſtante, quandoquidem compoſitio nulla fiebat, ſe non iam compoſitionem, ſed executionem Decretorum Tribunalis velle. Lex enim à parte Senatus, in alterius partis præiudicium ferri non poteſt, nec ea cenſetur valida in Polonia ſanctio, quæ omnium Ordinum conſenſione roboretur. Atqui hæc,

hæc, quam dicis, lex, ſola Secularium, nec omniũ, eorumq; debitorum voluntate & arbitrio lata eſt. Ac proinde non lex, ſed legis de Decimis perſoluẽdis ritè lata euerſio fuit. Accedit etiam, quòd Clèrus, qui eo tempore compoſitionem exoptabat, eãdem non de futuris, ſed de præteritis fieri voluerit. Quod & ipſum compoſitionis vocabulum, quo vſus eſt, indicat. Nec enim compoſitio leges tollit, ſed modum ſtatuit, quo poſsint ij, qui aduerſus legũ præſcripta peccârunt, vtriuſq; Ordinis conſenſione, facere iiſdem ſatis. Quod autem cauſam principalẽ ſublatam non fuiſſe dicis, benè habet. Sed cuius culpa id accidit? Eccleſiaſticorumnè qui compoſitionem percupiebant, an veſtra, qui varijs artibus compoſitionem poſt multas cõcertationes eluſiſtis? Nec verum eſt quod ſubiungis, Eccleſiaſticos non ante multos annos æquiſsimas pacis conditiones reieciſſe; fuerunt enim eæ iniquiſsimæ. Et ne omnes commemorem, illa vna fuit, vel teipſo teſte, vt Decimæ Sacerdotibus ſubtraherentur, & miniſtris ſathanæ perſoluerenrur. Quo nihil potuit iniquius, nihil iniuſtius excogitari. Nec illud minus eſt falſum, quod annectis, Clerum nullas velle pacis componẽdæ rationes, niſi pro libito recipere. Clerus enim non ex proprio arbitrio, ſed ex vetuſtiſsimis & æquiſsimis Regni legibus, pacis conditiones deſumi poſtulat. Quibus ſi vos obtemperaueritis, iam pax æterna concordiaq; ſtabilietur. Leges autem Regni quid poſtulant

postulant aliud, quàm vt Decimæ soluantur, iisque dependantur, quibus multorum iam annorum spatio, per summam iniuriam subtractæ sunt? Atque hoc solùm Ordo flagitet Ecclesiasticus. Quæ sanè ipsorum petitio, nec inutilis, nec perniciosa, vt tu calumniaris, existit. Nec enim parum illud commodi habet, ac multò minùs exitiosum esse potest, quod iustitiæ & æquitatis perscribit ratio. Ac videras tu, opinor, vtcunq; decantes aliud, hæc ita se habere, & proinde, quod rationibus à iure petitis non potes efficere, partim commemoratione quadam [felicitatis Cleri, Ecclesiarum censibus ac immunitatibus florentium, Abbatiarum, Collegiorum, splendidè extructorum; partim hortatione nescio qua, qua non decere seruos Dei, *inquis*, opibus huius seculi tantopere inhiare, & populum tributis & pensionibus onerare: præsertim cùm Episcopi & Abbates abundent, qui proinde possint, & debeant Parochos tenuiores sustentare, cùm tam vberes census cesserint vni Ecclesiæ, non propter solius Episcopi, vel Abbatis personam, sed ad plurium, imò & totius Diœceseos commoditatem.] Ac tu quidem hæc omnia. Cæterùm, felicitas non est tanta, quam narras: Immunitates enim iam propemodum interiere, Ecclesiæ censibus, sublatis Decimis, non florent; Abbatiæ, cœnobia & Collegia, splendidè quidem illa extructa sunt, ruitura tamen breui, si Decimas ipsis instaurandis necessarias, vobis per summam iniuriam vsurpetis. Quod autem non decere ais, seruos Dei inhiare opibus huius seculi, bene habet. Decimæ non sunt opes huius seculi, sed Ecclesiæ, seu

potiùs Dei, & proinde easdem expetere iure possunt. Tributa, pensiones, à nullo exigunt, sed tãtùm quod ad ipsos pertinet, & quidem iure flagitant. Episcopi in Diœceseos commoditatem (nam de Abbatibus secus habet: bona enim quæ possident, ipsis sunt attributa, vt se, atq; Monachos, hominesq; egentes sustentent) fateor, has opes acceperunt, vt videlicet Diœcesim ipsam gubernẽt, eiusdemq; rationes procurent. Cùm tamen iam olim quadripartitam bonorum diuisionem fecerint, & Parochis Decimas dederint, (vt ex Cromero liquet:) nullo astringuntur iure, vt Parochis plura largiãtur, præsertim cùm hæc ipsis vix ad Põtificialem dignitatem tuendam, & Senatorium munus sustinendum sufficiant. Quare, vt hanc totam disputationem de Decimis, tandem aliquando finiam, nihil magis sacris literis, Regnique legibus consentaneum, nihil rectæ rationi conducibilius feceritis, calumniator, quàm si Decimas, quibus iure debentur, dependeritis. In quo si nec duros, nec difficiles vos præbueritis, & opibus affluetis ipsi, & Clerici vitam in egestate, vt in præsentia, nequaquam degent. *Maiores enim nostri*, vt Homil:48.
cum Augustino concludam, *ideò copijs omnibus abundabant; quia Deo Decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modò autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo Decimas, modò autem totum tollitur.* ex lib: 50. Homil.

CAPVT XII.

Quartam Ecclesiastici Ordinis querimoniam, de Cleri contemptione & exactionibus, iustißimam esse: Clerum autem ab omnibus exactionibus, & expeditione bellica immunem esse, ex Regni legibus, & vetustißimis Priuilegijs constare.

SEd de tertia Ecclesiastici Ordinis querimonia satis: nunc quarta sequitur, quam paucioribus expediam, quoniam tibi pro tua mansuetudine & lenitate paucis non argumentis (neq; enim vlla producis) sed conuitijs & maledictis, eandem petere visum est. Ipsa autem querimonia tota in eo potissimùm consistebat, quòd prærogatiuis Cleri derogari; libertas, si non adimi, minui tamen omnis videretur. Ac ne sola esset, & proinde iniqua potiùs conquestio quàm legitima querela haberetur, æquitatis eiusdem declaratio ac demonstratio, annexa fuit: quòd videlicet Sacerdotibus iudicio, studioq; maiorum, ob rerum sacrarum curam & administrationem, debitus honor denegaretur, atque adeo vniuersus Ecclesiasticus Ordo iniurijs afficiatur, exactionibus oneretur, & quodammodo exauctoretur. Quam tu querimoniam quòd tantopere mireris, mirari equidem non possum satis: quòd autem exagites atque vexes, miror omnino nihil, quoniam hoc tibi vt facias, cùm suadet hæresis, tum innata quædam atq; insita impellit maledicentia. Miraris tamen maximè, & quodammodo obstupescis: [Hic quæro, *inquis*, quam vos tantam honoris vestri iacturam pati dicitis? Quis vestri Ordinis tantus contemptus? Quænam vobis illatæ iniuriæ? Quæ nouæ & inusitatæ exactiones impositæ?] Ac ne sine causa mirari videaris, aspexisse te affirmas in publicis Regni Comitijs, Pontifices latus vtrumque Regis cingere; á primarijs Senatoribus honorificè salutari, ac ne in conuiuijs quidem alio, quàm primo loco considere; cæteros deniq; Clericos, pro suo quosque gradu venerationem habere. Denique quod de exactionibus querantur, miraris; cùm saluis Ecclesiasticorum censibus, subditi eorum tantum aliquid in sumptus belli Moscouitici, Decreto Reipublicæ, dependerint. Galli autem, Itali, & Veneti nominatim, ne sacris quidem redditibus in bello contra Turcas, quamuis Pontifice rem indignè ferente, pepercerint. Sed non est, quòd hæc omnia, calumniator, quæ Clerus queritur, ita mirere. Sunt enim talia, vt verißima esse constet. Nam clerum eo honore non affici, qui olim illi, iureque optimo, tribuebatur, quis est qui poßit ire inficias? An nunquam ludibrio esse Sacerdotes, & despectui turpißimo cuiq;, & inprimis tui similibus hæreticis vidisti? An nunquam in compitis, in aulis, in diuersorijs, conuicijs onerari? An nunquam in libris tuorum riualium, probris omnibus & maledictis vexari? Imò nonnè tu ipse, qui ita Cleri querimoniam demiraris, in hoc tuo pestilenti libello,

libello, innumeris verborum contumelijs, vniuersum Ecclesiasticum Ordinem laceras? An denique eâ, qua olim Sacerdotes reuerentia & honore dignamini? Conscientiam tuam, calumniator, hîc ego testem appello. Quod autem vidisse te affirmas, Pontifices vtrumq; Regis latus cingere, adeoq; in conuiuijs primos considere, non inficior. Et hic sanè illis debetur, ob dignitatem qua cæteros antecedunt, honos, & ipsa Regni Statuta eundem illis & meritò concedunt. Ab eo tamen deijcerentur illico, nisi ea essent potentia, vt facilè dignitatem ac locum tueri suum, contra quorundam iniurias & insolentiam, possent. Nec ita multum temporis est, quod Sigism: Aug: Rege, aliqui Pontificibus de hac ipsorum prærogatiua litem mouerint: & nuper Archiep: Gnesneñ: quidã permolestè tulerunt, tam excelsum dignitatis gradũ obtinere. De iniurijs, quæ Clero inferuntur, vbi & de iurisdictione Ecclesiastica imminuta, & Decimis per summam iniuriam Clero ademptis disseruimus, nonnulla cõmemorauimus, & infra quoq; dicendi locus erit. Quod verò ad exactiones attinet, nec minus iustè de ijs queruntur Ecclesiastici, quàm tu iniustè miraris? Quid enim? An tibi nulla iniuria videtur, quòd ijs subiecti ex bonis suis militibus stipendia pendant? Aut ij ab exactionibus immunes dici queunt, quorum subiecti ad exactiones astringuntur? An non bona subiectorum, ipsorum Ecclesiasticorum bona sunt? Quomo-

Herbor: p. 240.

Quomodo ergo Ecclesiastici à tributis liberi sunt censendi? Næ tu, qui hæc miraris, aut admodum es malitiosus, & veterator, qui ita omnia implicas & inuoluis; aut stupidus planè atque bardus, qui bona subiectorum à Dominorum bonis tam imperitè secernis. Vt interim iniuriam agnoscas, & Cleri querimoniæ æquitatem, lege, si lubet, Statuta; & Ordinem Ecclesiasticum prorsus à tributis immunem inuenies, adeò vt non ipsi solùm, sed nec iis subiecti ad eadem pendenda, lege vlla aut sanctione, compellantur: si autem aliquando dependerint, id, vt Regi gratificarentur, & Regno subuenirent, sua sponte eos egisse, ac pro eo solùm tempore atque vice, legum volumina apertè demonstrant. Testatur id Statutum quod Sigism. anno 1527. edidit. *Et quoniam*, inquit, *spirituales in omnibus Palatinatibus, & districtionibus habent sua bona Ecclesiastica, quæ licet nunquam aliàs subiecta erant oneri bellicæ seruitutis: vt quæ per Serenißimos Prædecessores nostros Poloniæ Reges, & Duces, sunt ab initio fundationis Ecclesiarum, ad vsum duntaxat & onera Ecclesiæ collata, multisq; immunitatibus & libertatibus donata: tamen in præsenti Regni neceßitate, & summo discrimine, volentes ipsi Domini Spirituales, sibi & Ecclesiis suis, gratiam nostram demereri, fratribus verò suis Dominis Secularibus gratificari, Reiq; publicæ (pro cuius bono statu orare tenentur) ope sua non deesse: permiserunt non grauatim bona sua Ecclesiastica, hactenus semper libera,*

Sigismundus Cracouiæ, 1527.

libera, cum his, quæ ad defensionem obligata sunt, in præsens taxari. Testatur & illud, quod Petricouiæ
Sigismun: Petricou: 1544. sanciuit, Anno 1544. *Quod ipsum*, inquit, *vltro se facturos Spirituales obtulerunt, vnà cum Clero suo, de expeditione bellica agitur.* Testantur denique innumera priuilegia vetustissima, quæ in Bibliothecis Ecclesiarum antiquissimarum etiamnum asseruantur. Tale illud est Vladislai Pij, Poloniæ Ducis. *Ba-*
1228. *rones*, inquit, *& Nobiles purè diligam, & benignè conseruabo. Iudicia iniusta penitus interdico, iura iusta & honesta, secundùm Episcoporum & Baronum consilium tenebo, & faciam ea ab alijs firmiter teneri. Quod si quis violauerit, punietur. Ecclesias verò, in omnibus finibus illis constitutas, in eo quicquid obtentum est, ex antiqua consuetudine, vel libertate concessa, à fratre meo Duce Lescone præmortuo, illibatas conseruare*
An:1228. *volo.* Et illud, quod eodem anno edidit: *Ego Vladislaus Dux Poloniæ, pro remedio animæ meæ, & in augmentum retributionis æternæ, Ecclesiam Dei honorandam & decorandam, priuilegiis meis deuotè prælegi: animaduertens in illius honore ac libertate, potissimè ipsius Altissimi Filium, per quem Reges regnant, qui ipsius verus sponsus est, honorari, vt ab ipso merear suffultus Ecclesiæ suffragijs, ac honore temporali crescere, & æternè gaudere, qui temporalia munera sibi dulciter impensa, retributione compensat æterna. Cuius licet sunt omnia, à nobis tamen sua propria dignatur recipere, quasi nostra. Vnde dico cum Dauide Rege:*

Omnia

Omnia tua sunt Domine, & quæ de manu tua recipimus, dedimus tibi. Et etiam, Domine dilexi decorem domus tuæ, &c. *Cupiens grauamina Ecclesiasticarum personarum hactenus insolita relaxare, & solatium principali munificentia piè largiri. Inde est, quod Ecclesiæ Dei liberaliter & libenter confero Canonicam libertatem, liberans eam ab omnibus grauaminibus, & exactionibus indebitis, &c. Iura etiam Cracou: Ecclesiæ specialia, & domorum religiosarum in Cracou: Diœcesi constitutarum, siue largitione principum, siue aliàs longa consuetudine obtenta, illibata conseruabo.* Nec dissimilia sunt Boleslai Pudici, Cracou: In Priuil: Eccl:Crac: concesso, 1252. & 1258.
& Sendomir: Ducis diplomata, in quibus præter alias libertates & exemptiones à quibusuis oneribus, solutionibus, iudiciis, Clerum vniuersum ab omni expeditione bellica, per se, vel per alium suscipienda liberat perpetuò. Vencellai item Regis An:1291.
Boemiæ, Cracou: & Sendomir: Ducis. Illud Præmissli item Ducis Poloniæ: *Prædecessorum*, inquit, Dat: in Glolinua, 1284.
nostrorum pios actus, prout possumus, imitantes, inprimis libertates ab eis concessas Ecclesiæ Gnesnensi, approbando, iure perpetuo confirmamus; omnes incolas ipsius Ecclesiæ, ab omnibus angarijs, & præangarijs absoluendo, videlicet ab omni solutione, exactione, seruitute, ac iurisdictione seu dominio totaliter liberantes. Eiusdem quoque generis & illud Casimiri Magni: In Priuil: concesso Eccl: Gnesnen Crac: 1337.
Absoluimus gratiosè ab omnibus solutionibus, exactionibus. Simile quoque & illud Semouiti Ducis Maso-

uiæ: *Li-*

Dat : Vorodiniæ, 1361.

In Priuil: de stationibus ante Oppidũ Zakroczin

uiæ: *Liberamus ab omnibus exactionibus, seu Poradlne, ab expeditionibus quibuslibet, intra & extra terram.* Talia denique & illa sunt Vladislai Iagellonis, quo testatur Archiepiscopum Gnesnensem, & Episcopum Cracouiensem, vnum Baniecum, seu vexillum expediuisse, non ex debito, sed amore patriæ: & Casimiri Vladislai filij, quo à Clero Prouinciæ Gnesnensis, ex mera liberalitate subsidium charitatiuum (ita enim loquitur) aduersus Cruciferos concessum fuisse scribit: aliaq; innumera, quæ in Archiuio Regio asseruantur, quæ, ne longus sim, prætermitto. Quæ omnia tanti fuêre momenti, atque ponderis, apud Maiores nostros religiosissimos, vt nullo vnquam tempore, Reges etiam cum acerbissimis & grauissimis bellis Silesiorum, Boemorum, Ruthenorum, Prussorum, Germanorum, Valachorum, Scytharumque, Polonia diuexaretur, Ecclesiastici Ordinis homines, ad expeditionem suscipiendam compulerint: illud, opinor, veriti, ne minus feliciter pugnarent, si eos, qui Deum sacrificijs & precibus placare ex officio deberent, ad sanguinem spargendum, atque cædes coêgissent: aliorum Regnorum moniti exemplo, & vicinæ inprimis Hungariæ, in qua, vt Bonfinus memorat, cùm Episcopi in exercitu, iussu Regis, præter fas & æquum, cum aliis versarentur, tanta hominum facta strages est, vt vniuersi propemodum interierint. Atq; adeò locus, in quo eorundem sepulta ca-

Bonfin: in hist: Hun.

pulta cadauera sunt, in Transyluania etiamnum monstratur. I nunc, & illud dicito, calumniator, iniuriam Clero nullam fieri, si ipsis subiecti Cmetones, ex bonis suis tributa pendere compellantur. Illud quoque affirmato Decreto Reipublicæ, Clerum ad bella Moscouitica cogi posse. Habes vetustissimas Regum sanctiones, Priuilegia certissima, quæ contrarium asseuerant, & proinde eiusmodi, quæ Clero reclamante abrogari nulla ratione possint. His, si tu nulla subnixus auctoritate, nulla ratione contradicere volueris, non tam responsione, quàm reprehensione, dignus sapiẽtibus iure videberis. De Gallis & Venetis, quod affers, nihil moror. Nam inprimis, illos iura Cleri ita infregisse, vt narras, & libertatem imminuisse, nullo ostendis testimonio: deinde, si ita per summam iniuriam fecisset, non inde mox efficitur Polonis fas esse, ipsorum scelus & iniustitiam imitari. Ordinis interim Ecclesiastici, ea est æquitas & æquabilitas, vt nunquam Reipublicæ laboranti deesse velint, vt nec hactenus defuêre. Vestri autem est muneris & officii, si minùs patriæ opitulari possint ob indigentiam, quam in præsentia, subtractis Decimis, patiuntur, ipsorum Iura & Priuilegia, salua atq; integra, conseruare, aut si qui possint, eos more maiorum rogare, vt bono communi, Reiquepublicæ incolumitati consulant.

CAPVT XIII.

Quintam Ordinis Eccleſiaſtici querelam, de Eccleſiarum deſolatione, ac vaſtitate, plebe ſacris, & Sacramentis deſtituta, legitimam eſſe: Hæreticos omni cultu Diuino & Sacramentis carere, denique inania eſſe, quæ Calumniator Catholicis obijcit.

QVintæ iam aggrediar querimoniæ, calumniator, vexationem. Refutationem enim pudet dicere. In ea tamen quocunq; appellanda nomine ſit, næ tu, ſi aliâs vnquam, Rhetorico vſus es artificio. Cùm enim queratur Clerus, quod Eccleſiæ deſolentur, (vtar querimoniæ verbis) in ijſdemq; fiat abominatio; quod ſepulchra Chriſtianorum violētur: quod plebs ſine Sacramento, & cultu Diuino viuat, & pecudum inſtar moriatur: quod theſauri Eccleſiæ & ornamenta diſtrahantur, & in vſus prophanos cōtra leges Regni conuertantur; quod fundi deniq; & cenſus Eccleſijs adſcripti, adimantur, tu vniuerſa querimonia, diſſimulata ferè, ac penè prætерita, in cultum, quo Deum veneratur Eccleſia Catholica, inueheris, in Pontificem (quem non minus impudenter, quàm impiè, Antichriſtum nuncupas) in Traditiones, (quas Canone Scripturæ abrogato fingis ſubſtitutas) in Statuas Chriſti, ac Diuorū Imagines, [quas, ais, nos vt Ioues, Veneres, atque Martes venerari, idq; contra Patrum, Lactantij, Auguſtini, Epiphanij, imò & ipſius Scripturæ auctoritatem, qua ſerpentem æneum confractum legimus:] illud autem ſolùm, ad Cleri conqueſtionem, reſpondes; [vos imagines (quarum Clerus ne meminit quidē) tollere, ne idololatria occaſionem præbeant, plebem rectius Sacramentis, cultuq; Diuino deſtitui, quàm falſis cæremonijs, & à fide Chriſtiana alienis, pollui, ipſaque Sacramenta pecudum more tumultuariè ſumi, ſatius denique eſſe, vaſa Eccleſiarum in vſus pauperum erogare, quàm ad idolorum cultum deſtinare, ipſoſq; fundos egentibus tribuere, quàm idolorum Sacerdotibus, ocioſis & ventroſis concedere.] Quod ſanè non eſt querimoniam refutare, ſed Catholicam religionē, ipſumq; Clerum calumniari. Ego interim, ne ui ſimilis videar, oſtendam & veriſſima eſſe quæ Clerus obijcit, & à te iniuſtè reprehendi, quæ Eccleſia ſiue ad Dei cultum ac religionem, ſiue ad Templorum ornatum & ſplendorem adhibet, ſiue deniq; ad Cleri alimenta, hactenus à maioribus accepta retinet. Omnia comprehendam paucis. Quod primum igitur in querimonia fuit, Eccleſias profanari, & in ijſdem abominationem deſolationis fieri, ſepulchraq; Chriſtianorum violari, quis ambigat? qui ſupra Lxxx. templa Deo ſacra, in Gneſnenſi Diœceſi; in Vladiſlauienſi XC. in cæteris per vniuerſam Poloniam non pauciora, partim veſtro furore diſiecta, partim deſerta ob expulſos Sacerdotes Catholicos, (quod & tu ex volumine, in quo Eccleſiæ direptæ & dirutæ, deſcriptæ erant Stephano Regi obla-

gi oblato, diſcere potuiſti) partim execrandis hæreticorum, Lutheranorum, Caluinianorum, Anabaptiſtarum, Picardorum, Arianorum, ſacris contaminari auditione acceperit? quibus impijs cæremonijs, Eccleſias ipſas profanas fieri certiſſimum eſt. Quid enim aliud eſt hæreticorum menſa, quam in templo reponunt, quàm menſa dæmoniorum, ex qua profani miniſtri, minimè ſacerdotes, non iam corpus Chriſti, ſed execratum panem, & ipſi accipiunt, & populo rudiori diſtribuunt? Quid eorundem preces aliud, quàm fallaces ac impuræ blaſphemiæ? Quas enim puras ac ſimplices orationes, tanquam Diuinos honores & ſacrificia habere poteritis, (vt vos ijſdem verbis, quibus olim Auguſtinus Manichæos, alloquar) cùm de ipſa natura, atque ſubſtantia Diuina, (vos Ariani) de Euchariſtia, de Baptiſmo, de Sacramentis cæteris, Lutherani & Caluiniani) tanta indigna & turpia ſentiatis? Vnde veſtræ etiam ad Deum preces non poſſunt eſſe religioſæ, ſed inuidioſæ; vt cum eodem loquar Auguſtino. Quid ſacrificia veſtra aliud, niſi cultus cacodæmoni tributus? *Manichæi enim*, inquit Auguſtinus, (addo & ego, ô Lutherani, Caluiniani, Ariani, cæteri,) *neſcientes quid damnandum ſit in ſacrificijs gentium, & quid intelligendum in ſacrificijs Hebræorum, & quid tenendum vel obſeruandum in ſacrificio Chriſtianorum, vanitatem ſuam ſacrum offerunt diabolo, qui eos decepit, recedentes à fide, intendentes ſpiritibus*

Vide Arturi Faunsei, Oppugnationes Cœnæ Lutheranæ & Caluinia: partis 1. cap: 3. & par: 2. c. 3.

Lib: 20. contra Fauſt. c. 17.

Lib: 20. contra Fauſt. c. 18.

ritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi mendaciloquorum. Quid deniq; conciones hæreſibus inſperſæ aliud, quàm idololatria quædam? Neque enim ab idololatria diſtare hæreſes, dubitare quis debet, *inquit Tertullianus*, cùm & auctoris, & operis eiuſdem ſint, cuius & idololatria, atq; hac ſanè de cauſa, à Patribus athei nuncupantur hæretici; ab Athanaſio Arrius, à Hieronymo Eunomius, à Socrate Aëtius, ab alijs alij: quorum hæreſes vos ipſos ſequi, aliorumq; hæreticorum, *Cap: 1.* demõſtraui. Iam verò alterum illud, quod in querimonia ſequebatur, plebem ſine Sacramentis & cultu Diuino viuere, & pecudum inſtar mori, quis non videat eſſe veriſſimum? Si enim de plebe hæretica loquamur, nemini dubium eſt, quin Deum rite non colat, vt iam oſtendi; nemini etiam ambiguum eſt, eandem Sacramento Baptiſmi frequenter ſpoliari, (vt apud Anabaptiſtas accidit:) Sacramento autẽ Euchariſtiæ, atq; cæteris, Miniſtrorum veſtrorũ ſcelere omnino deſtitui. Quid enim? An non laici ſunt Miniſtri veſtri, qui cœnam illam, Domini ſcilicet, extruunt? à nullo Epiſcopo per manuum impoſitionem ſacris initiati, quod tamen Diuinæ literæ requirunt; neminiq; ſuccedentes, à ſeipſis ordinati, vt Cyprianus loquitur: & proinde Miniſtri huiuſmodi, qui nullam Euchariſtiæ conſecrandæ, à Chriſto poteſtatem acceperunt? cùm ſolis ille Apoſtolis, & ijs qui Apoſtolis legitimè ſuccederent, Presbyteris dixerit:

Li: de Præſcript.

Sermon: 2. con: Aria.

Epiſt: ad Pãmach: & Ocean.

Lib: 2. hiſt: trip. cap: 8.

Act: 13.

1. Tim: 4.

Tit: 1.

Epiſt: ad Magn.

Matt: 26.

Mar: 14.

Luc: 22.

2. Cor: 11.

xerit: *Hoc facite in meam commemorationem*; quẽadmodum hactenus credidit Ecclesia. Quod adeò verum est, vt Concilium Nicænum I. ne Diaconos quidem voluerit presbyteris Sacramentum Corporis Christi porrigere, tantum abest, vt consecrare posse putauerit. *Hoc enim neq; regula*, inquit, *neque consuetudo tradidit*, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, *vt ij, qui offerendi sacrificium non habent potestatem*, τούτους τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ, *his, qui offerunt corpus Christi porrigant*. Hieronymus quoq; de Hilario Luciferiano differens: *Hilarius*, inquit, *cùm Diaconus ab Ecclesia recessit, solusq; vt putat, turba sit mundi, neq; Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens. Deniq; Athanasius, cùm rumorem dißipasset Ischyras, Macarium (Athanasii presbyterum) in altare insultasse, mensam Domini euertisse, & poculum mysticum confregisse, aliud respondit nihil, quàm Ischyram, cùm presbyter non fuerit, vtpotè, cui non Episcopus, sed Colythus quidam presbyter manus imposuerat, Eucharistiam conficere minimè potuisse, ac proinde nihil peccasse Macarium, si eundem ab altari remouerit.* Et tamen hi profani ministri, ac ne Diaconi quidem à quoquam Episcopo ordinati, Eucharistiam conficient? Si autem de plebe Catholica sermo sit, luce clarius est & ipsam, quæ sub vestra crudeli ac superba dominatione viuit, plerumque cultu Dei, legitimisque Sacramentis destitui. Per summam enim iniustitiam, & contra ipsam Confœderatio-

Can: 18. recepto à Cõci: Cartha: VI. c. 9.

Dial: aduer: Lucifer.

Apol: 2. pro fuga sua. Syn: Alex: Acta. Socr: lib. 1. cap: 29. Theod l. 2. c. 8.

derationem, quam vsque adeò iactitatis, plebem ab Ecclesijs arcetis Catholicorum, & misera mulctatione bonorum, ad vestra gurgustia & speluncas latronum compellitis: Catholicos quoq; Sacerdotes ad ipsam Sacramenta perferre, nulla ratione sinitis. Cætera, de quibus Clerus queritur, ne ipse quidem inficiaris. Vasa enim Ecclesiæ, & fundos Ecclesijs adscriptos, fateris à vobis ereptos, sed adiungis pauperibus videlicet datos. Quod quàm verùm sit, omnes norunt, qui quicquid in Ecclesijs argenti fuit, quicquid vasorum, in pocula profanis vsibus accommodata esse conuersum vident: fundos autẽ & possessiones, non à pauperibus, sed à nobilibus, egentium oppressoribus & expilatoribus, teneri. Nec sanè mirum, cùm vobis ferè res pauperum non magis curæ sint, quàm Iudæ, qui Christum prodidit: quem vt imitari videamini, Clerum qui Christi vices in terra obit, è medio tollere omni studio & diligentia contenditis. Sed etiam si ita res haberet, vt pauperibus hæc omnia vos dedisse constaret, quibus obsecro rationibus, hoc factum vestrum tueri possetis? Annè vlla lex iubet, aut sanctio concedit, vt alienum egentibus præbeatis? Sanè Diuinæ literæ, adeòq; æquitas ipsa, suum cuiq; tribuendum docet: vt meritò vos grauissimè deliqueritis, qui fundos sacerdotibus, præcipuè pauperibus, eripueritis. Pauperibus interim elargiri debueratis, non quæ pauperum sunt, sed quæ diuitibus vobis Deus munificè & liberali-

liberaliter dedit. [At vasa, *inquis*, & ornamenta, ad idolorum cultum destinabantur, Sacerdotes quoq; vestri, idolorum sunt sacerdotes, ventrosi & ociosi. Intelligo quid velis, idolorum cultum, imaginum venerationem appellas: & Sacerdotes quòd easdem censeant venerandas, idolorum sacerdotes. Sed, ô bone, tibi ostendendum id erat, imagines Christi & Diuorũ, quas Ecclesia cultu aliquo prosequitur, idola esse. Hoc tu sanè nunquam præstare poteris. Differunt enim imago & εἴδωλον, vt eruditè Origenes & Theodoretus annotârunt, quod imago sit vera rei similitudo, hominis, equi, &c. ab imitando enim dicta est. Idolum autem falsa, ea nimirum, quæ id quod reuera non est, repræsentat: vt Veneris, Martis, &c. statua & figura. Et si tibi idem prorsus esse vidẽtur, fateri cogeris, & Cherubinos, quos in templo Dei Salomon collocauit, idola fuisse. Vt vel hinc iam perspicere possis Sacerdotes Christianos, qui imagines Christi, & Diuorum, aliquo in honore habent; Sacerdotes tamen idolorum dici non posse. Ipsas interim habere fas esse, ijsdemq; venerationem aliquã tribuere, sine omni idololatriæ suspicione, & ex sacris literis, & Oecumenicis Concilijs, vetustissimorumq; Patrum consensione, viri Catholici, ijq; doctissimi, iam diu demonstrârunt: quibus hactenus à vobis responsum non est. Quod autem populum dicis imagines Dei cultu venerari, & Diuinũ quidpiam ipsis inesse putare, mendacium est. Quod verò adiungis

Homil: 8. in Exod. Quæst: 38. in Exod.

Nicolaus Sanderus, lib: 2. de Imaginib.

adiũgis scholasticos secus in Scholis de imaginibus, secus verò in cantilenis occinere, & ipsum quoque mendacium est putidissimum: nec enim tu vllam cantilenam protuleris, ex qua iure colligas, scholasticos vllos in suis siue precibus, siue Hymnis, Sanctorum imagines vt Deum ipsum venerari. Non enim hæc latria colunt (vt VII. Synodus Oecumenica inquit, ante annos octingentos) nec in ijs spem reponunt, aut deniq; ijsdem sacrificia offerunt, sed vt sacra Euangelia venerantur: ita tamen, vt per imagines, coram quibus caput aperiunt, vt Concilium Tridentinum loquitur, Sanctos ipsos, quorum illæ gerunt similitudinem, honorent. Quod deniq; serpentem æneum confractum, quamuis typus Christi esset, memoras, & Lactantium profers affirmantem, nullum cultum syncerum religionis eo in loco esse, vbi cultus aliquis simulacrorum fuerat, Augustinum quoq; monentem, ne religionem in cultu mortuorum ponamus; ac ad extremum Epiphanium, quem ais, ne imaginem quidem crucifixi in tẽplo ferre voluisse, & ineptissimè, & improbissimè facis. Serpentem enim æneum, Ezechias 4. *Reg:* confregit: quoniam Hebræi eidem incensum adolebant vt Deo, & obliti significationis, propter quã serpentem erexerat Moyses; honorabant eundem ob materiam, vt idola cætera: ab eoq; beneficia curationum proficisci putabant. Serpenti interim, vt signo religioso, honorem aliquem iure atq; meritò, sineq;

Rob: Bellarmin: Tom: 1. controu. Arturus Faunteus in Doctrina Catholica, de Sãctorum Inuocat: & venerat. parte 2. c. 8 Actione 3. & 7. sessione 25.

4. Reg: 18.

Lib: 3. de Trinitat. cap: 10. Lib: 1. Inſt: Diuin. Carmin: de Paſſ.

ſineq; crimine habitum, à Iudæis antea fuiſſe, Auguſtinus teſtis eſt. Lactantius de ſimulachris, idoliſq; gentium, diſſerit, qui de imaginibus, quid ſenſerit ex hoc ipſius carmine: *Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora, cognoſcere potes.* Atq; eadem de Auguſtino ratio, vt iam liquet. Epiphanij factum quod refers, Epiphanij non eſt. Verba enim, quibus Hiſtoria illa continetur, Epiphanij nequaquam ſunt, ſed ab Iconomacho quopiã Epiſtolæ adiuncta. Quod ex eo patet, quia poſt finem Epiſtolæ adiecta ſunt, & D. Hieronymus in *Epiſt: ad Pammach:* totam ferè Epiſtolam Epiphanij à ſe Latinam factam recitat: huius autem imaginis ne meminit quidem: & D. Gregorius affirmat, nullum vnquam Epiſcopum ante Serenum Imaginem Chriſti confregiſſe: deniq; ſtylus non conuenit cum reliqua Epiſtola. Hæc cùm ita ſe habeant, iuſtiſſima eſt vniuerſi Cleri querimonia, adeòq; veriſſima: tuam autem de Cleri neſcio quo falſo cultu iniuſtiſsimam, ex his quoq; partim iam apparet, (in imaginum enim veneratione, nullam idololatriam eſſe iam oſtendi) partim ex reſponſione ad reliqua quæ affers apparebit. Ad illud igitur quod ais, Clerum templa prophanare, quod Antichriſtum, Romanum videlicet Pontificem, [qui vera, *inquis*, ſpecies, abominationis & deſolationis, eſt à Propheta prædicta,] in iiſdem conſidere ſinat, reſpondeo fuiſſe id tibi argumentis oſtendendum. Mihi interim promptum eſt, euincere

In Epiſt: ad Ioan:

Hieroſol. Li: 9. Ep: 9.

euincere nihil eorum, quæ affirmas, Romano Pontifici conuenire. Abominatio enim illa deſolationis Romano Pontifici tribui nequit: nec vllus vnquam interpres præter fanaticos & deliros huius temporis hæreticos, eam de Romano Pontifice explanauit. Hieronymus abominationem deſolationis exiſtimat intelligendam, vel de imagine Cæſaris, quam Pilatus poſuit in templo, aut de Adriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo ſancto ſanctorum vſque ad illius tempora permanſit. Chryſoſtomus, abominationem ſtatuam putat eius, qui Vrbem Hieroſolymam expugnauit. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Iulius African. Euſebius, Auguſtinus, totum eum locum, vti & illum Matthæi 24. *Cùm ergo videritis abominationem deſolationis, &c.* de euerſione Hieroſolymæ interpretantur. Et germanam hanc eſſe huius loci expoſitionem, ex Euangelio euidenter colligitur. Quod enim apud Matthæum 24. Chriſtus ait: *Cùm videritis abominationem deſolationis,* &c. *tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Lucas ſic expoſuit: *Cùm videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquauit deſolatio eius: tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Si tamen de Antichriſto & extremis temporibus accipere locum velis, ne tu quidem quidquam contra Romanum Pontificem effeceris. Nam tum deficiet hoſtia & ſacrificium, quod è medio tollet Antichriſtus, & ſedebit in templo Dei,

Daniel: 9. In Danieli & cap: 24. Matth. In Matth: 24. Matth: 24. Luc: 21.

tanquam Deus adorandus. Papa autem nec sacrificium sustulit, vt ipsi cernitis, nec se Deum profitetur, quinimò Deum religiosè veneratur, adeoque Sanctos eius demissè colit. Imò quoniam ita vis, ex hoc ipso colligo, Romanum Pontificem Antichristum dici non posse, cùm eorum nihil præstiterit, quæ hoc loco facturus Antichristus dicitur. Sed hoc totum argumentum eruditissimè Sanderus, Bellarminus, Thyræus, tractârunt: & Romanum Pontificem, Christi Vicarium; vos autem tanquam hæreticos Antichristos esse demonstrârunt. Iam verò ad alterum illud desolationis in Ecclesia Romana argumentum, quo affirmas Catholicos, sub specie veritatis Canonem Sacræ Scripturæ abiecisse, & nouos Canones, seu traditiones statuisse; respõdeo, te falsum crimen Catholicis vniuersis imponere. Omnes enim Scripturæ Canonem venerantur, adeoque integrum prorsus recipiunt; Canones autem si quos nouos condunt, ij sunt eiusmodi, vt Scripturæ Canoni non aduersentur. Traditiones autem Apostolicas, & à maioribus acceptas, retinendas esse, supra demonstraui. Imò quoniam hanc nobis de Scripturæ Canone intendis litem, affirmo vos Canonem violasse, adeoq; eius partem bonam abiecisse, quod euidenter Socolouius, & Laur. Arturus Faunteus, vt alios taceam, ostenderunt. Vobis igitur desolatio, non Clero Poloniæ, cæterisq; Catholicis est tribuenda.

Lib: 1. de visib: Monach. Thyræus in Thesib: de Antichristo. Bellarm: tom: 1.

Sup: 2.

Li: de Eccl. Lib: 2. de Eccles: contra Sadeelem.

CAPVT

CAPVT XIV.

Postremam Ordinis Ecclesiastici querimoniam, de grauissimis iniurijs, quas patitur, & realibus, & personalibus, iustissimam esse: eundem minimè causa inaudita Euangelicos, quos vocant, hæreticos iudicasse, nec in eorundem corpora sæuire, bellisuè ciuilibus occasionem dare.

IAm ad extremam Cleri querimoniam ventum est, calumniator, quæ de eo instituitur, quòd Sacerdotes sine lege, sine iustitia, sine iudice, tam reales, quàm personales (verba querimoniæ sunt) iniurias patiantur, cædantur, interimantur impunè, ac denique quibusuis obscurissimis hominibus, etiam Iudæis, qui suos habent patronos ac defensores, postponantur. Quæ sanè grauis est, fateor, verissima tamen, vt iam ex iurisdictione Ecclesiastici Ordinis iniquissimè imminuta, & Decimis per summã iniuriam eidem ereptis liquet. Vt in præsentia mihi laborandum non sit, vt huius querimoniæ æquitatem multis ostendam: maximè quòd tu ipse omnia, de quibus querũtur Clerici, agnoscas & confitearis. Illud solùm excipis, Ecclesiasticos Iudices non carere, imò & ipsos pro Tribunali pari cum secularibus numero causas cognoscere: [Sacerdotes autem, si qui feriantur aut perimantur, eos esse, qui meretricijs dediti amoribus, alienas ædes inuisunt, vel in tabernis cum rusticis perpotare solent.] Quæ ego sanè omni-

omninò non inficior, illud tamen contendo, Cleri querimoniā eſſe iuſtiſsimam & æquiſsimam. Nam quamuis pro Tribunali ipſi ſedeant, tamen ita ſedent, ac ſi Iudices non eſſent, quandoquidem ipſorum Decreta, quamuis & legibus Regni, & rectæ rationi conſentanea, vel contemnuntur, vel negliguntur; imò ne quod decreuerint fiat, omni ſtudio & diligentia ab Ordine Seculari curatur. Sacerdotes autem etiamſi eorum, quæ ais, criminum rei interdum ſint, nec tamen ita malè tractari à priuatis hominibus, pro ipſorum libidine deberent, nec ij, qui ijſdem vel verbera, vel necem intuliſſent, impuniti inultiq; remanere. De Sacerdotibus enim, & omnibus in vniuerſum Clericis, Epiſcopos ſolos, eorumq; miniſtros, pœnas ſumere, ſanctiſsimæ & vetuſtiſsimæ Regni leges voluêre; ipſos autem qui Clericos iniuria læſiſſent, Epiſcopis eſſe tradēdos, ab ijſdemq; iudicandos, ſtatuta decernunt. Sed præter Sacerdotes, quos, odio impulſus, narras, ob ſua flagitia verberari & occidi; alii inueniuntur, qui à Nobilibus maximè hæreticis, & culpæ alioqui omnis expertes, grauiſsima quæq; perpetiuntur. Quos tamen, ea eſt temporum infelicitas, nec ſecularis Iudex condemnat, quoniam ipſius id muneris non eſt, nec Eccleſiaſticus iudicat, quoniam etiam citati legitimè & vocati, cauſam dicere pertinaciter & peruicaciter recuſant. Vnde illud euenit, vt & Ordo Eccleſiaſticus, in tanta hominum perfidia & iniquitate, grauiſsimas in dies iniurias accipiat; & ſecularis, qui eaſdem facit, ſine pœna & periculo ſecurus viuat, ipſaq; impunitate fiat efferatior & immanior.

Iaroſlaus Gneſnen: Archiepiſ: fol: 54. & Bodzanta Crac: f. 57. Sigiſmun: Crac. 1543.

Atqui hic finis eſſe poterat, & peſtilentis libelli tui, & refutationis meæ, niſi tibi viſum fuiſſet, & Cleri querelas, & tuas, ad eaſdem reſponſiones Epilogi loco breuiter connumeratas iterare, & nouam querimoniam inſtituere: [quod Clerus cauſa inaudita, vos tanquam lupos & hæreticos condemnet, Concilij Tridentini fretus auctoritate; (quod legitimum, *inquis*, eſſe non potuit, cùm nec admiſſi, nec auditi noſtrarum partium Theologi ſint, & Romanus Pontifex, qui reus potiſſimum peragebatur, eidem præfuerit;) quod forum illud exoptet, in quo non conſcientias modò, ſed corpora ipſa affligat immaniter; quod deniq; illam perturbat pacem, qua fœdera ante exortas de religione controuerſias inita rumpantur, & bella ciuilia excitentur in Polonia, vt in Germania, Gallia, Anglia, accidit; dum Ordo Eccleſiaſticus pro ſuo ſtabiliendo principatu impenſiùs laborabat.] Quia autem ita lamentaris, & tuorum conditionem deploras, danda à me opera eſt, vt tibi faciam ſatis. Lupos igitur vos vocant Eccleſiaſtici, & inaudita cauſa condemnant? Vide ne audita ſit, calumniator, cauſa: ſanè audita eſt, & iudicata iam olim, cùm veteres illi & deteſtabiles hæretici, ſiue in Synodis, ſiue in ſcholis, ſuas opiniones, & à communi fidelium ſenſu alienas explicuerunt, eædemque vt hæreſes, ſunt reiectæ, & refutatæ. Eorum enim & vos doctrinam tuemini, & errores mordicus retinetis, vt Capite primo demonſtraui.

ſtraui. Sed etiam ſi hoc ita non eſſet, quinam in vos ſunt Eccleſiaſtici iniurioſi? an non vos ipſi hæretici nomine inuicem compellatis? An non Heshuſius, Lutherus parens veſter, aliiq́; , & Zuinglianos, & omnes Sacramentarios hæreticos nuncupant? Quā appellationem omnes Lutherani in confeſsione ab vniuerſis recepta, ſuo comprobauêre ſuffragio. Nonnè & Caluiniani Lutheranos iiſdem ornant titulis, cùm in Admonitione ad librum Concordiæ, tum alibi frequentiſsimè. Nonnè etiam vtriq; Anabaptiſtas & Trinitarios hæreticorum loco habent? Quæ omnia adeò certa ſunt, & explorata, vt etiam nuper Dantiſcani & Regiomontani, Caluiniſtas ſuos vt hæreticos eiecerint. Denique præter hæc omnia Concilium Tridentinum Clerus habet, cuius Decreto nixus (vtcunq; refrageris) vos hæreticorum loco habet. Et quidem iure optimo. Si enim Arium, Macedonum, Neſtorium, Eutychetem, Pelagium, Donatum, cæteros in hæreticorum numero reponimus, quoniam Synodi, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, Chalcedonenſis, Mileuitana, Gangrenſis, cenſuêre, & Eccleſia illius temporis vniuerſa decreuit; quidni & vos in hæreticis numeremus, quoniam vt Synodos Prouinciales taceam, vos vniuerſos, Sacrum Tridenti habitum Concilium damnauit, & Eccleſia vniuerſa huius tempeſtatis, tam Græca, quàm Latina, Decretum ſuo ſuffragio comprobauit. Quod autem tu Concili-

Thesi 17. anni 1545. in lib: de cœna.

Bullinger: in lib: de cœlo, & dextra.

Socolouius in Cenſura.

Concilium Tridentinum calumnians, ais, Theologos veſtros ne ad Synodum quidem admiſſos, nec auditos: mendacium eſt. Saluus enim conductus, vt loqui ſolemus, omnibus datus eſt, qui Concilium adire, & cauſam ſuam agere voluêre. Adfuêre quoque Mauritij Electoris Theologi, & Vittembergenſis Ducis, nominatim Brentius, aliiq́; ſed rogati vt diſputationem inirent cum Catholicis, recuſarunt. Sed etiam abſentes cauſam egêre, alij Theologi veſtri & auditi ſunt, adeoq; ipſis reſponſio data, ac ad extremum hæretici appellatio iiſdem pro meritis attributa. Quod verò adiungis Concilium minùs legitimum fuiſſe, quod eidem Romanus Pontifex, qui reus peragebatur, præfuerit: ineptum eſt. Quo enim iure vos Pontificem reum peragitis? Quo nomine? Cuius criminis? An eius quod fidem maiorum defenderit? Aliud nullum proferre poteſtis. Deinde, cur Pontifex in Concilio nō præſideat, cùm M. D. annos totos id obtinuerit? Et quamuis à vobis accuſetur: priuari tamen non poteſt iure ſuo, donec legitimo iudicio conuincetur Summus Pontifex non exiſtere. Accedit etiam, quod ſi hæc exceptio locum habere debeat, nec Arius legitimè condemnatus fuit, in Nicæna Synodo: ij enim præfuêre eidem, qui & ipſi rei, Arij opinione, erant, & in ſummo errore, & rerum maximarum ignoratione verſabantur. Iniquiſsimè etiam & Neſtorius à Cyrillo, & à Leone Dioſcorus, hæreti-

Bellarm: Tom: 1. & Arturus Faunt: in Aſſer: de Principatu Petri.


hæretici iudicati sunt, in Ephesina & Chalcedonensi Synodo, cùm inter ipsos, tota quæ tum agitabatur controuersia, versaretur. Nulli deniq; vnquam hæretici habebuntur, si hanc tuam admittamus exceptionem. Quis enim vnquam hæreticus, Catholicos Iudices reos esse non dixit? Sed quod caput est, non solus in Concilio Iudex est Pontifex Romanus, sed & cæteri, qui adsunt, Episcopi; quorum tanta est potestas & auctoritas, vt si eundem hæresis conuincerent, non iudicare modò, sed & condemnare, adeòque vel inuitum Pontificatu deijcere possent. Sed ne de Concilij Tridentini auctoritate ambigas, reuoca tibi in mentem idipsum ab Augusto, Henrico atque Stephano susceptum, & ab Ordine Ecclesiastico vniuerso non comprobatum modò, sed & promulgatum. Quod sanè pro Concilio aduersus tuas calumnias, satis est in Polonia firmum. Iam verò quòd Clerum accusas ita animo affectum esse, vt in corpora vestra sæuire peroptet, & pacem eam percupiat quæ bella excitet: iniquissimè facis. Nullam enim vim vobis inferunt, etiamsi & Ecclesiæ sanctiones, & Regni iura, aliud ab ipsis postulant; & vos malunt vt fratres & propinquos, ab errore ad veritatis lucem reuocare, quàm quicquam in vos grauius decernere. Bellum autem, tantum abest vt percupiant, vt in Concionibus, in compitis, in Senatu, pacem vbiq; suadeant; & quidem, quantũ licet, in tam infinita licentia, aliquos perfidia hominũ distractos, rursus in pristinam

concor-

concordiã reducere pro virili elaborant. Nec verum est, vt tu opinaris, bella ciuilia in Gallia, Anglia, Germania, & Flandria, à Clero principiũ habuisse. Hugonoti enim in Gallia, Anglia, & Flandria; in Germania Lutherus & Muntzerus, & olim Hussitæ in Boëmia; vt ex omnibus Historijs liquet, belli non instrumenta, sed & auctores extitere.

Atq; hæc, calumniator, ad responsionem tuã: qua quid effeceris, iam ipse, opinor, vides: Mea quidem sententia, hoc solùm tã intẽperata & insolenti scriptione assecutus es, vt maleuolentiæ tuæ in Ecclesiast: Ordinẽ testimonium extet, ad nominis tui ignominiã sempiternã, meæ autẽ in eundẽ beneuolentiæ monumentũ perpetuũ. Quid autem præterea profecerim, aliorum sit iudicium. Illud interim sine arrogantiæ, ac ostentationis omnis suspicione dicere, nisi me omnia fallunt, potero: me, & Cleri iurisdictionem ita asseruisse, ac ius Decimarũ ita defendisse, vt quiuis facilè intelligat se, nec illã absq; scelere imminuere, nec has nisi per summã iniquitatem retinere posse: Ecclesiastici deniq; Ordinis querimoniam vniuersam ita tractauisse, vt iustissimã æquissimãq; esse, satis appareat. Vtinã, quod opto, speroq;, præstiterim, meusq; hic qualiscunq; labor, ad Dei certè gloriã & Ecclesiæ vtilitatem susceptus, fructus vberes diuturnosq; ferat.

LAVS DEO.



Illustriss: ac Reuerendiss: Domini,

D. ALBERTI BOLOGNETI,

Cardinalis & Episcopi Massanen: S. Sedis Apostolicæ Legati,

In Comitijs Regni, ad Sereniss: Poloniæ Regem, & omnes Ordines,

ORATIO;

Habita Warsauiæ, die XII. Februarij. M. D. LXXX. V.



NOn est sanè quod mirum cuiquam videatur, me, qui & initio ad vniuersam hanc Rempubl: missus fuerim, & per omne legationis meæ tempus, non tuam tantum Serenissime Rex, quam crebris sermonibus vsurpare soleo; sed etiam omnium Ordinum, beneuolentiam erga me propemodum incredibilem expertus sim, oblatam mihi Generalis huius Conuentus occasionem, prætermittere noluisse, quin ante meum è Polonia discessum omnibus valedicerem, & cùm singillatim vnumquemq; (id quod maximè voluissem) exosculari atq; amplecti non valeam, vniuersos saltem ea qua possem ratione salutarem. Verùm quoniam rerum omnium nouitas maximè mouere solet, adhuc plerique, sat scio, mirabuntur quid sit, quòd cùm ego Maiestatem tuam antehac semper, vel ipso Comitiorum tem-

strum tempore, solus olam conuenerim, nunc præsentibus Regni omnibus Ordinibus, eandem compellare maluerim. Quare vt omnem planè ex omnium animis suspensionem, quamprimùm eximam, dicam apertè, præter eam, quam proximè exposui, alias quoq; consilij mei rationes fuisse, quæ me non inuitauerint solùm, sed propemodum etiam coëgerint, vt præter meam consuetudinem ex hoc loco in præsenti verba facerem.

Primò enim ad officium meum pertinere arbitratus sum, vt dolorem illum, quem Summus Pontifex Gregorius tanquam & communis Pater, & præcipuus Poloni nominis amator, ex hac ipsa, quæ fama pridem percrebuerat, Rerumpubl: perturbatione sanè grauissimum sensit, palam omnibus testarer, simulque vos omnes, cùm mea sponte, tum etiam Sanctitatis suæ nomine, paternè hortarer, vt pacem atque concordiam, qua nihil ferè preciosius, aut optabilius, in vita homini datum est, oblatam studiosè recipere, receptam constantissimè tueri, & conseruare velitis: ita vt ego à vobis discedens, verè dicere possim: Pacem Christi relinquo vobis, Christi pacem do vobis, quam & Dominus ipse vobis commendat: *Pacem & veritatem diligite*; ait Dominus Omnipotens. Atqui verò quid causæ est, cur non in eam ipsam omni studio incumbatis, & pro tot diuinitùs susceptis bonis, Sūmo illi benefactori Deo, vos non ingratos exhibeatis? Habetis Regem (vt alia tam multa, quæ tamen minora esse fateor, silentio prætercam) qualem vix anteactis seculis vidit vnquam Polonia. Quod ipsum vosmetipsi & agnoscitis, & fatemini, & maximas eo nomine Diuinæ clementiæ gratias agere soletis. Contra verò dicat Maiestas tua, (neminem enim alium hac in re testem appellare libet) quænam & qualia de Polonis, quibus voluit te Deus omninò præesse, ipsemet mihi sæpissimè narraueris; quibus laudibus, dum de Polona nobilitate ageremus, tibi in præteritis bellis planè perspectâ, & animorum & corporum robur, & laborum tolerantiam, & morum probitatem, modestiam, continentiam, æquanimitatem, atque erga suos Præfectos obedientiam extuleris; quos in re bellica progressus; quantam (si modò occasiones non deessent) Poloni nominis accessionem operari te dixeris. Quæ cùm ego tam præclara hinc & inde testimonia, & mutuæ voluntatis argumenta semper habuerim: non potero certè non summoperè mirari, atq; in communi mœstitia præcipuo quodam dolore angi, si de meis Polonis, optimeque de me meritis, vllo vnquam tempore vel absens ea audiero, quæ publicæ paci & tranquillitati non vsquequaque respondeant.

Sanè verò pacis ipsius (vt paulatim, & quasi per gradus ad illud pergam, quod mihi præcipuè propositum est) pacis inquam ipsius, & comparandæ & seruandæ, certissimam rationem docet nos Diuina sapientia, quæ nobis non obscurè insinuat, Iustitiam & pacem, ita mutuò sese complecti, vt hæc ab illa disiungi nequeat; & vbi à iustitiæ semita declinetur, ibi firma, stabilisque pax reperiri minimè possit. *Iustitia* (inquit ille) *& pax, osculatæ sunt.* Sola enim iustitia pacem Rebuspubl: pollicetur, sola Regni cœlestis quasi speciem quandam terris ostendit. Iustitiæ solius amore, vel primo ipso in mundi exordio, supremam Regibus potestatem populi detulerunt. Iustitia deniq; sola est, quæ vbi deesset, Tribunalia ipsa, & subsellia Iudicum, nihil essent aliud, quàm infanda latrocinia, omniumq; maximè detestabilia; quibus optimi quique & miserrimi homines fide publica decepti, crudelissimè spoliarentur. O salutarem igitur! ô sanctissimam iustitiam! ô rerum omnium, maximè cœtibus hominū necessariam! quam qui è Republ: tollunt, solem è mundo tollere videntur. Verenè dixero, te Polonis cordi esse, an verò potiùs è Polonia prorsus exulare? Etenim si Serenissimum Regem intuear, ac si etiam singulos ipsos, insignioresque præsertim, Polonos spectem, non potero non inter alias quàm plurimas etiam iustitiæ laude Poloniæ Regnum condecorare. Verùm si ad ea animum referam, quæ vt plerique affirmant ex præsenti rerum statu, corruptaque Reipubl: forma proficiscuntur: liberè fateri debebo, multas quotidie à iustitia fieri quasi secessiones; & eas quidem eiusmodi, quæ & totam publicæ tranquillitatis rationem perturbent; & antiquā Polonorum gloriam apud exteras etiam Nationes non parum imminuant; & (quod omnium maximum est) iustam Dei iram, cuius iam non obscura cernimus argumenta, contra nobilissimū hoc Regnum, magis magisq; in dies prouocare valeant. Quibus igitur potissimùm piaculis iratum præpotentis Dei Numen placare, ve-

care, veramque pacem impetrare poteritis ? Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Frustra enim speratur pax, nisi iniustitiæ labes omnis eluatur, & nisi causa morbi cesserit venis, frustra morbi finis expectatur. Iustitiæ cultum, pax: iustitiam spretam, dissidia consequuntur. A suis principijs vt mala sic bona omnia pendent, quare aut hæc cum illis habenda, aut illa cum his amittenda. Ecce meam vobis, quamuis obiter, hac de re sententiam liberè & paucis exposui. Non aliam, atque dixi, turbarum causam, non aliud turbarum remedium esse arbitror: sed vereor, hei mihi, maximè vereor, ne dum sanari vulnus à Medico petimus, vulneris fomenta nosmetipsi religemus; & dum dissidiorum finem à Domino precamur, ipsimet dissidijs materiem assiduè suggeramus.

Porrò autem, ne illa consecter, quæ meam, Principisq; mei curam minus attingunt (quanquam nihil quod ad Christi pacem quacunq; ratione pertineat, à Christi Vicario alienum videri potest) eò nunc demum veniens, quò mea iam dudum festinabat oratio. Quæro abs te S. Regia Maiestas, tum & à vobis Illustrissimi Senatores, cæterique Viri Nobilissimi, quisnam miserrimo huic Poloniæ Clero iniuriarum, vexationum, calamitatum finis vnquam futurus sit? Prælatorum ecce nutat authoritas: iurisdictio impunè spernitur: Ecclesiarum bona inuasoribus obnoxia sunt: polluuntur templa, ornamentisq; suis spoliantur: Sacerdotibus Decimæ subtrahuntur: Dei cultus deseritur: Ecclesiasticis viris forum nullum, nullus ad iustitiam aditus patet. Quæ si ego singula pro cuiusque rei grauitate conqueri velim, tempus sanè mihi potiùs, quàm oratio desit. Quocirca ex tam multis, quæ ab antiqua pietate ad omne iustitiæ genus deflexerunt, vnum tantum paucis persequar, idque non exprobrandi, aut accusandi gratia (quod ipsum à meis moribus, meaque verecundia alienissimum semper fuit) sed cùm eius rei remedium expeditissimum sit, omnique rationi consentaneum: spero vos hodie illud non grauatè amplexuros, & iam tandem sublata procrastinatione, demptâque omni morâ, publicis malis medendi exordium ab hoc ipso potissimum esse capturos. Quotus quisque est, qui si nunc interrogetur, quo iure, age mitto quo iure, sed qua saltem iuris specie, quauè æquitatis vmbra, aut velo exequutiones sententiarum pro Decimis, rite & legitimè prolatarum, suspensæ fuerint, possit mihi ad hoc vel verbum vnum, si non verè, saltem probabiliter, aut non absurdè prorsus respondere? Quis est enim, quem prætereat, Decimas, quæ soluuntur Ecclesijs, quin potiùs illi ipsi naturæ conditori, rerumque omnium datori Deo poscenti rependuntur, Diuina voce primùm in antiquæ legis promulgatione fuisse institutas, ab Eaangelio subinde receptas, Apostolicis sanctionibus, Pontificijsq; legibus toties repetitas, Romanorum Imperatorum, dum ij rerum potiebantur, mox verò Christianorum omnium Regum authoritate, munitas, vsu ipso apud omnes ferè Regiones, quæ veram Christi fidem profitentur, constabilitas: & (quod momenti etiam plurimum habere debet) hoc ipso præsenti in Regno, ab eo vsq; tempore, quo Polonia reiecto Belial, Christum Dominum agnouit, Clero, Ecclesijs, tanquam proprium & certum ipsarum patrimonium, firmissimo iure concessas, donatas, adiectas, omniumq; deinceps, qui vestræ huic Reipub: præfuerunt, priuilegijs quasi circumseptas, atque defensas? Quid dicam amplius? toto isto sexcentorum annorum spacio, absque vlla ferè controuersia Sacerdotibus persolutas? Quis hæc, inquam, ignorat? Et si hæc ita sunt, si meridianâ luce clariùs apparent, quo iure, quauè iniuria fit, vt antiqua pietas ad nostræ ætatis dedecus conuertatur? vt Decimæ Ecclesijs, Sacerdotibus alimenta, altari ornatus, Christo ipsi cultus, per summam iniustitiam atq; impietatem, denegetur? Non certè argumentis opus est, vt huius iniuriæ grauitas ostendatur, quæ non Theologis, non iuris peritis, non literatis tantum hominibus, sed planè omnibus perspicua est: Nam nec desunt viri Nobiles, & à literis, & à vera religione alieni, morali tamen & politica quadam probitate insignes, qui cùm re ipsa tantæ iniustitiæ dedecus à se procul amoueant (Decimas enim Catholicis Ecclesijs sponte persoluunt) tum verò etiam verbis grauissimis, & Catholico homine dignissimis huius facti indignitatem conquerantur, priuatamque nonnullorum contumaciam authoritate publica muniri, atque armari, minimè probent. Quod si idem & alij omnes sentirent, tandem cum iustitia simul sperare-

ſperaretur pax in Repub: poſſe coaleſcere fierent praua indire-
cta, atque aſpera in vias planas, & poſt tam multas procellas, o-
ptatæ ſalutis ſignis apparentibus, exultantium in Domino voces
audirentur. Vox exultationis & ſalutis, in tabernaculis iuſto-
rum. Iam verò ſi exitialis huius ſuſpenſionis decretum, ſine vlla
cauſa factum eſt, quàm ſanctum & ratum id haberi debeat ſecum
vnuſquiſq; reputet. Quodſi vt id fieret, quemadmodum pleriq;
autumant, inſtantis tunc Moſcouitici belli periculum in cauſa
fuit, quis non videt eiuſmodi remedia longè periculis ipſis eſſe
grauiora? Peruagemur totam Maſouiam, & gentis illius, quæ
verè à vobis deuicta eſt, templa omnia perluſtremus. Certè ſi
mihi vera narrantur, ne vnum quidem præteriti belli iniuria de-
ſertum eſſe reperiemus, cùm tamen victores Poloni in mille
templis, in mille, inquam, templis, ſi Deo placet, atque eò am-
pliùs, miram vaſtitatem conſpiciant. Sed quid conſpiciant dico?
& conſpiciant, & taceant, & tantum Diuini numinis dedecus, ſu-
arum ipſi tantummodo iniuriarum acerrimi vltores, æquiſſimo
animo ferant. O tempora! ô tempora! itané noſtræ ætatis ho-
10 minum nonnullorum oculos caligare, vt quæ in Repub: omni-
um maxima, & verè ſint, & apud maiores ſemper habita fuerunt,
ea ipſi pro minimis, aut pro nihilo etiam ducant! Oculos habent,
& non vident: aures habent, & non audiunt. Sed tu Domine
vſquequo? vſquequo? Exurge, quare obdormis Domine, excita
potentiam tuam, apprehende arma & ſcutum. Ah, quid dico?
non arma, non arma, non arma; ſed quidem ſcutum: neq; enim
ſtatuas illis hoc peccatum, parce Domine, parce populo tuo; ſed
tamen in auxilium noſtrum reſpice, & fac nobiſcum ſecundùm
miſericordiam tuam, tempus faciendi, tempus faciendi, Domi-
ne, diſſipauerunt legem tuam. Verùm hoc vlteriùs non vrgeo,
mitto ſuſpenſionis rationes quærere: tametſi & miſerrimum &
indigniſſimum eſt, quod abſq; vlla ratione, quod contra æquum
& bonum, quod præter Reipubl: ſtilum, quod vniuerſo Ordine
Eccleſiaſtico reclamante factum ſit; id non modò antiquiſſimæ
huius Regni conſuetudini, ſed & Diuinis & humanis legibus o-
mnibus anteponi. His, inquam, in præſentia, (quando ita neceſ-
ſe eſt) ſilentio prætermiſſis, vnum hoc vobis dico, ſuſpenſionem
iſtam,

iſtam, quæcunq; illa fuerit, eſſe finitam, & iam penitus expiraſſe:
proindeque communi omnium Ordinum conſenſu, idipſum de-
clarari oportere, vt ne diutius Clero ad iuſtitiam aditus interclu-
datur. Vtque intelligant Capitanei debere ſe in poſterum, quem-
admodum antea, ſententijs in cauſam Decimarum latis, brachij
vt vocant, ſecularis adminiculum præbere. Expiraſſe verò ſuſpe-
ſionem, (cùm hoc ab illo pendeat, an ad proximum tantum con-
uentum facta fuerint) tum ratione apertiſſima, tum etiam ex ver-
bis ipſis Decreti pleniſſimè oſtenditur. Ratio illa eſt, nam ſi non
proximum conuentum, ſed incertum compoſitionis tempus ſu-
ſpenſio complecteretur, ita vt nonniſi facta compoſitione finiri
poſſit: Bone Deus, bone Deus, quænam hinc abſurditas, ſeu quod
potiùs monſtrum conſequeretur? Nimirum illud, quod cùm
compoſitio ipſa illorum, qui Decimas debent, conſenſum & vo-
luntatem neceſſariò requirat: poſſent ipſi diſſentiendo efficere,
ne vnquam finiretur ſuſpenſio; efficere ipſi poſſent, vt perpetuū
eſſet hoc impedimentum, & ne Decimæ Eccleſijs in poſterum
ampliùs ſoluerentur; quo quid alienius, aut abſurdius excogitari
poteſt? aut quid erit vnquam abſurdum, ſi hoc non eſt abſurdiſ-
ſimum? Quid enim aliud eſſet, debitorum arbitrio committere
rei debitæ ſolutionem, quàm peruicacis hominibus, & ſolutionē
iuſtiſſimam detrectantibus, Decreto publico ſuffragari, (quod à
veſtrûm omnium voluntate alieniſſimum fuiſſe certo ſcio) quid
aliud eſſet, quàm rapinas fouere, quàm legibus imponere, & to-
tius præſertim Polonici iuris authoritatem (id quod directè fieri
non poteſt) obliquè, & per ſummam fraudem, infringere ac la-
befactare?

Quantum verò ad Decreti verba attinet, neminem eſſe ar-
bitror (niſi quis modò diſſentire potiùs à ſeipſo, quàm ſeipſum
audire velit) cui vel vnquam venerit in mentem, de ipſorum ſen-
ſu dubitare; aut qui vero exiſtimet, ſecus illam accipi poſſe, quàm
vt ad proximum conuentum referantur, cùm expreſſim dicatur:
Exequutionem verò ad alterum conuentum, ſiue ad alium con-
uentum ſuſpendimus. Eſto etiam ad alium conuentum, necnon
de proximo potiùs intelligam, quàm de tertio, quarto, quinto,
aut deinceps, vſq; in infinitum, cùm & vulgatiſſimæ & certiſſi-

mæ iuris

mæ iuris Regulæ sint, actum prima vice terminari: Infinitatem apprimè vitandam esse: Reijci omninò interpretationem illam oportere, ex qua vel minima absurditas consequatur, nedum hæc tanta, vt à debitorum arbitrio & voluntate, rei debitæ solutio pendeat. Quamuis autem vbi dictum est, ad alium conuentum, statim subijciatur, in quo etiam fieri debet compositio; tamē hæc verba nostram interpretationem non modò non refellunt, sed maximè potiùs commendant. Ostendunt enim in illo ipso proximo conuentu, ad quem suspenditur exequutio, fieri etiam cōpositionem debuisse, quam qui tunc obnixè petebant, postea neglexerunt. Quod si ad compositionem quandocunq; futuram, & non ad certum conuentum fieret suspensio; nihil certè adijceret hæc ipsa clausula, in quo etiam debet fieri compositio, sicq; dictio *etiam* quam vulgò constat, alterius rei implicatiuam esse minimè quadraret. Ac multò etiam minùs quadrarent illa verba, quæ postremo pro coronide, seu quasi colophone adduntur: sine præiudicio vtriusq; partis. nemo enim existimabit vnquam absque Cleri præiudicio fieri posse, vt suspensio solutionis Decimarum, pro debitorum arbitrio in infinitum protrahatur.

His rationibus victa Regia Maiestas (vinci enim rationibus, non minùs, quàm armis vincere, Inuictissimum Regem, decet) protestationem à Senatoribus Ecclesiasticis ea de re superioribus proximis Comitijs interpositam recepit, & in ea recipienda finitam suspensionem agnouit. Idque se agnouisse Decreto restata est, Decretum propria subscriptione, sigilloq; publico communiuit. Atqui certè satis hoc esse deberet, vt ne ampliùs in posterū hæc nobis obiectaretur suspensio, suspensio: vtq; iam tandem Capitanei officij sui memores, sententias pro Decimis latas, Regia (vt olim) authoritate exequerentur. Neque enim res erat eiusmodi, (si modo summo iure agendum fuisset) quæ noua constitutione indigeret. Nam quid erat opus communi Ordinum cōsensu perimere suspensionem, quæ tempore ipso satis iam perēpta, atque extincta esset? Mitto, quòd sine Ordinum consensu facta fuerit: sit verè, sit ritè, sit legitimè facta; at certè cùm initio nō longiorem, quàm ad proximum conuentum vitam acceperit, efficitur necessariò, vt post conuentū proximum illicò expirauerit.

Idque

Idq; (vt dixi) Regio testimonio declaratum esse, satis esse deberet. Quandoquidem nisi Regi concederetur eiusmodi Decreta, quin & publicas alias quascunq; leges, à dolosis istis interpretationibus calumnijsque, tueri atque defendere; ac si semper ad eam rem conuentus publicus esset expectandus; parum sanè fortunarum vestrarum securitati prospicerent Patriæ Constitutiones, cùm vbique non desint verborum contortores, intortores legum, bonorumque extortores, quorum illæ fraudibus atque cauillis subuerterentur, fœdarentur, opprimerentur, anteaquam vllum à vobis subsidium expectare possent.

Verùm (quicquid sit) en vobis quantum Ecclesiastici homines causæ bonitate freti, de suo iure decesserint: vt enim tantò planiùs ostenderent vestram se beneuolentiam plurimi facere, pacemque publicam, & mutuam animorum consensionem, proprijs etiam commodis anteponere: post exactum suspensionis tempus, obtentumque ea de re Serenissimi Regis testimonium biennio, atque eo amplius tacuerunt, vt quod satis iam obtinuerant, quodque etiam multis de causis suo sibi iure vendicare poterant, rursus à Regia Maiestate, ab vniuerso Senatu, totaq; adeò Nobilitate, hoc tempore impetrarent; nimirum, vt ne Decimis, ne Patrimonijs Ecclesiarum, ne Sacerdotum alimentis, ne denique Diuinis obsequijs, funestæ huius suspensionis obex in posterum opponatur.

Hoc illud est, quod à vobis pro vniuerso Clero, Cleri ipsius principes qui inter vos sedent, vehementer etiam atque etiam petunt. Hoc & tenuioris fortunæ Sacerdotes, egentes, famelici, aris focisque eiecti, ac multis modis indignissimè oppressi, ingenti cum fletu & lachrymis poscunt, nec sua tantum, sed & Christi vulnera vobis ostendunt. Hoc ipsum, Ecclesiæ tam multæ desertæ atque vastatæ, vel solo ipso aspectu, satis enixè rogant. Idem hæ animæ prope innumerabiles, Christi ipsius sanguine redemptæ, summis precibus contendunt; vtpotè, quæ frustra sibi tam diu panem quæsierint, nec qui frangeret eis, prorsus inuenerint; qroindeque de salute sua se periclitari, atque sathanæ insidijs, Erebique faucibus, sese miserè obiectas esse, conqueruntur. Idem hoc ego, pro officio meo, proque ea, quam apud vos,

quamuis

quamuis indigniſſimè, perſonam gero, ſummo ſtudio, & quanta poſſum animi contentione, poſco, poſtulo, efflagito, paciſque publicæ initium hinc fieri peto, & SS. D. N. hac ipſa de re mirificè ſollicitum eſſe, planè vobis atteſtor atque confirmo. Sed plura non addam, forſanque etiam nimis hucuſque multa. Neque enim vereri debemus, quin cùm ea de re quæ tam perſpicuam rationem atque æquitatem habet, oratores ad vos acceſſerimus, pro veſtra iuſtitia atque humanitate, exoratores diſcedamus.



MOWA
DVCHOWIENSTWA KORONNEGO,
Ná Seymie Wárſzáwſkim,
DO KROLA I. M.

Przez X. Wáwrzyńcá Goślickiego, Dziekáná Płockiego, Kánoniká Krák. Sekretarzá Królá I. M.

Dvchowieńſtwo Koronne / Sludzy Boży y Kośćiołá iego świetego / Bogomodlcy W. K. M. przez Deputaty y Poſłánce ſwoie ſtáwili ſie też tu otó / przed Máieſtát W. K. M. ná tym Seymie / przyćiągnieni receſſámi wiela Seymow / przyćiągnieni obowiąſkiem y obietnicą W. K. M. y ſtanow Koronnych / przyćiągnieni wielką á nietylkoſwą / ále Bogá wßechmogącego kauſą y krzywdą / ktorą Kośćioł Boży w oſobách ich / w práwiech / przywileiách / zwyczáiách / w Iuriſdycyey / á co naprzednieyßego / co też w obelżeniu y w vmnieyßeniu czći y chwały Bogá wßechmogącego / ćierpi. Stáwiwßy ſie tu / przynoßą przez mie brátá ſwego / á namnieyßego ſługę W. K. M. prośby ſwe do W. K. M. áby iuż kiedy tedy / á teraz więc / gdy czás ieſt / miłośćiwym y Krolewſkim okiem ná nie weyźrzeć raczył. Do kogoż innego máią ſie vćiekáć w tym / iedno do tego / ktoremu Pan Bog ſąd ſwoy / Sceptrum ſwoie / Regiment ſwoy podał. Per eum Rex regnas, & Deus ſuum iudicium tibi Regi ſuo dedit. Práwem Koronnym / y práwem poſpolitym perſonas, ædes ſacras, Iura, Priuilegia, dignitates, Eccleſiaſticas, ſub tutelam & patrocinium W. K. M. podał. Deus igitur tutelaris es. Przypominamy y przyznawamy to W. K. M. nie dla ozdoby iákiey / ącz y to / ále dla prawdy / ábyś W. K. M. wiedział / czym ieſteś / y czym ćie Pan Bog mieć chćiał w Kośćiele ſwoim świętym. Krzywdy wßytkie / ktorekolwiek Kápłani / ſłudzy Boży / od kogo ćierpią / bądź o chwałę iego świętą / bądź o oſoby ſwoie: ſą krzywdy nie ták wielce ich / iáko Bogá

wßechmo-

wßechmogącego / y máieſtatu iego. Ieſli Crimen læſæ Ciuilis Maieſtatis, wßytkie crimina ná świećie przechodźi: á coż crimen & iniuria in Deum & Eccleſiam commiſſa, dáleko wietßa ieſt. A ieſli wietßa / mamy tę nádźieię o W. K. M. iż zá krzywdę iego / iáko miłośnik y pomázániec Boży / będźieß śię raczył viąć / ták wielce / ábo więcey niżli zá krzywdę ſwą / ábo zá krzywdę naywietßego miłośniká ſwego. A to ieſt naprzednieyße onus powinnośći W. K. M. á tákie / ktore śię nietylko ad pietatem & officium, ále też ad conſcientiam Regalem przywiązáło. Słußnie tedy prośby náße do W. K. M. przynośimy; ſłußnie to / o co prośimy / otrzymáć mamy; ſam Pan Bog / y práwo poſpolite vkazał nam / y vkázuie / ſędźiego y obrońce kauſy náßey / Wáße Krol. M. náßego M. Páná. Rzeczeß nam W. Krol: M. Rogatiſnè quæ ad pacem ſunt? Ták ieſt N. M. Krolu / dwu rzeczy od W. Kr: M. prośimy: Pacem & iuſtitiam: Gdy Polak dobry od ſąśiádá pokoiu nie ma / mowi poſpolićie: Nie mogę śię w pokoiu chlebá przed nim náieść. Toć śię nam dźieie náß M. Krolu: Chleb Kośćielny / Chleb Dźieśięćinny / Chleb Boży / extra Eccleſiam eſt: áni go w Kośćiele / áni ná cmyntarzu / áni przed kośćiołem widáć. Prośimy W. K. M. iákośmy w Paćierzu zwykli Páná Bogá prośić: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Przywroć nam Pánie chleb / ktory mamy od Páná Bogá / ktory też od przodkow náßych / przodkow W. K. M. ieſt nam nádány / panis nobis & bolus ex faucibus eripitur. Chryſtus w Ewángeliey ś. mowi: Quis ex vobis homo eſt, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid porrigit lapidem? Nam śię to dźieie; miáſto chlebá kámień nam podáią / gdy chleb gwałtem biorą: gdy nam vkázuią do Krolá / do Grodu / do Ziemſtwá / do Trybunału / do Kompozycyey; á ze wßytkiego nic. Altera manu panis nobis oſtenditur, altera lapis porrigitur: Krzywdę ćierpimy / á nie mamy śię iey gdźie domowić. Wrotá nam wßędźie do ſpráwiedliwośći záwárte: Sedemus in Cathedra, & nihil minus, quàm in Cathedra: Qui ſoluimus alios, ipſi ligati ſumus; qui ligamus alios, ipſi conſtringimur. Klucze mamy / á ßpiżárnia puſta. Czyliśmy ſą inákßey kondycyey niżli Bráćia náßy? Czyliśmy my ſámi / ſine lege, ſine Rege mamy bydź in Repub. czyli vulgus ignobile, & ſine mente pecus? Dla modeſtyey y ćierpliwośći Kápłáńſkiey / w tym obelżeniu leżemy: Facti ſumus opprobrium

fratri-

fratribus noſtris, ſubſannatio & illuſio iis, qui ſunt in circuitu noſtro. Iákoby tu Bogá nie było / á ieſli ieſt / tedy gdźieś zá piecem śiedźi wzgárdzony / y vkrzywdzony. A czyiaż to krzywdá? Boża naprzod / potym wßytkiey Rzeczypoſpolitey / narodu zacnego Polſkiego / zelżywość y háńbá: iákoby tu áni Páná / áni práwá / áni rządu / áni ludzkośći / áni obyczáiow dobrych nie było: ták ieden z drugiego ßkody y nieſpráwiedliwośći kocha śię / y oną śię paſtwi. Ráczże to mniemánie y obelżenie z narodu náßego znieść / á Kápłanom chleb y ſąd Kośćielny przywroćić. O Miłośćiwy Krolu / vrodźiłeś śię mądrym / á co więcey Chrześćiáńſkim Pánem: factus es vnctus Domini; nie pokłádayże w Kroleſtwie Chrześćiáńſkim / ktorego ćię Pan Bog wodzem y Krolem vczynił / ták niſko / y ták mizernie Kápłaná ſwego. Niechayże nie będźie w tákim obelżeniu ſługá Boży / iużći biádá bywa temu Kroleſtwu / vbi Sacerdos abſque honore. Pewnać to / á nieomylna / náß M. Krolu / iż więcey metus Dei, niżeli metus Legum, może in Repub. więcey religione & pietate, niżeli legum ſeueritate, continentur homines in officio humanitatis: więcey conſcientia deterentur homines à malè agendo, niżli ſcientia & ſapientia. To nápráwiß / gdy Kápłaná przy práwie ſwym zoſtáwiß / gdy władzą Duchowną / diſcipline Kośćielną Kápłanowi przywroćiß: ále gdy od Seymu do Seymu ſpráwiedliwość y władzą Kápłáńſką odkłádáć będźieß / zá wzgárdą táką Kápłaná ſługi Bożego / przyidźie wzgárdá Bogá miłego; náſtąpi wzgárdá Máieſtatu twoiego: rozmnoży śię wzgárdá Mágiſtratu wßytkiego: á náwet vczćiwośći iednego przećiw drugiemu / pro populo quieto, będźie populus contradictionis. Czego áby w Páńſtwách ſwych nie doznawał / poſtrzegáć tego maß iáko Pan mądry / iáko Krol y Hetman Chrześćiáńſki: Záchowayże nam tedy W. Kro. M. ſpráwiedliwość / ſpiritualium & temporalium. Vczyń gránice Iuriſdikcyey Kośćielney / wſkrześ ſędźiego o Dźieśięćiny / y o inße krzywdy Kośćielne. By o iáką łáſkę y ſpráwiedliwość prośił W. K. M. człowiek obcy y nigdy nieznáiomy / ex lege humanitatis & pietatis, nie odmawiałbyś mu tego W. K. M. ábyś iemu łáſki / y rzeczy ſłußney / y pobożney / pokázáć nie miał. My nie obcy / ále domowi / caro ex carne, os ex oſſibus fratrum noſtrorum. My ſłudzy Boży / ſłudzy W. K. M. nie mamy pietatem & clementiam W. K. M. w tym poznáć? Nie my tylko / nie

my oto

my o to prośimy: ále o to prośi / y rádźi to zacne koło Senatorſkie: Przekłádáią gniew Boży / y wiele złego / co ztąd idźie. Przekłádáią diffidencyą ludzką / ktora z tey ſámey przyczyny weßłá / y gorę bierze miedzy ludźmi. Máło ich y w Kole Rycerſkim W. K. M. znaydźieß / ktorzyby tego obiemá rekomá W. K. M. pomoc niechćieli: wßyſtko maß W. K. M iedno potrzebá począć: Dimidium facti, qui benè cœpit, habet. Wielki pień z drogi zwáliß / ktory do dobrego w Rzeczypoſpolitey droge záwálił: Wżdy iednak ći tego od W. K. M. żebrzą / ktorzy z Przywileiu Bożego tey Prerogátywy záżywáią / iż tym rzeczono: Qui vos audit, me audit. Wyſłuchayże nas W. K. M. ieſli chceß áby też Pan Bog W. K. M. w potrzebách iego wyſłucháć raczył; nie nas żebrzących ſłucháć bedźieß / ále P. Bogá / ktorego tá ſpráwá ieſt / ktory po W. K. M. tego chce / ábyś iemu ſámemu / y Kápłanom iego / powinność ſwą Krolewſką oddał. Pokoiu y Spráwiedliwośći prośimy / ábyſmy zá łáſką W. K. M. zá przywroceniem tego co nam należy / mogli z Prorokiem świętym mowić: Chwałá Bogu: Iuſtitia & Pax oſculatæ ſunt. Oſtátnie przypomniemy: Chceßli W. K. M. áby W. K. M. prawdźiwie / y vprzeymie / quæ ſunt Cæſaris Cæſari, oddáwano; oddayże też W. K. M. quæ ſunt Dei Deo. Zá czym bedźie y Bog W. K. M. y temu Kroleſtwu / dźiedźictwu Chryſtuſowemu / krwią iego świętą omytemu / błogoſłáwił. A gdy nam plác do tego dáć bedźieß raczył / ábyſmy ſpecificè doległośći náße pokazáli / bedźiemy / y ieſteſmy to W. K. M. pokazáć gotowi.



PRO LIBERTATE ET IMMVNITATE ECCLESIÆ,

Quædam Sententiæ.

PSALMVS 82.

Omnes principes eorum, qui dixerunt; hæreditate poßideamus ſanctuarium Dei: Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes; ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos.

Ioel: 3. In Tyrios & Babilonios.

Citò reddam vicißitudinem: argentum enim & aurum meum tuliſtis.

Stephanus Papa, apud Anacletum, Epiſt: 1. c. 2. Lucius cap: 6. & in Conc: Triburien: c. 7. & 12. q. 2.

Sanè ſi quiſquam Oeconomorum ſpiritu audaci, & mente ſacrilega, Chriſti pecunias & Eccleſiæ aufert, fraudat & rapit, vt homicida in conſpectu Iudicis deputabitur.

In Synodo Matiſconen: II. can: 9. in Conc: Mileuitano, Can: 19. & Toletano III. Can: 13. Puniuntur grauißimè Clerici, qui cauſam Eccleſiæ ad Iudicem ſecularem deferunt.

Sulpitius lib: 2. Sacræ hiſtoriæ, circa finem.

Refert S. Martinum Maximo Imperatori dixiſſe: Nouum eſſe & inauditum nefas, vt cauſam Eccl: Iudex ſeculi iudicaret.

Ambr: Epiſt: 32. & 33.

Valentinianum Imp: Iuuenem adhuc reprehendit, quod Iuſtinæ

ſtinæ matris impulſu, ſibi iudicium de fide vſurpare, contra patris exemplum, conaretur.

S. Gregorius, lib: 5. cap: 25. de Mauritio Imperatore loquens.

Scimus, inquit, *piiſſimos Dominos diſciplinam diligere, ordinem ſeruare, Canones venerari, & ſe Sacerdotalibus negotiis non miſcere.*


Baſilius Imperator in VIII. Synodo diſertè aſſeruit, nec ſibi, nec vllis laicis, licere negotia Sacerdotalia tractare.

Gregorius Turonen: lib: 4. cap: 2.

Clotarium Regem tertiam partem fructuum Eccleſiaſticorum fiſco ſuo annectere volentem, hoc dicto S. Iniurioſi à propoſito reuocatum refert: Si volueris, inquit, *res Dei tollere, Deus Regnum tibi velociter auferet. Quia iniquum eſt, vt pauperum ſtipe, quos tuo debes alere horreo, tua horrea repleātur.*


Otto Friſing: in Friderico Secundo.

Refert Petrum de vineis Friderici Imp: Secretarium, ab eodem excæcatum, poſtea tamen in gratiam receptum, conſuluiſſe Imperatori, vt Eccleſiarum ſuppellectilem auream & argenteam, ad vſum belli conflaret. Quod cùm feciſſet Imperator, dixiſſe: Egregiè ſe vltum eſſe de Imperatore: quod qui prius hominum odia ſibi comparauerat, nunc Deum ſibi ex ſacrilegio faceret inimicum.



7

1



STANISLAI SOCOŁOVII, MAGNI OLIM STEPHANI REGIS POLONIÆ THEOLOGI.

ORATIO ECCLESIASTICA,

Pro dote Eccleſiæ Dei, & hæreditate Chriſti.




CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

Anno Domini. M. DC. XXXII.





AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISS:

STANISLAVM KARNKOVIVM,

Archiepiscopum Gnesnensem, Primum Regni Principem.



E cælesti Hierusalem, vnica sponsa IESV *Christi Ecclesia Dei, nuper ad Serenissimũ Regem meum libros aliquot, nec dum à nobis editos conscripsimus; quænam, inquam, & qualis illa sit, vbi inueniatur, quibus signis & indicijs, â falsis & ementitis Ecclesiis, distinguatur. Nunc de eius dote & hæreditate, quasi continua serie, ad te Amplissimum Archipræsulem, aliquid hoc tali tempore conscribendum putauimus: id autem potissimùm eo animo, quòd non ignoramus, vt quondam de vestimentis Iesu Christi in cruce pendentis, ita nunc in his Comitijs, de sorte & possessione illius, infinitas contentiones, pugnas, atq; rixas futuras, sortemq; super illam, cum militibus illis, auaros & egétes homines missuros; qua sublata, religionem vniuersam, fidem Christianam, cultum diuinum, decorem domus Domini, doctrinam, scholas, humanitatem, elegantiam deniq; omnem, publicè atq; priuatim auferri oportebit, ipsamq; Ecclesiam Dei, in hac Republ: labefactari necesse erit: non altare, Sacerdotem; non Ca-*

non Ca-

non Cathedra, Doctorem; non chorus, Cantorem; non schola Magistrum; non aula ipsa, Scribam; non Respub: sua ornamenta habebit. nam & isti catelli, de huius sponsæ micis, in hac Reipubl: paupertate, viuere & educari solent. Sed & isti ipsi forte Domini non amplius ditabuntur, ex obscurisq; clari euadent. Quod igitur præsentes, viua voce, nisi aduersa valetudine impediti fuissemus, facere debebamus: id absentes, iuxta Græcorum prouerbium, κατὰ δεύτερον πλῶν, hoc est, remis, vbi velis non licet, nauigantes, quod Isocratem aliquando fecisse legimus, scripto præstare voluimus; vbi quæ sint partes eius compositionis, quæ dos Ecclesiastica, quod illius ius & æquitas, verbo Dei, recta ratione, omnis vetustatis ac Sanctorum Patrũ testimonijs, rudiorũ causa, clare & simpliciter docemus; ea quæ iuris legumq; paternarũ sunt in ea re peritioribus relinquẽtes. Ad te autem potissimùm, Reuerendissime Antistes, eam nostram commentationem mittimus: vel quòd primus eius ipsius pulcherrimæ Mulieris in Regno hoc sponsus & tutor sis: vel quòd omne certamen, pro eius dote & hæreditate, ad Te primò & præcipuè pertineat; vt qui & in Clero Regni huius supremus sis Pontifex, & in Republ: Primus Princeps; vnaq; manu Ecclesiam Dei, altera Rempubl: ipsam teneas, ac quasi in complexum, vtraq; adducas: vel quòd tali tempore sub tuum vexillum omnes qualiacunq; arma & præsidia ferentes, se referre ac confugere oporteat: otiosum autem ea tempestate Ecclesiasticum hominem esse, nullo modo conueniat. Hæc autem qualiacunq; sunt ad te mitto: non vt aliquid splendoris nomini tuo addam, quod & sponte sua clarissimum est, & longè disertiores præcones habet, & quod seipsum cùm amplissimo Magistratu,

stratu, tùm præstantissimis rebus gestis, doctissimisq; scriptis ac cogitatis, abundè commendare potest; sed vt debito officio meo satisfaciam, ac pensum quodammodo persoluam. Tu enim studiorum meorum aliquando magnam partem adiuuisti: Tu me vnà cum amplissimo Cancellario, magnoq; belli Duce ZAMOYSCIO, de manu tua Regi meo tradidisti: tu vsq; adhuc amas, & quantùm potes ornas. Verùm non me solum, sed & omnes alios, in quibus modò sit aliqua significatio virtutis atq; industriæ. Itaq; omnes boni, omnes artium bonarum studiosi ad te currunt, te appellant; apud te virtutis & industriæ suæ, tutissimum portum & requiem constitutam esse putant; te parentem, Patronum, Mæcenatem laudant: verùm hæc ipsi illi meliùs prædicent. Nunc te ipsum, Antistes Illustrissime, erige atq; excita: ac quantum tibi certamen, pro dote & hæreditate Ecclesiæ Iesu Christi, tali tempore incumbat, diligenter circumspice. Nunc tuum tibi propriũ campum apertum putes: nunc illud robur, neruumq; insuperabilem animi tui, industriæ, doctrinæ, vigilantiæ, studij, diligentiæ, perennis cuiusdam animi sollicitudinis, quibus quondam omnia cedere solebant, quibus omnia superasti, intende. Nunc te virum demonstra, atq; hac ratione sempiternum monumentum gloriæ, ac immortalitatis tuæ, ad omnẽ posteritatis memoriam erige. Ad quam rem rectè perficiendam, mittat tibi Dominus auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te: memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat: tribuat tibi secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. Vale diu felix, & viue Ecclesiæ Dei, & Reipub: tuæq; immortalitati, sed & SOCOLOVIO.

STANISLAI SOKOŁOVII ORATIO ECCLESIASTICA.

Pro dote Ecclesiæ Dei, & hæreditate Christi.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matth: 22.

COmpositionis pacis & concordiæ diu multumq; à vobis laudatæ & appellatæ causa, inter vos, Deum, ordinemq; Sacrum, quæ tot annis, errore, malitiâ, inexplebili hominum improborũ cupiditate turbabatur; vos tandem aliquando huc frequentes confluxisse video, atq; etiam gaudeo. Si enim verè & ex animo, sine fuco & fallacijs id facitis, rem magnam & pulcherrimam aggredimini, vt, qua nulla neq; vtilior, neque iucundior, neq; magis aut Ecclesiæ Dei, aut ipsi Reipublicæ salutaris, magisq; necessaria esse potest. Ecce enim quàm bonum, *Psal: 132.* & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius; sicut ros hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsq; in sæculum. Sin verò, quod non credo, fictè & simulatè id à vobis fit, vt ore quidem benedicatis, corde autem maledicatis; vt pacem quidem loquamini cum proximo vestro, mala autem sint in cordibus vestris; vt molliti sint sermones vestri super oleum, ipsi autem sint iacula, quò ordo Ecclesiasticus labefa-

labefactetur, ac corruat, religio Christiana extinguatur, Deus ac Christus eius ex sorte hæreditatis suæ exturbetur, & de medio vestrum tollatur: tum quantò mitiora & splendidiora vocabula vsurpatis, tantò turpius fallitis, vosque primùm ipsos, deinde alios omnes decipitis: tantòque & apud Deum, & apud mortales omnes, maius impietatis & *Isa: 30.* improbitatis iudicium referretis, vt filij desertores sitis: vt faciatis consilium, sed non ex Deo; & ordiamini telam, & non per spiritum eius: vt addatis peccatum super peccatũ: qualia consilia prosperari poterunt nunquam. Verùm cùm id de vobis, gente illa quæ nunquam in corde & corde loquuta est, suspicari non liceat: apud quam mentiri crimen summum habitum est semper: vbi simulatio scelus est: quæ sua simplicitate & veritate omnes superabat gentes: cuius proprium decus & insigne, ac veluti peculiare emblema, veritas fuit semper; ideò omissis sinistris ominationibus, ad doctrinam nos referamus, ac in quo fundamentum & summa eius Compositionis constituta sit, propter rudiores, paucis & simpliciter doceamus. Est autem totius huius causæ summa & fundamentum, illud ipsum Christi Domini æterni & cælestis Magistri, decretum: REDDITE IGITUR QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI, ET QUÆ SUNT DEI DEO. Nam cùm, teste Platone, omnis dissensio, pugna, bellum, rixa, ex differentia illarum duarum vocum, Mei, inquam, atq; Tui nascatur: qui eorum discrimen sustulerit, ille facilè pacem, tranquillitatem, & omnem quietem rebus restituet, omnemq; dissensionem componet, ad optatumque finem res deducet. Et quæ sint quidem Cæsaris, non ignoratis: Dei item omnia nostra esse, nemo est qui dubitet: quæ autem Antistitibus, Sacerdotibusque vestris, cum quibus, & in quibus, cum Deo ipso Ecclesiaque eius pax est facienda, debeatis, paucis accipite.

Primùm igitur, nemo est vestrûm qui ignoret, Ponti- *Hebr: 13.* fices atque Sacerdotes Præpositos vestros esse: Obedite, inquit Paulus, præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigi-

peruigilant: quasi pro animabus vestris rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Ijdem sunt parentes spirituales vestri. Nam si, inquit Paulus, decem millia Pædagogorũ *1. Cor: 4.* habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo IESV per Euangelium ego vos genui. Reddite igitur illis amorem filiorum, reddite obedientiam subiectorum, cultum item ac reuerentiam: & sic erit opus iustitiæ, *Isaiæ 32.* pax, & cultus iustitiæ, silentium, & securitas vsq; in sempiternum. Cur ita? reddentur enim quæ Cæsaris sunt, Cæsari; quæ Dei, Deo.

Deinde, omnem Pontificem atq; Sacerdotem, ex ho- *Hebr: 5.* minibus electum, pro hominibus constitui, vt sit in his, quæ sunt ad Deum, docet Paulus, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit ijs, qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debere quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Restituantur ergo Antistitibus, & Sacerdotibus templa, domusq; orationis; restituantur sacra item vasa atq; vestes, quæ impietate & auaritiâ hominum occupata ac profanata, per furtum & sacrilegium conflata & conuasata sunt: & sic compositio cohærebit. Ita enim quæ sunt Cæsaris, reddentur Cæsari; quæ sunt Dei, Deo. His non restitutis, non modò Compositionem aliquam vobiscum facere, sed neq; Sacerdotes aut Pontifices vllo modo esse poterunt vnquam, nisi fortè tales quales in Comœdia, aut Tragædia fieri solent.

Ad hæc, Pontifices atq; Sacerdotes, Doctores sunt, vtq; populum Dei doceant, eorum est officium. [Euntes, *Mar: 16.* inquit, in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Euntes er- *Matth: 28.* gò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spirtus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omni-

omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi.] Restituantur ergò Doctoribus suæ Cathedræ, atq; pulpita, quæ nunc homines profugi atq; extorres, cerdones, sutores item, omnisque officina occupauit: & sic restituentur Cæsari, quæ sunt Cæsaris; quæ Dei, Deo: pax erit, tranquillitas tanquam sydus exorietur.

Præterea, Pontificum & Sacerdotum munus est, pascere populum: docet hoc Petrus. 1. Petr. 5. Seniores ergo, qui in vobis sunt obsecro, consenior & testis Christi passionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator: pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Reddantur ergò pastoribus suæ oues, reddantur pascua, reddatur pascendi authoritas; quæ quidem oues vel sine pastoribus sunt, vel lupis pascendæ cōmissæ & concreditæ sunt: & vt cum Rege illo dicamus: Genes. 14. Date nobis animas, cætera tollite vobis: & sic Compositio fiet. Tunc enim restituentur ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ Dei Deo.

Demum, Pontificum atq; Sacerdotum officium esse, iudicare inter lepram & non lepram, inter sanum & ægrum: docet scriptura. Deut. 17. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venies q; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legē eius: sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Restituatur ergò Antistitibus, ac

Presby-

Presbyteris sua iurisdictio, restituatur suum tribunal: qua leprosos à mundis, sanos ab ægris, peccantes ab innoxijs segregent & excommunicent: & sic pax cohærebit. Tunc enim restituentur ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ Dei, Deo.

Denique, Pontifices & Sacerdotes de sorte sunt IESV Christi, indeq; Clerici vocantur, quasi sortis IESV CHRISTI homines: atq; vbi consecrantur atque initiantur, illa vsurpant verba: Dominus pars hæreditatis meæ: tu es, Psal. 15. qui restitues hæreditatem meam mihi. Reddatur ergò illis sors & hæreditas Domini: hoc autem est bona Ecclesiastica, decimæ, sacra supellex, quæ per auaritiam & cupiditatem iniquissimorum hominum hactenus distracta sunt: & ita pax & concordia pulchrè cohærebit. Tunc enim restituentur quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Satisnè simpliciter vobiscum ago?

Atq; hic non reddendarum decimarum sortisq; Domini articulus, cùm latissimè pateat, cumq; omnibus hæresibus, quantumuis inter se diuersis & pugnantibus, oculosq; sibi confodientibus, sit communis: & cùm in hoc loco Catholici ipsi, hæretici quodammodo sint, cum hæreticisq; conueniant; vt Christum scilicet ex bonis suis exuant; vt Sacerdotum victum auferant; vt ne quid cuiquam reddant; commixti enim sunt inter gentes, & didicerunt Psal. 105. opera eorum: ideò quod sit ius, quæ æquitas decimarum, vniuersæq; sortis Domini, ex priuilegijs & rationibus, paucis expendamus. Priuilegia primùm videamus.

Primùm igitur constat, decimas, aliasq; partes dotis Christi, neq; Imperatorum neq; Regum, neq; cuiusquam mortalium donum, aut sancitum esse: sed ipsius Dei præpotentis, primi & summi rerum omnium Domini & possessoris, inuentum atq; largitionem, qui eas seruis atque ministris suis, cultus & seruitij sui causa, æternis addixit temporibus. Priuilegia verò decimarum, non in vllis primo humanis legibus aut institutis contineri, sed neq; in

aliqua

aliqua vna legis Diuinæ parte, sed in omnibus eius partibus, Naturæ, inquam, lege primùm, deinde Veteri scripta; post in ipso Iesu Christi Euangelio.

Primum Priuilegium in lege Naturæ fuit: in primis filijs Adæ, Abele, inquam & Caino: quam rem in hunc
Genes: 4. modum narrat scriptura. [Fuit, inquit, Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, vt offeret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera illius non respexit. Vbi cùm non plenè nec ex animo ea quæ debebantur Domino reddidisset Cain: sic enim dicit scriptura: Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? ideò reprobatus & reiectus est; ideò illud audit: Maledictus eris super terram: cùm operatus fueris super terram, non dabit fructus suos. Hæc prima, post originis peccatum, præuaricatio, primaq; pœna & damnatio fuit. Quod ita esse vetustissimus docet Irenæus: [Ab initio
Iræn. lib: 4. cap: 34. enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate & iustitia offerebat; super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat aduersus fratrem, diuisionem habebat in corde: quemadmodum occulta eius arguens Deus, ait: Nonnè, si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti? quiesce: quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodò secundum quod videtur, mundè & rectè & legitimè offerre tentauerit; secundùm autem suam animam non rectè diuidat eam, quæ est ad proximum, communionem, neq; timorem habeat Dei; non per id quod rectè foris oblatum est sacrificium, seducit Deum, intus habens peccatum: nec oblatio talis proderit ei aliquid; sed cessatio mali, quod est intus conceptum, ne per assimulatam operationem, magis autem peccatū, ipsum sibi homicidam faciat hominem.]

Secundum

Secundum priuilegium in eadem Naturæ lege, in primo Patriarcha nostro Abraham legimus, de quo Scriptura: At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Genes: 14.

Tertium in eadem lege fuit priuilegium, in Iacob Patriarcha. [Vouit etiam votum Iacob, inquit scriptura, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Genes: 28.

Quæ eadem naturæ legis priuilegia, & monumenta, longè clariùs & prolixiùs in lege scripta explicantur.

Recitetur primum de decimis, legis scriptæ, Priuilegium.

DEcimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoq; & ouibus similiter facies. Exod: 22.

Recitetur secundum priuilegium de eodem.

Filijs Leui, dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fæderis: vt non accedant vltra filij Israël ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, solis filijs Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Num: 18.

Recite-

Recitetur tertium Priuilegium, de eodem.

Eccles: 35. Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur Dominus. Bono animo gloriam redde Deo: & non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundùm datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.

Recitetur Priuilegium de decima ex hostili præda.

Num: 31. Tollite summam eorum quæ capta sunt ab homine vsque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos, & principes vulgi, diuidesque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem; & separabis partem Domino ab his qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tàm ex hominibus, quàm ex bobus, & asinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. Ex media quoque parte filiorum Israel, accipies quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ouium, cunctorum animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in custodijs tabernaculi Domini. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum, ex media parte filiorum Israël, quam separauerat his, qui in prælio fuerant. De media verò parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de quibus trecentis triginta septem millibus quingentis, & de bobus triginta sex millibus, & de asinis triginta millibus quingentis, & de hominibus sedecim millibus, tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Leuitis qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.

Recite-

Recitetur Priuilegium de modo reddendarum decimarum.

Non facietis ita Domino Deo vestro; sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis: & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum, vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Neq; enim vsq; in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Transibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quicquid præcipuum est in muneribus, quæ vouistis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos & filij, ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Leuites, qui in vrbibus vestris commoratur: neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos. Deut: 12.

Recitetur Priuilegium de eodem.

Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ouibus tuis; vt discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. Deut: 14.

Cùm

Cùm autem longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare: vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua, & proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: & emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoq; & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & Leuita qui intra portas tuas est, caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua. Anno tertio, separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore; & repones intra ianuas tuas. Venietq; Leuites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus, in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

Recitetur Priuilegium de redemptione decimarum.

Leuit: 27. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur: si quis mutauerit, & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israël in monte Sinai.

Vltimum Priuilegium.

Eccl: 7. In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua, dilige eum qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima

anima tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cum brachijs; da illis partem, sicut mandatum est tibi, vt perficiatur propitiatio & benedictio tua.

Quæ quidem priuilegia omnia, quò meliùs intelligantur, adnotat D. Hieronymus, quatuor decimarum genera in veteri lege fuisse. Primum, quæ Leuitis ex præcepto legis dabantur. Secundum, δευτεροδικάδας, hoc est secundas decimas, quas Leuitæ, id est, inferior ministrorum gradus, sacerdotibus dabant. Tertium, quas spontè sua quilibet in horreis suis separabat, vt comederet eas in vestibulo templi, cùm Hierusalem iret, & Sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuia. Quartum, quas vt pauperibus darent separabant: quæ decimæ pauperum vocabantur. Quorum omnium hic mentionem fieri videmus. Verùm naturæ & veteris legis priuilegia hactenus.

Quantò autem plura fuerunt priuilegia decimarum, fortisque Domini, in naturæ veterique lege; tantò minùs oportuit hæc eadem multis in Euangelica lege repetere. cùm quemadmodum tetragono trigonum; ita lege Euangelica, lex naturæ atq; Moysis, exceptis vmbris, figuris, & iudicijs, contineatur. Semel enim loquitur Deus, & non repetit, inquit Scriptura: in his præsertim, quæ eandem causam, eundem vsum, eandem necessitatem, eundem denique finem habent semper. Psal: 61. & 88.

Ad eadem igitur priuilegia se refert lex Euangelij, dum Saluator monet: nisi abundauerit iustitia vestra, plùs quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Quæ autem ista iustitia Pharisæorum, quâ nostra abundantior esse debet? nimirum illa: Decimas do omnium quæ possideo. Et illa: Decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Tum: vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo reddantur. Dignus est enim operarius mercede sua. Docet hoc idem D. Paulus: Matth: 5. Luc: 18. Matt: 23.

1. Cor: 9. lus: Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? an & lex non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminamus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Deut: 25.

Huc pertinent Canones atq; Constitutiones Apostolicæ: sanctissimorum item Imperatorum leges atque sanctiones.

Recitetur Constitutio Apostolica.

Ex li: 2. Const: S. Apo: cap. 34.

Episcopum diligere debetis, vt patrem: timere, vt regem: honorare, vt dominum. Fructus vestros & opera manuum vestrarum, in vestram benedictionem, illi offerentes: primitias vestras, decimas partes, dona vestra dantes ei vt sacerdoti Dei: primitias, inquam, frumenti, vini, olei, pomorum, atque omnium, quæ Deus præbet vobis. Et erit oblatio tua accepta in odorem suauitatis Domino Deo tuo: & benedicet Dominus operibus manuum tuarum, & multiplicabit Dominus bona terræ tuæ, quoniam benedictio in caput impartientis.

Alia item.

Capit: 39. Intelligendum est autem, quòd quanquam Dominus liberauit vos à seruitute adiectorum vinculorum, & eduxit vos in refrigerium, non amplius sinens vos sacrificare bruta animalia pro peccatis, solutos illis expiationibus, emissarijs, assiduis lotionibus, & aspersionibus: non tamen oblationibus vos liberauit, quas sacerdotibus debetis, & beneficentijs erga eos, qui egent: ait enim Dominus noster in Euangelio: Nisi abundauerit vestra iustitia, plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Ita ergo abundabit iustitia vestra, si de sacerdotibus, orphanis, viduis, maiorem curam suscipietis, vt scriptum est. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Et rursum per eleemosynam & fidem delentur peccata. Et rursum: Anima benedicta omnis simplex. Ergo ita facies, quemadmodum Dominus præcepit; & dabis Sacerdoti iusta sua, primitias de area & toreulari, pro peccatis tanquam mediatori, atque internuntio posito inter Deum & eos qui expiationibus & deprecationibus opus habent. Te enim dare oportet, illum distribuere tanquam œconomum & dispensatorem rerum Ecclesiasticarum. Neque enim ab Episcopo tuo rationem petere debes, neq; eius dispensationem obseruabis, quo modo eam peragat, quando, cum quibus, vbi, benè vel malè, vel conuenienter. Habet enim iudicem Deum, qui in eius manus hanc dispensationem commisit, & dignum eum effecit sacerdotio tanti loci.

Leuit: 16. Matth: 5. Psalm: 3. Prouerb: 19. Prouerb: 11.

Tertia.

Dabis Sacerdotibus omnes primitias torcularis, & areæ, vindemiæ & messis, boum atq; ouium: vt apothecæ cellarum tuarum penuariorum & fructus agri tui benedictione afficiantur: vt firmeris in frumento, & vino atq; oleo: augeanturq; armenta boum tuorum, & tuarum ouium greges. Dabis omnem decimam pupillo, & viduæ, pauperi, & proselyto: dabis etiam Sacerdotibus omnes primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum siue baccarum, vuæ, aut aliorum fructuum: primitias verò argenti, aut indumenti, cæterarumq; rerum, quas possides, tribues pupillo & viduæ. Clem: Ro: li. 7. Const: cap: 30.

Recitentur leges & Constitutiones Imperatorum, pro dote & hæreditate Iesu Christi.

Lex & Constitutio Imperatorum Valentis & Marciani.

C. de Sacro san. Eccl. l. Priuilegia.

Priuilegia, quæ generalibus Constitutionibus vniuersis sacrosanctis Ecclesiis orthodoxæ religionis retro principes præstiterunt, firma & illibata, in perpetuum valitura decernimus custodiri. Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos, interuentu gratiæ vel ambitionis, elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas, cessare præcipimus. Et quia humanitatis nostræ est, egenis prospicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non desint; salaria etiam, quæ sacrosanctis Ecclesiis, in diuersis speciebus, de publico hactenus ministrata sunt: iubemus nunc quoq; inconcussa, & à nullo prorsus imminuta præstari, liberalitatique huic promptissimæ, perpetuam tribuimus firmitatem.

Constitutio Leonis & Anthemij AA. de eodem.

Ibidem, l. Iubemus.

Iubemus, nulli posthac Archiepiscopo in hac Vrbe Regia Sacrosanctæ orthodoxæ Ecclesiæ præsidenti, nulli æconomo, cui res Ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem, fundos, vel prædia (siue vrbana, siue rustica) res postremò immobiles, aut in his prædijs colonos vel mancipia constituta, aut annonas ciuiles cuiuscunq; suprema vel superstitis voluntate, ad religiosas Ecclesias deuolutas, sub cuiuscunq; alienationis specie, ad quamcunq; transferre personam: sed ea etiam prædia diuidere quidem, colere, augere, & ampliare, nec vlli ijsdem prædijs audere, cedere. Verùm siue testamenta quocunq; facto iure, seu codicillo, vel sola nuncupatione, legato, seu fidei commisso, aut mortis causa donatione, aut alio quocunq; vltimo arbitrio, aut certè inter viuentes habita largitate, siue contractu venditionis, siue donationis, aut alio quocunq; titulo, quisquam ad præfatam venerabilem Ecclesiam, patrimonium suum, partemuè certam patrimonij, in fundis, prædijs, siue domibus, vel annonis, mancipijs, & colonis, eorumq; peculijs, voluerit pertinere: inconcussa ea omnia, sine vlla penitus immutatione con-

seruentur,

seruentur. Scientes nulla sibi occasione vel tempore ad vicissitudinem beneficij collocati, aut gratiæ referendæ donandi, vel certè hominibus volentibus emere, alienādi aliquam facultatem permissam: nec, si omnes, cum religioso Episcopo & Æconomo, Clerici, in earum possessionum alienationem consentiant. Ea enim, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac fortè peruenerint, tanquam ipsam Sacrosanctam Ecclesiam & religiosam, intacta conuenit inuiolabiliter custodiri: vt sicut ipsa religionis & fidei mater perpetua est; ita eius patrimonium iugiter seruetur illæsum.

Constitutio Iustiniani A. de vasis & suppellectili Ecclesiastica.

Ibidem l. Sancimus.

Sancimus, nemini licere sacratissima atq; arcana vasa, vel vestes, cæteraque donaria, quæ ad diuinam religionem necessaria sunt, (cùm & veteres leges, ea, quæ iuris diuini sunt, humanis nexibus non illigari sanxerint) vel ad venditionem, vel hyppotecam, vel pignus trahere: sed ab his, qui hæc suscipere ausi fuerint, modis omnibus vindicari; tàm per religiosissimos Episcopos, quàm Æconomos, necnon & sanctorum vasorum custodes: nulla eis actione relinquenda, super recipiendo precio, vel fænore exigendo, pro quo res pignoratæ sunt: sed omnibus huiusmodi actionibus respuendis, ad restitutionem eorum, omnibus modis coarctari. Sin autem vel cōflata sint vel fuerint, vel alio modo immutata vel dispersa; nihilominùs vel ad ipsa corpora, vel ad ipsa precia eorum exactionem competere, siue per in rem, siue per condictionem, siue per in factum actionem.

Quis igitur erit tàm audax, qui hæc auferre aut violare velit? quæ partim ipse fundauit Altissimus, primusq; rerum omnium possessor Deus; partim sempiternus eius confirmauit hæres Christus Dominus: quæ sancti Apostoli fieri præceperunt: quæ pijssimi Imperatores suis legibus

 gibus

gibus & constitutionibus promulgarunt: quæ tantis privilegijs communita, tot sanctionibus firmata sunt. Et priuilegia quidem decimarum,ex omnibus partibus legum, tàm diuinarum, quàm humanarum, hæc sunt.

Sed quæ causæ tot priuilegiorum? Multæ equidem & maximæ, graues & necessariæ; quas qui non admitteret, eum religionē vniuersam auferre; hominemq; ipsum homine exuere,nec amplius illū cæli animal, sed brutum, & ipsam solam terrā ventremq; spectans, facere oporteret.

Quarum prima est, Deum Opt: Max. ea lege & conditione hominem creâsse, ac produxisse, vt sit ad laudem & nomen eius, vtq; se, omniaq; sua, ad eum tanquam primum & vltimum principium rerum suarum omnium referat, omnia ex manu sua poscat; vt prouidentiam eius & agnoscat, & confiteatur, neq; id verbis tantùm, sed re ipsa magis etiam: vt partem & sui & omnium bonorum suorum, in recognitionem Domini & parentis sui adijciat, & consecret. Animi primum: Diliges, inquit, Do-
Matt: 22. minum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum. Corporis deinde: Benedic anima mea
Psal: 102. Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Fortunarum ad extremum & facultatum omnium: Honora Dominum Deum tuum de substantia tua. Pul-
Prouerb: 3. chrè hæc tanquam in compendio explicat Scriptura: Faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus, quas
Deut: 26. creauit in laudem & nomen, & gloriam suam: vt sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut loquutus est. Honora igitur Dominū Deum tuū, de tuis iustis laboribus: deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ, vt repleātur horrea tua frumēto, vino quoq; torcularia tua redundent. Qui igitur nō honorat illum ex substantia sua; qui decimā partem bonorū suorum illi non consecrat; hic eum Creatorem, principium & finem suum non agnoscit: hic ab eo se omnia sua habere non vult recognoscere: hic illius voluntate & mandato, terram germinare herbam virentem, sibiq; fructus ferre

ctus ferre

ctus ferre non profitetur: hic prouidentiæ eius sensum non habet: hic cum Diuino Psalte non confitetur; Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum Psal: 144.
in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Psal: 103.
Hic Gigas, & vnus de genere Alcidarum est; idq; non verbis, sed re ipsa profitetur. Libertas, inquis, ipsa Christiana est; libertas gentis liberæ: nihil Deo, nihil proximo reddere. Mihi verò libertas hæc, similis illi esse videtur: Ponam in Aquilone sedem meam, & similis ero altissimo. Nam si ideò, vt præclarè quidam dixit, Legibus ser- Isa: 14.
uimus, vt liberi simus; quantò magis nos Deo seruire oportet, & quod debemus illi reddere, ne hominibus, quibus non debemus, seruiamus? Deo seruire, præclarè dixit Augustinus, non modò liberum esse, sed regnare est. Noua verò hæc libertas, & ante hunc diem inaudita. Qui igitur hæc omnia, quæ dicta sunt, non modò ipse nō confitetur, sed qui vltra ab his, quos illi Deus subiecit, & parere iussit, eam partem quam Deo conferre debebant, extorquet, sibiq; per vim & iniuriam conferre iubet; hic nefario scelere Dei honorem in se transfert, Deum se facit, sacrificium sibi offerri iubet: quod neminem, etiam fœdissimum tyrannum, sibi fieri passum esse, docet Diuus Augustinus. Nam si nihil Deo tu, tuiq; debeant coloni; cur tu ab illis, quod illos accipere oporteat, extorques? cur eadem Christiana libertate, qua te liberum esse iactas, eos gaudere non pateris? Verùm non libertatis, sed auaritiæ & cupiditatis, causa hæc est. Nam si libertatis & charitatis causa esset, tu tàm inhumanè à tuis ea quæ Deo debentur non exigeres. Et teneri te non putas, & patere consilia tua non sentis: & cum Euangelij nomine nequitiam tuam tegas, hypocritam te esse negabis? dic palam, quæ vis, ne

fingas,

fingas, ne ſimules. Quodſi ampliùs ex his donarijs, quæ Deo debebantur, ad te per vim & inuriam tranſlatis, Deum atq; templum eius, tributa tibi Reipublicæ ſoluere iubes; an poteſt eſſe crudelitas tanta, quæ cum hac immanitate, & inſolentia tua rectè comparari poſſit?

Proxima illa cauſa, ius & æquitas decimarum eſt: Deum patrem, filium ſuum, pro eo, quòd poſuit animam ſuam, & factus eſt obediens vſq; ad mortem, nec habuit vbi caput, dum hic verſabatur nobiſcum, reclinaret ſuum, conſtituiſſe regem excelſiorem præ cunctis regibus terræ: conſtituiſſe eum hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Confitetur hoc apud Dauidem magnifi-
Pſalm: 2. cè, ipſe Filius Dei: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Syon montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli, confringes eos. Et ideò hunc ipſum regem & hæredem ſuum, in omni gente & natione, poſſeſſionem ſuam, Regiam ſuam, tabernaculum item ſuum, habere voluit, iuxta illud: Ecce taber-
Apoc: 21. naculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Vt agnoſcatur hic Ieſus Chriſtus, vnicus eſſe Filius Dei, verus & æternus hæres vniuerſorum: vt cognoſcatur excelſior eſſe præ cunctis regibus terræ: vt in nomine eius flectatur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: vt ſit caput ſuper omnem Eccleſiam. Neq; nunc primùm, ſed iam ab ipſo rerum initio, eam ſuam, Chriſtiq; ſui partem, Deus inter homines habere voluit; itaq; & in paradiſo arborem vnam in partem & poſſeſſionem quodammodo
Gene: 2. ſuam, ſegregauit: Ex omni, inquit, ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in qua enim die comederis ex eo, morte morieris. Et in lege ſimiliter naturæ, primogenita omnia cunctorum viuẽtium ſibi conſecrauit: & ex omnibus gentibus vnum po-
pulum,

pulum, de quo dixit: In Iacob habitabo, hæc hæreditas mea vſq; in ſæculum. In populo vniuerſo, vnam tribum, omniaq; illa, quæ ſuperiùs diximus. Quam ſortem eius qui tangit, qui inuadit & occupat, hunc pupillam oculi ſui
tangere ipſe docet. S[illegible]ísnè igitur populus Chriſtianus Zach: 2.
adeò infelix & infauſtus, Deoque inuiſus erit, vt nullam partem ſuam in illo habere velit Deus: aut adeò impius, & ab omni numine auerſus, vt Deum inter ſe nullam partem habere patiatur? nequaquam id veriſimile eſt.

Quam quidem ſortem, & partem ſuam, multos ad fines inter mortales retulit Dominus. Primùm, non vt genus humanum ſeruitute aliqua premeret, ſed vt potiùs tã- quam colonos & agricolas ſuos hoc pacto honoraret, inter quos partem habere non dedignaretur, & cum quibus
habitare non erubeſceret. Deliciæ meæ, inquit, eſſe cum Prou: 8.
filijs hominum. Deinde, vt omnes eum Regem & Dominum vniuerſorum, cuius aulam ac Regiam apud ſe con-
ſpiciunt, laudent & confiteantur. [Per munus enim, in- Iræneus.
quit Iræneus, erga regem & honos & affectio oſtenditur, quod in omni ſimplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre, prædicauit dicens:] Cùm igitur offers mu-
nus tuum ad altare. &c. [Non eget, inquit Auguſtinus, Do- Aug Serm:
minus Deus, non præmium poſtulat, ſed honorem.] 219.
Demùm, vt ſit cibus in domo Dei, vt ſit vnde miniſtri & ſerui eius viuant: amici item & cognati, pauperes inquã, orphani, viduæ, peregrini, quos mundus plerumq; odit, ac fame & penuriâ, niſi ille ſua benignâ curâ & liberalitate illis prouideat, conſumere ac conficere vellet; quod
nunc fieri clarè videmus: vnde diligenter monet: Caue Deut: 12.
ne derelinquas Leuitem in omni tempore, quo verſaris in terra, quando dilatauerit Dominus Deus terminos tuos. &c. Et: Qui vos accipit, me accipit. Et: Quod vni ex his
minimis feciſtis, mihi feciſtis. Et: Qui accipit Prophetam Matth: 10.
in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: hoc eſt, in partem remunerationis & mercedis Prophetæ ve-

niet. Vn-

Aug: serm. 9. niet. Vnde D. Augustinus: Decimæ, fratres charissimi, sunt tributa egentium. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus. Deniq; vt inde partes cultus eius, cæremoniæ, inquam, sacra doctrina, sacramenta, Malach: 1. meliùs ac decentiùs, illustriùs item, magnificentiùsq; administrentur. Magni enim regis, magnam & illustrem familiam, magnificum & illustrem cultum & apparatum esse oportet. Quæ plerumq; vt videmus, ab hominibus auaris & ingratis negliguntur. Vnde illa querella apud Prophetam: Hominem se non inuenire, qui gratis aperire vel occludere templum suum velit. Hanc igitur partem fortis Domini qui non restituit, hanc regiam eius qui inuadit, hanc hæreditatem qui sibi vsurpat: perduellis est, summam maiestatem lædit; æterni Dei Patris hæredem exautorat, ac ex sua turbat possessione; Christum regem Psal: 2. suum cum impijs non agnoscit, illudq; occinit: Dirumpamus vincula eius, & proijciamus à nobis iugum ipsius. At, qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eis. Hic Deum nullam partem habere in rebus humanis vult: hic seipsum Christum facit: hic Antichristus est. Parumnè diximus? an aliquid ampliùs ad extremam impietatem addendum est? Hocnè est Christianum esse? hocnè Euangelici nomen sibi vsurpare? hocnè est lumen veritatis frustra insolenter iactare?

Tertium caput sit eius, de qua disputamus, æquitatis. Bona Ecclesiastica, dotem Ecclesiæ Dei, sponsæ Christi esse. Qua dote illa se magnificè apud Dauidem effert: Psal: 15. Dominus, inquit, pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi. Et quam ipse Sponsus, apud Isaiam, munificè illi Isaiæ 60. addicit: Pro eo, quod fuisti derelicta & odio habita, & nõ erat, qui per te transiret; ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem. Et suges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis: & scies, quia

quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære, afferam aurum; & pro ferro, afferam argentum; & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum; & ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Et alio loco: Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, Isa: 61. ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Et ipse ore Matth: 19. suo similiter: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet in hoc tempore, & vitam æternam possidebit. Quod promissum, cùm in primis Ecclesiæ Dei fundatoribus, qui egentes, angustiati, nihil in hac vita possederunt: qui nudi nudam Christi Crucem sequuti sunt, completum non sit; in eorum successoribus compleatur oportet; vt promissorum certa & fixa fides maneat. Qui igitur ea, quæ Ecclesiæ dicata sunt, aufert: hic dote suam Ecclesiam Dei, vnicam Iesu Christi sponsam, spoliat: hic annulum eius nuptialem detrahit: hic eam veluti viduam nudam & mendicantem oberrare vult.

Magna & illa est decimarum dotisque Ecclesiasticæ, non tàm æquitas, quàm ipsa planè necessitas: quòd his sublatis, vniuersum externum cultum diuinum, omnem domûs Domini decorem, totũ ministerium verbi, ipsam denique religionem labefactari & extingui oporteat: ita, vt qui eam sortem hæreditatis Domini aufert, aut apud se retinet, vniuersa hæc, quantum in illo situm est, demoliatur: ac demum populum Dei, ad vltimam barbariem, omnemq;

omnemque numinis diuiui obliuionem pertrahere conetur: nam religio, cultusq; diuinus, sine ministris seruisq; templi, Doctoribus item, atq; pastoribus, nullo modo esse potest: ministri autem sine victu, ac rebus alijs necessarijs, munere suo rectè fungi nullo modo possunt; cum ipsorũ
Actor 6. Apostolorum testimonio, non solùm mensas quærere, eos qui præsunt verbo & doctrinæ, non conueniat, sed ne illis quidem ministrare, aut eas dispensare. Nemo enim
2. Tim: 2. militans Deo, inquit Paulus, implicat se negotijs secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit. In quo loco addit Diuus Cyprianus: [Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestijs & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitæ priùs in lege tenuerunt: vt cùm terram diuiderent & possessione partirentur vndecim tribus; Leuitica tribus, quæ templo & altari, & ministerijs diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet; sed alijs terrã colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum atque alimentum suum ab vndecim tribubus de fructibus qui nascebantur decimas perciperet, quod totum fiebat de authoritate & dispositione diuina: vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare, aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ordinatione Clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, ne molestijs & negotijs sæcularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant, & die, ac nocte cælestibus rebus & spiritualibus seruiant.] Qui igitur victum ac quasi demensum Sacerdotum ac ministrorum templi aufert: hic simul ea omnia, de quibus diximus, sublata esse cupit, atq; adeò ipsa aufert, vtq; homines Domini Dei sui obliuiscantur, autor

autor est. Docet hoc Iuliani Apostatæ exemplum, qui vt religionem Christianam extingueret, omnemque Iesu Christi memoriam aboleret, illis artibus vsus esse legitur, quas Sozomenus, Nicephorus, & alij Ecclesiasticæ historiæ vetustissimi scriptores referunt. Clerũ, inquit, omnem Niceph: l. muneribus & ministerijs militaribus in ea regione attri- 10. cap: 4. buit, quod cum sumptibus onerosum, tùm ignominia contumeliosum existimatum est. [Annonam & immuni- Ibid: c. 5. tatem, quam Constantinus pro sua erga Deum obseruantia Clericis concesserat, ipse abrogauit, & in publicos prouentus retulit. Quæ verò viduis & virginibus, propter inopiam cleri, alimenta è publico largienda destinata erant, ægrè & difficulter exigebantur. Constantinus namq; cùm Ecclesias constitueret atq; ordinaret, ex cuiusq; vrbis prouentibus toti clero, quantum ad vitam tolerandam satis esset, rerum necessariarum tribuit, eamque rem sanctione legis confirmauit, quæ hucusq; conseruatur. Sub Iuliano, exactio eorum prouentuum dura admodum & grauis fuit, sicuti id exactorum ipsorum testantur monumenta. Cæterum parum fuit tyranno, tàm hostili esse erga nos animo, nisi suum aduersus Ecclesiam odium, ad excidium eius prorsus conuerteret. Quæcunque enim ei suppetebant, sacra vasa & donaria, ea abstulit, & in idolorum delubris reposuit. Vim etiam illis adhibuit, qui sub Constantino & Constantio templa Deorum euertissent, vt vel ea celeriter restaurarent, vel æstimationem structuræ eorum persoluerent. Sin hoc minùs facerent, vt duriùs acciperentur, & in vincula conijcerentur, mandauit. Vnde illud satis conijcere licet, in eo quidem illum veteribus persequutoribus quòd corpora cum contumelia non excruciauerit, moderatiorem fuisse: rebus autem alijs, modis omnibus, illos exuperasse. Omni namq; ex parte Ecclesiam affligere manifestè est visus: & vno tantùm modo humanior iudicatus, quòd Episcopos sub Constantio exilio mulctatos reuocauit, & in vrbes suas redire permi-

permisit. Atque id ille non misericordia fecit, sicut colligere est, sed vt Episcopos inter se committens, ad intestinum armaret bellum, & suis ipsa dissidijs Ecclesia labefactaretur. Et Iulianus quidem hæc: nos autem quid? similia omnia.

Qui dotem Ecclesiæ aufert, qui decimas non soluit, hic Iuliani spiritu agitur: hic religionis Christianæ inimicus est: hic à Christo fideque illius apostatauit: eadem enim agit, eadem spectat, eadem molitur, quamuis non eadem loquitur. Sed & res ipsa, idem quod superius diximus, abunde probat. Ex eo enim tempore, ex quo hæreditas Christi ab ipsis occupari cæpta est, quanta sit paucitas sacerdotum, quanta ministrorum templi raritas, videmus: turbæ primùm eorum hominum conspiciebantur; nunc pauci admodum vbique apparent. Memini ego, cùm Polociâ cum Serenissimo Rege meo de bello redirem, vnum solum me in tota illa regione Catholicum sacerdotem vidisse, eumque excommunicatum. Sicque fames adducta illa est super populum Christianum, de qua prædixerunt Prophetæ: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram: non famem panis, neq; sitim aquæ; sed audiendi verbũ Domini. Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab Aquilone vsque ad orientem, circumibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. Et Ieremias: Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos. Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Quod idem nunc reipsa experimur. Vagatur populus Christi, tanquam oues sine pastore: ex hæresibusque in hæreses transit, ac in lupos pro pastoribus incidit. Quæ autem

[Margin: Amos, 8. — Thren: 4.]

autem deinceps sequentur, quis non videt, qui non intelligit? Inimicus homo fecit hæc omnia, vt faciliùs superseminet zizania, seq; ipsum Deum pro Christo constituat.

Postremò, qui illud quod Deo patri & alumno suo debet, non restituit: ille omnem cæli clementiam, terræ fœcunditatem ac felicitatem, frugum item vbertatem, omnemque Conditoris sui benedictionem auertit: calamitatem autem, sterilitatem, stragem, famem, egestatem, omnemque iram Dei, tàm priuatim, quàm publicè, in se, liberosque suos, accersere atque manibus suis trahere videtur. Docet hoc scriptura: Respexistis, inquit, ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflaui illud: Quam ob causam? dicit Dominus exercituum: quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum: & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, super oleũ, & quæcunque profert humus; & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum. Et Malachias: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo reuertemur? Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitijs. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum, vt sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis catarractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Addit Diuus Hieronymus: Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum; sciamus hæc ex ira Dei descendere, quòd se in pauperibus fraudari dicit sua possessione. Et scriptu-

[Margin: Matt: 13. — Aggæi 1. — Malach: 3.]

scriptura quidem hæc. Sed & res ipsa atque clarissima rei exempla, hoc idem testantur. Quàm potens fuerit Germania quondam, quàm bello clara, quàm opibus abundans, quis nescit? nunc postquam Principes eius omnia tàm diuina, quàm humana ad se transtulerunt, ac in vnum conflauerunt, quid præclarum pro re Christiana opibus suis gesserit non videmus. Nulla vicinarum gentium fuit vnquam, quæ in persoluendis decimis, alijsque partibus Deo debitis, liberalior atq; munificentior fuerit, his ipsis vicinis nostris Vngaris: qui non ex agris tantum, & vineis, auro item & reliquis, quibus abundant metallis; sed ex minutissimis etiam rebus, Deo ministrisque eius magnificentissimè decimas persoluebant. Nulla tamen ditior, nulla vberior temporibus illis gens exstitit, ita vt Aureum pomum regio illa diceretur. Discessum est postea, Lutheri & aliorum dogmatibus, ab ea pietate atq; munificentia: resque eo perducta est, quò videtis. Exaggerare alienam miseriam nolo, ne exprobare fortunam, quæ communis est, videar. Quid ego de maioribus nostris dicam? non fuerunt illi quidem homines immensis illis & monstrosis opibus diuites, locupletes tamen satis, lautique fuerunt: hi manibus ac sinubus propemodùm suis, decimas ac reliqua templo addicta, in domum Domini deportabant; hi consilia, fortunas, consuetudinem, mensam, arcam, & omnia planè habuerunt cum Leuitis communia: ædes sacras, monasteria amplissima, pauperum domos, scholas ædificabant; magnificas donationes faciebant, eodem tempore tamen, diuturna bella cum potentissimis hostibus gerebant: prouincias vicinas sibi adiungebant, publica ædificia erigebant, filios educabant, filias elocabant, hæreditates stabiles & liberas posteritati suæ relinquebant: nec tamen indigebant spolijs, non mendicitate, non sacrilegijs, non peculatu, non vsuris, non simonijs, non mercatu, & cauponarijs artibus, non aliundè accersitis œconomijs, hoc est, emungendæ pecuniæ

pecuniæ fraudibus, quibus nunc, in hac istorum egestate & mendicitate, plena sunt omnia. Quid ita? Benedictio Domini diuites illos faciebat. Non relinquebant post se filios vagos, egentes, obæratos, extorres, capite diminutos. Cur ita? Reddebat eis Dominus bonum & non malum omnibus diebus suis. Quare? quia & illi reddebant ea quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo. Reddite igitur & vos, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Et cùm ista, quæ Deo & templo debentur, fuerint reddita, tùm itidem & vos Sacerdotes, reddite vos ipsos animabus huius populi: reddite templis & aris religionem, & ministerium vestrum: cathedris & pulpitis, quæ nunc deserta & puluere obsita iacent, doctrinam vestram: reddite tribunali & iurisdictioni, iudicium vestrum: reddite sorti vestræ sollicitudinem vestram: relinquite militias, aulas, cauponas, venationes, superfluam œconomiam, tantò magis bacchanalia, scurras, lenones; & tunc, vbi sic mutuò vobis inter vos, quæ cuique debentur reddideritis, pax erit, tranquillitas restituetur, compositio cohærebit. Nam alia ratione syncretismus quidem vt Demosthenis verbo vtar, ad tempus inter vos componi poterit: pax tamen certa, fixa, stabilis, solida, secundùm Deum, & leges eius nunquam cohærebit, ex arena funiculos nectetis, laterem lauabitis. Neque enim reddentur quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo. Prouer: 10.

Non fuit hoc, dicent isti, antiquitùs: Decimæ in primitiua Ecclesia non pendebantur: decimare quempiam, Iudaicum quid est. Videamus an hoc idē docuerint vetustissimi per totum orbem terrarū diffusi Sancti Patres, an idem sentiant. Primùm igitur videamus Orientis Patres.

In his est vetustissimus Origenes ille magnus, qui vt cætera omnia, ita & hoc magnificè tractat, omnesq; eius rei difficultates explicat. [Primitias omnium frugum, omniumque pecudum, sacerdotibus lex mandat offerri: ita vt omnis qui possidet agrum, vel vineam, vel oliue- Orig: in Num: c. 18. Homil: 11. de primi: offer.

 tum, vel

cum, vel etiam hortum, & si quid est, quod exercetur in terris; sed & si quis pecculia cuiuscunque pecoris nutriat, offerat ex ijs Deo omne quod primum est, id est, ad sacerdotes deferat. Deo enim offerri dicit, quod sacerdotibus datur. Et hoc est, quod docemur ex lege: quia nemo licitè nec legitimè vtatur fructibus, quos terra produxit, nec animantibus, quæ pecudum protulit partus, nisi ex singulis quibusque Deo primitiæ, id est, sacerdotibus, offerantur. Hanc ergo legem obseruari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puto. Sunt enim aliqua legis mandata, quæ etiam noui testamenti discipuli necessariâ obseruatione custodiunt. Et si videtur priùs de ijs ipsis, quæ in lege quidem scripta, sed tamen in Euangelijs obseruanda sint, sermo moueatur: & cùm hæc patuerint, tunc iam quid in ijs etiam spiritualiter sentiri debeat, requiremus. Sunt enim qui ita dicant, quia, si aliquid Domino obseruandum est secundum literam, cur non & cuncta seruentur? Si verò ad spiritualem intelligentiam, quæ lex continet, referenda sunt, nihil omninò secundum literam, sed spiritualiter debent vniuersa discerni. Ostendimus ergo esse quædam, quæ omninò non sunt seruanda secundùm literam legis, & esse quædam, quæ allegoria penitùs immutare non debet; sed omnimodè, ita vt scripturæ de ijs continent, obseruanda sunt. Nunc requiro, si sunt aliqua, quæ & secundum literam quidem stare possint; necessariò tamen in eis etiam allegoriam requirendam. Sicut & in hoc sermone, quem habemus in manibus, arbitror conuenire. Decet enim & vtile est, etiam Sacerdotibus Euangelij offerri primiti-
1. Cor. 9. as. Ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant: & qui altari deseruiunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum & decens est; sic è contrario, & indecens, & indignum existimo, & impium; vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit Sacerdotes & ministros assistere altari, & aut verbo

verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ (quos dat Deus, solem suum producendo, & pluuias suas ministrando) non offerat primitias Sacerdotibus. Non mihi videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei; nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus, quos cæpit, quos ita recondit, quasi alienos à Deo. Si enim à Deo sibi datos crederet, sciret vtique (munerando Sacerdotes) honorare Deum de datis & muneribus suis. Et adhuc, vt ampliùs hæc obseruanda etiam secundùm litteram, ipsius Dei vocibus doceantur, addemus ad hæc: Dominus dicit in Euangelijs: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, hoc est, decimam datis mentæ, & cymini, & anethi: & prætermittis, quæ maiora sunt legis. Hypocritæ, hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentiùs, quomodo sermo Domini vult fieri quidem omnimodè, quæ maiora sunt legis, non tamen omitti & hæc, quæ secundùm literam designantur. Quod si dicas, quia hæc ad Pharisæos dicebat, non ad Discipulos; audi iterum ipsum dicentem ad Discipulos: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Quod ergo vult fieri à Pharisæis, multò magis, & maiore cum abundantia vult à Discipulis impleri: quod autem fieri à Discipulis non vult, nec Pharisæis imperat faciendum. Quomodo autem plus velit fieri à discipulis, quàm faciunt Pharisæi, in eo declarat, vbi dicit: Dictum est antiquis, non occides, hoc obseruant & Pharisæi: Discipulis autem dicit: Ego autem dico vobis, quia si quis iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio. Similiter & de eo, quod scriptum est: Non adulterabis: suorum discipulorum in eo vult amplius abundare iustitiam; vt ne mulierem quidem videant ad concupiscendum. Igitur ex his quæ protulimus paucis, si qui studiosi sunt in scripturis diuinis, perfacilè colligere poterunt etiam cæterorum distinctiones. Sapiens enim si audiat, inquit, verbum, non so-

Matth. 23.
Matth. 5.

non solùm laudabit,sed & adijciet ad illud. Quid adijciet? vt discutiat & discernat in singulis quibusq; capitulis legis, vbi fugienda sit legis litera, vbi amplectenda, vbi etiam narratio historiæ,cum mystica expositione,conueniat. Christus enim nos redemit de maledicto legis: non nos redemit de maledicto mandati, nec de maledicto testimonij, nec de maledicto iudiciorum; sed de maledicto legis,id est, ne subiecti essemus circumcisioni carnis,nec obseruationi Sabbathorum, alijsq; horum similibus, quæ non in mandatis,sed in lege dicenda sunt contineri. Quomodo ergo abundat iustitia nostra plusquàm Scribarum & Pharisæorum; si illi de fructibus terræ suæ gustare non audent, priusquàm primitias Sacerdotibus offerant, & Leuitis decimæ separentur; & ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutar, vt Sacerdos nesciat, Leuites ignoret, diuinum altare non sentiat?]

Epiph: 80. Hæ. lib: 3. Tom: 2. Hunc sequutus est Epiphanius Cypri Episcopus. [At verò Apostolis dictum est, vt contenti sint prædicatione verbi, vt ne occupati sint iter facientes à ciuitate ad ciuitatem, & à loco ad locum ad prædicandum: Dignus est

Luc: 10. enim operarius mercede sua. Et: Sufficit operanti alimentum suum. Sed & pastoribus similiter propter assiduam occupationem circa populos, & Ecclesiasticam administrationem, & frequens ministerium, dicit diuina scriptu-

1. Cor: 9. ra: Quis pascit gregem ouium, & de lacte ipsius non edit? aut quis plantat vineam, & de fructu ipsius non partici-

2. Tim: 2. pat? Et dicit: Laborantem agricolam, oportet primum fructuum participem fieri: quò Presbyterum aut Episcopum non quotidiano alimento destitutum constitueret, inhortans populos, vt ex iustis laboribus tribuant Sacerdotibus, quæ ad alimentum pertinent, per primitias & oblationes, atq; alia. Quorum potestatem habentes hi, qui ex Deo constituti sunt ad deducendum populos, neq; his vtuntur ad satietatem, qui Deo perfectè complacere volunt.]

Eadem

Eadem docet D. Chrysostomus, qui pulcherrimè ex omnibus de ea tota cura & prouisione ministrorum templi ita scribit. [Num opus est, vt vnusquisque fidelium ædificet Ecclesiam? & vt credat, simul etiam Doctor sit? Numquid ante omnia hoc considerandum, vt omnes sint Christiani? Quomodo, dic mihi, Christianus erit agricola, videns te sic suam negligere salutem? Non potes facere signa, & persuadere ijs, quibus illi persuaserunt: misericordia vtere, curâ, mansuetudine, affabilitate, alijsque omnibus. Ac fora quidem & balnea faciunt multi, Ecclesias autem non item, & omnia magis, quàm has. Ideo oro ac supplico, & gratiam peto, imò & legem pono; vt nullus qui habet villam, appareat carere Ecclesia. Ne mihi dixeris: propè est,in vicinia est; magnus est sumptus, non magnum commodum: si quid habes in sumendum in pauperes, illuc insume; meliùs illuc, quàm ibi: educa Magistrum, educa Diaconum, & Sacerdotalem ordinem. Quasi ducta vxore vel sponsa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis: dotem adscribe illi; ita tibi benedictione prædium multiplicabitur. Quid enim non erit illic bonorum? Parumnè est, oro, torcular benedici? parumnè est Deum ex omnibus frugibus ac decimis priùs partem ac decimas accipere? Ad pacem agricolarum hoc vtile. Venerabilis erit & Præsbyter postea, & ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuæ propter te, laudes & synaxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos. Quid magis mirandum, quòd alij extruunt clara sepulchra, vt posteri audiant quòd ille construxit, an quòd tu Ecclesias excitas? Cogita quòd vsque ad Christi aduentum mercedem habiturus sis, qui altare Dei excitaturus es. Dic enim, oro, si rex tibi præcepisset domum extruere, vt illic habitet, nonnè omnia fecisses? Nunc igitur Regia est, Christi Ecclesiæ constructio: ne sumptum spectes, sed fructum computa. Illi colunt terram, tu cole illorum animas: illi tibi ferunt fructus, tu illos infer in

Chryso: in Acta Apo: c. 8. Ho: 18.

 cælos

cælos. Qui initium dedit, hic & omnium aliorum causa est. Igitur & te autore illic erudientur initiandi ij, qui agro tuo vicini: cùm balnea quidem molliores reddant agricolas, institoriæ officinæ delicatiores: attamen facitis hæc propter gloriam. Forum & prætoria publica faciunt impudentes: hic autem omnia secus fiunt. Quale enim fuerit, videre senem, ad exemplum Abrahæ incedentem, canum, accinctum, & fodientem, & ipsum operantem? quid illo agro desiderabiliùs? Hic maior est virtus. Non est lasciuia illic, sed abacta est: non est ebrietas ac voluptas, sed eliminata est: non est vana gloria, sed extincta est; plùs illic fulget beneuolentiæ propter simplicitatem. Quanta res est abire & ingredi in domum Dei, & videre quod ipse illam extruxerit, & quiescere in villa securum, & habere deambulationem seruientem corpori, & matutinis vespertinisque hymnis esse præsentem, ac simul prandentem Sacerdotem, simul conuersantem, benedictione frui, & alios videre illuc venientes? Hoc fuerit in murum ac securitatem agri. Hic est ager, de quo dicit: Odor agri pleni, cui benedixit Dominus: quamuis & præter hoc bona sit villa, propter quietem, propter abundantiam otij: quodsi templum accesserit, quid illi comparabitur? Villa enim habens Ecclesiam, paradiso Dei comparatur: non est illic clamor, non est turbatio, non varij inimici, neque sectæ: omnes licet videre amicos & participes eorundem dogmatum. Ducit te in Philosophiam: ab hac Philosophia accipiens te Presbyter curabit facilè: nam hic quæcunque dixerimus, forum excutit: illic autem quæcunque audieris, fixa habebis in mente. Alius in agro erit per illum, & illis præsidebit, ac erit custos, & vt adsint, & vt componant seipsos. Vnde autem est & sumptus, dic mihi: Faciam paruam domum pro templo: qui sequetur te faciet porticum: qui post illum, aliam adijciet, & sic tibi imputabitur totum. Tu das parum, & tutius accipis mercedem. Igitur initium facito, funda-

Genes: 27.

fundamentum iacito, imò mutuum adhortemini, vt certetis in hac re. Nunc autem domus, in quibus paleam & frumentum, & omnia talia reponi oportet, facilé extruunt: vbi autem colligere oportet animarum fructus, minimé curant; sed coguntur multis stadijs ire, & magnas profectiones facere, vt in Ecclesiam abeant. Quantùm autem est bonum, cum multa quiete in Ecclesiam sacerdotem venire, vt accedat Deum, & pro ea quotidie oret ad Dominum? Parum est, dic oro, in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri, & quotidie pro villa preces ad Deum fieri? quantum tibi & ad alia hoc conducit? contingit quosdam in vicinia habitare, & habere curatores. Ad te igitur pauperem non dignabitur vllus horum venire: ac Præsbyterum fortassis vocabis, & mensæ participem facies. Vides quanta erunt inde bona? Erit tunc villa ab omni suspicione libera: nullus homicidij, nullus furti accusabit, neq; aliquid suspicabitur. Habent & aliam consolationem, siue morbus, siue mors accidat. Non simpliciter neque fortuitò etiam amicitiæ fiunt eorum, qui illuc eunt, & congregationes erunt multò alijs cætibus suauiores: non solùm autem congregationes, sed & illi qui præsunt per Præsbyterum sunt magis reuerendi. Omninò audis quod Hierusalem olim alijs ciuitatibus honoratior fuerit; sed non simpliciter, verùm propter impietatem, quæ tunc præualuerat. Propterea ibi colebatur Deus. Nihil est mali, multa securitas erit & apud Deum, & apud homines. Etiam oro, ne obiter, sed alacriter opus in manus suscipiatis. Qui enim educit pretiosum à vili, quasi os Dei erit: qui tot animabus tàm præsentibus, quàm futuris, vsque ad aduentum Christi prodest; quantam gratiam apud Deum habebit? Præsidium exstrue contra diabolum. Hoc est enim Ecclesia. Illinc impetum faciant manus ad laborem: prius extendantur in precibus, & tunc abeant ad opus, vnde erit corporis robur: ita erit multa agricolatio, ita omnia mala erunt foris: non potest voluptas

ptas verbis tradi, quamdiu opere non fuerit suscepta. Ne hoc videris quod nullam habeat accessionem ac commodum: nam si hoc feceris, nihil facies, si non putas tibi vtilitatem prædio maiorem accedere: si non sic affectus es, non operaberis, si non opus hoc cogitas tuis omnibus præferendum. Quid hac vtilitate maius, animas in aream, quæ est in cælo, inducere? Hei mihi, quòd nescitis, quantum sit lucrifacere animas. Audi quid dicat ad Petrum, Christus: Si diligis me, pasce oues meas. Si oues Regias videns, vel equorum armentum apud stabulum non habere quæ proponantur; accipies ipse, & exstrues stabulum & equile, vel perficies pastorem, quantis te remuneraturus est rex? nunc ouile Christi congregas, & pastorem præficis; & non putas magnum quiddam te facere? Quid dico? Si quis scandalizauerit etiam vnum, tantas pœnarum minas audit: qui tot seruat, non seruabitur? nam quarum minas audit: qui tot seruat, non seruabitur? nam quale postea habebit peccatum? etiamsi habuerit non delebit illud? A pœna eius, qui scandalum dederit, disce præmium eius qui seruat. Si non curæ esset Deo etiam vnius animæ salus; non tam irasceretur ob illius perditionem. Hæc igitur scientes, curam habeamus operis spiritualis, & me vnusquisque vocet, & nos pro viribus simul operabimur. Et siquidem tres fuerint domini, in commune conferant: si autem vnus, & alijs vicinis suadeat: tantum vt hoc corrigat, soliciti sitis, vt vbiq; beneplacentes Deo, æterna bona consequamur, gratia & misericordia Domini nostri IESV Christi, cum quo Patri & Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc & semper, &c] ¶ In meridie ex Aphricanis patribus, primus est beatissimus Martyr & Pontifex Cyprianus, qui hac de re hunc in modum scribit. [In nobis verò sic vnanimitas diminuta est, vt largitas operationis infracta est. domos tunc & fundos venundabant, & thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in vsus indigentium precia Apostolis offerebant: At nunc de patrimonio nec decimas damus. Et cum vendere iubeat Dominus, emimus potiùs & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei: sic credentium robur elanguit. Et idcircò Dominus tempora nostra respiciens, in Euangelio suo dicit: Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri, quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini, & iram Dei: & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormenta, nemo considerat: quod metueret conscientia nostra, si crederet: quia non credit omninò; nec metuit: si autem crederet, & caueret: si caueret euaderet. Excitemus nos quantùm possumus, dilectissimi fratres, & somno inertiæ veteris abrupto, ad obseruanda, & gerenda Domini præcepta vigilemus.

Ioan: 21.

Cypri: de vnitate Ecclesiæ.

Cyprianum sequitur Diuus Augustinus. [Vnusquisq; de quali ingenio vel artificio viuit; de ipso decimam Deo in pauperibus, vel in Ecclesijs donet: consideret, quia omnia Dei sunt, per quæ viuit: siue terra, siue flumina, siue semina, vel omnia quæ sub cælo sunt, vel super cælos. Et si ipse non dedisset, nihil vtiq; haberet. Nam Deus, qui dignatur totum dare; decimam de suo dignatur à nobis repetere, non sibi penitus, sed nobis profuturam: sicut ipse promisit per Prophetam, dicens: Inferte, inquit, omnem decimationem in horreis meis, & probate me in his, dicit Dominus: si non aperuero vobis.* nolite de cuncta substantia vestra fraudare decimam, ne vobis nouem partes auferantur, & sola decima remaneat. Conuertimini adhuc, dicit Dominus, vt aperat vobis cataractas cæli, & effundam super vos benedictionem meam. Si igitur dederitis voluntariè, plus semper Dominus dabit vobis. Si non dederitis, quanticunq; pauperes, in quibus locis habitatis, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum rei eritis. Insuper immittet vobis Dominus pestilentiam & famem, & perdetis totum quod habetis, necnon & animas vestras. Vt autem hæc vobis non veniant, festinate

August: de rectitud: Catholicæ conuersationis, Tra: 20. Tom: 9.

Malach: 3.

festinate cum bono animo dare, vnde animas vestras possitis redimere. Et alibi. Propitio Christo, fratres charissimi, iam propè sunt dies, in quibus messes colligere debeamus, & ideò gratias agentes Deo qui dedit, de offerendis, imò reddendis decimis cogitemus. Deus enim, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sic enim per Prophetam ipse promisit, dicens: Inferte, inquit, omnem decimam in horreis meis, vt sit cibus in domo mea, & probate me in his, dicit Dominus; si non aperuero vobis catarractas cæli, & dedero vobis fructum vsq; in abundantiam. Ecce probauimus, quomodo nobis decimæ magis quàm Deo proficiant. O homines stulti, quid mali imperat Deus, vt non mereatur audiri! Sic enim dicit: Primitias areæ tuæ, & torcularis tui, non tardabis offerre mihi. Si tardiùs dare peccatum est, quantò peiùs est non dedisse? Et iterum dicit: Honora Dominum Deum tuum de tuis iustis laboribus, deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ, vt repleantur horrea tua frumento, vino quoq; torcularia tua redundabunt. Non præstas hoc gratis, quod citò recipies magno cum fænore.] Ex occidentis patribus vetustissimus fuit; & qui ipsa tempora Apostolorum secutus est Iræneus, qui inde probat contra Valentinianum & Martianum, Iesum Christum verum Deum, & veri Dei filium esse, quod illi primitias atque decimas fideles offerant: etsi alio modo quàm in veteri lege. Verba eius sunt hæc.

Ibid: Aug: Serm: 219. Tom: 10.

Malac: 3.

Exod: 22.

Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ, sicut & Moyses ait: [Non apparebis vacuus antè conspectum Domini Dei tui, vt in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum, qui est ab eo, percipiat honorem. Et non genus oblationũ reprobatum est, oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia; sed species immutata est tantùm: quippè cùm iam non à seruis, sed à liberis offeratur: vnus enim &

Matth: 5. Deut: 16. Iren: lib: 4. cap: 34.

enim & idem Dominus: proprium autem character seruilis oblationis, & proprium liberorum, vti & per oblationes ostendatur iudicium libertatis.] Et decimas quidem vnde tunc Christiani soluerent, non planè habebant: omnia tamen sua ad pedes Apostolorum eos detulisse, idem testatur Irenæus. Sequitur hunc D. Ambrosius.

[Quicunque, inquit, recognouerit in se, quòd fideliter non dederit decimas suas; modò emendet, quod minùs fecit. Quid est fideliter dare, nisi vt nec peius, nec minùs aliquando Deo offerat, aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipsa venatione sua. In Septentrionem versis adest D. Hieronymus, qui inquit: Quoniam quicquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum, & hospitum inuigilare debent: maximè curandum est illis, vt de decimis, & oblationibus, cœnobijs, & xenodochijs, qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant. Liberum est enim monachis, & spiritualibus viris, Deum colentibus & timentibus, decimas & oblationes, cunctaq; remedia concedere, & de iure suo in dominium illorum, & vsum transferre; nec tam in pauperibus paupertatem, quàm religionem attendere. Quòd autem beatitudo tua quæsiuit, vtrum vsus decimarum & oblationum secularibus prouenire possit, nouit vestra Sanctitas omninò non licere: protestantibus hoc diuinis authoritatibus paternorum Canonum. Quamobrem si aliquando fuerint ab his malè detenta, quæ diuinis iuris esse noscuntur, & in vsum transierint monachorum & seruorum Dei; Episcopo tamen loci illius præbente consensum constabunt eis omnia perpetua firmitate, & stabilitate subnixa. Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari; quibus parentum & amicorum nulla suffragantur stipendia. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, acci-

ApudGrat: 16. q. 7. c. Quicunq;.

ApudGrat: 16. q. 1. c. Quoniam quidquid.

est, accipiunt: sacrilegium profectò incurrunt, & committunt, & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt.] Hæc Hieronymus. Quodsi consensus omnium Ecclesiarum, præsertim earum, quæ matrices appellantur, certa nota Apostolicæ traditionis est, decimarum profectò ius, tot tantisque testibus, ab ipso Christo, eiusq; Apostolis, profectum erit.

Non idem tunc erant, inquiunt illi sacerdotes, nec tales, nec ijsdem moribus præditi, nec in eas res bona conferebant Ecclesiastica. At idem est Deus, idem Christus Dominus, cui hæc debentur omnia, cuius hæc hæreditas, hæcq; possessio propria existit. Num autem in eum modum de Pontificibus, patribus ac præpositis vestris, iudicare conueniat nec ne, discamus ab Ecclesia (vt Pauli voce vtar) Primitiuorum discamus à sanctis Dei patribus.

Cypr: l. 4. Epist: 9. [Post Deum, inquit Cyprianus, iudicem, qui Sacerdotes facit, te velle non dicam de me, quantus enim ego sum? sed Dei & Christi iudicio iudicare: hoc est, in Deum non credere, hoc est, rebellem aduersus Christum, & aduersus Euangelium eius existere: vt cùm ille dicat: Nonne duo

Matt: 10. passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris voluntate? & probet maiestas eius, & veritas, sine conscientia & permissu Dei, etiam minora non fieri; tu existimes Sacerdotes Dei sine conscientia Dei eius in Ecclesia ordinari? Nam credere, quòd indigni & incæsti sint, qui ordinantur, quid aliud est, quam credere, quod non à Deo, nec per Deum Sacerdotes eius in Ecclesia constituantur. An putas, maius esse de me meum, quàm Dei testimonium, cùm Dominus ipse doceat, & dicat, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat, eò quòd vnusquisque vtique sibi faueat, nec contra se aliquis infesta & aduersa depromat; fides verò sincera sit veritatis, si in prædicationibus nostris alius sit prædica-

Ioan: 5. tor ac testis. Si testimonium, inquit, dixero de me, testimonium meum non est verum: alius est enim, qui testis est de

est de me. Quodsi ipse Dominus omnia postmodum iudicaturus, noluit de testimonio suo sibi credi, sed maluit de iudicio ac testimonio Dei patris probari: quantò magis hoc seruos eius obseruare oportet, qui iudicio ac testimonio Dei, non probantur tantùm, sed etiam gloriantur? Quis autem nostrum longè est ab humilitate? vtrumnè ego, qui quotidie fratribus seruio, & venientes ad Ecclesiam singulos benignè, & cum voto & gaudio suscipio? an tu, qui te Episcopum Episcopi, & iudicem iudicis, ad tempus à Deo dati constituis? cùm Dominus Deus in Deuternomio dicat: Et homo, quicunq; fecerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut iudicem, quicunq; fuerit in diebus illis; morietur homo ille: & omnis populus, cùm audierit, timebit, & non agent impiè etiam nunc. Et iterum ad Samuelem loquitur, & dicit: Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et adhuc Dominus in Euangelio, cùm ei dictum esset: Sic respondes Pontifici? custodiens & docens Sacerdotalem honorem seruari oportere, contra Pontificem nihil dixerit, sed innocentiam suam tantummodo purgans, responderit dicens: Si malè loquutus sum, exprobra de malo; si autem benè, quid me cædis? Item B. Apostolus cùm ei dictum esset: Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo? cùm nihil contumeliosè loquutus sit aduersus Sacerdotem: quando & poterit se constanter exercere aduersus eos, qui Dominum crucifixissent, & qui iam Deum & Christum, & templum, & sacerdotium perdidissent: sed quamuis in falsis & spoliatis Sacerdotibus, vmbram tamen ipsam inanem Sacerdotalis nominis cogitans dixerit: Nesciebam fratres, quia Pontifex est; scriptum est enim: Principem plebis tuæ non maledices.] Hactenus Cyprianus.

Et paulò infe. — Deut: 17. — 1. Reg: 8. Ioan: 18. — Actor: 23. — Exod: 20.

Eadem, & ijsdem ferè verbis docet D. Chrysostomus. Qui honorat, inquit, Sacerdotem, Deum quoq; honorat; qui verò Sacerdotem spernit, ad id sensim prolabitur, vt in Deum ipsum aliquando contumeliosus euadat. [Qui

Chryf: 2. Epi: ad Tim: cap: 1. Hom: 2.

vos,inquit,ſuſcipit,me ſuſcipit; & qui vos ſpernit,me ſpernit. EtSacerdotes eiꝰ,ait Scriptura,in honore habete Hinc Iudæi Deum ſpernere didicerunt, quia Moyſen contẽpſerunt, quia lapidibus eum impetebant. Nam qui piè Sacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deũ reuerebitur. Etſi enim malus fueritSacerdos quiſpiam, attenditDeus,quòd ſua gratia, illum etiam, qui dignus honore non eſt, obſe-
Matt: 10. quijs foues, ipſeq; tibi præmia exſoluet. Si enim, qui Prophetam in nomine prophetæ ſuſcipit,mercedemProphetæ accipiet: profectò & qui cædit & obtemperat Sacerdoti,eumq; propter Dominũ honorat, & ipſe à Domino be-
Malach: 2. nedicetur,mercedeq; ſua non deſtituetur. Super cathedrã, inquit,Moyſi,ſederũtScribæ &Phariſæi:omnia ergò quæcunq; dixerint vobis facere,facite;ſecundùm autem opera eorum ne faciatis. An ignoras quid ſit Sacerdos? Angelus vtiq; Domini eſt; non ex ſeipſo loquitur: ſi deſpicis, non illũ deſpicis, ſed Deum,qui illum ordinauit. Sed vnde, inquies, conſtat, Deum fuiſſe illius ordinationis autorem? Niſi enim tu hanc habeas fidem & opinionem, ſpes tua inanis facta eſt. Nam ſi nihil per illum operaturDeus,neq; lauacrum habes, neque myſteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Chriſtianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, æquè dignos & indignos. Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam ſi per aſinæ os, ſi per Balaam ſceleſtum ho-
Num: 22. & 24. minem, populi cauſa loquutus eſt; multò magis loquitur per Sacerdotem, plebis ſuæ gratia. Quid enim non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa? quid non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus eſt, & per
Matt: 7. Prophetas, quibus dicturus eſt: Non noui uos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem: ſi igitur vel hi etiam dæmones in nomine eius eiecerunt; non magis per Sacerdotes, diuino miniſterio famulantes operabitur? Namq; ſi præpoſitorum vitas diſcutere pergimus; ipſi quoque

doctores

doctores noſtros ordinare debemus: peruerſoq; ordine naturali, quæ ſupra ſunt, infra conſtituentur, vt ſuperiùs pedes, inferiùs verò ſit caput. Audi quid Paulus dicat: Mi- 1. Cor: 4.
hi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et iterum: Tu quid iudicas fratrem tuum? Si Rom: 14.
fratrem iudicare non expedit; quantò minùs magiſtrum? Nam ſiquidem hoc ſtatuit Deus, benefacis, peccaſq; ni facias; ſin verò contraria præcipit, noli præſumere, neque ea coneris, quæ ſuper te ſunt, neque limites tibi poſitos tranſilias. Inſurrexerunt aduerſus Aaron, poſt vituli formatam effigiem, Chore, Datan, & Abiron. Quid ergò? Num: 16.
nonne illi periere? Quilibet, quæ ad ſe pertinent, ſolicitè curet. Nam ſiquidem fidei dogma peruertat, etiam ſi Angelus ſit, obaudire noli: ſin verò recta docet, noli vitæ, ſed verbis intendere. Habes Paulum, verbis te operibuſq; ad id, quod rectè & honeſtè eſt, informantem. Non diſtribuit pauperibus, inquies, non benè diſpenſat Eccleſiæ res. Vnde id tibi conſtat? Noli illum damnare, antequam diſcas: reatum caue, plurima quippè ex ſimplici ſuſpicione iudicantur. Imitare Deum tuum, audi ipſum dicentem: Deſcendens videbo, ſi ſecundùm clamorem ſuum Geneſ: 18.
conſumantur, an non; vt rectè ſciam. Quod etſi didiciſti, & examinaſti, & vidiſti, expecta iudicium: noli percipere Chriſti iudicis ordinem: illius eſt munus iſta diſcutere, non tuum; tu ſeruus vltimus es, non Dominus; ouis ipſe es, paſtorem noli diſcutere; ne eius quoq; criminis reus tenearis, quòd illum accuſare præſumis. Et quomodo, inquies, id mihi dicit, quod ipſe non facit? Non tibi ipſe dicit: nam ſi illi obtemperas, mercede priuaris: Chriſtus hæc admonet. Plùs aliquid dicam Ne Paulo quidem obe- Rom: 14.
dire oportet, ſi quid dixerit proprium, ſi quid humanum, ſed Apoſtolo Chriſtum in ſe loquentem circumferenti. Non igitur mutuò iudicemus nos: ſua quiſque diſcutiat, vitamque diiudicet ſuam. At debet ille, inquies, melior eſſe quàm ego. Cur, te obſecro? quia Sacerdos eſt. Et quid

non ha-

non habet ille ampliùs quàm tu? non labores? non pericula? non angores? non ærumnas? Furatur, inquies, & sacrilegus est. Vnde hoc nosti, ô homo! cur te ipsum per præcipitia impellis? sunt verba ista plena arrogantiæ: nempè si quis dixerit, ille purpuram habet: quamuis id scias, aures obstrue. Quid ergo hoc in loco periculum minimè necessarium suscipis: non carent reatu hæc verba.
Matth: 10. Audi quid dixerit Christus: Dico autem vobis, quod omne verbum otiosum, quodcunq; loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Cur te ipsum arbitraris esse meliorem? cur non ingemiscis magis, ac pectus tundis, atque in humum respicis imitando publi-
Lucæ 18. canum? Etsi enim melior sis; hac fæda existimatione tua cuncta perdidisti. Melior es, tace, vt persistas esse melior: quod si loquaris, omnia exinanisti. Tuam igitur & non alienam exanima vitam. Tu de Sacerdote dicis: non sum sicut iste sacrilegus, & non omnia prorsus amittes? Ista necessariò dicere, ac plurimis verbis prosequi cogor, non Sacerdotum tantùm gratia, sed vestri: nam vereor, ne hac elatione virtus exhauriatur vestra, in iudiciumq; decida-
Galat: 6. tis. Audi denique quid dicat admonens Paulus: Opus autem suum probet vnusquisq;, & tunc in semetipso tantùm habebit gloriam, & non in altero. Nam, dic oro, si sancius proficiscaris ad medicum, num omissa cura vulneris tui, studiosè medicum percunctaris, vulnus ille habeat, nec ne? Numquid enim si Sacerdos malus sit, inde solatium capiet subditus? nihil minus. Cæterum, dabit ille quidem scelerum suorũ debitas pœnas, dabis etiam & tu tuorũ criminum pœnas. Cuius ergo rei gratia, inquies, præsidet, cur præpositus est? ne quæso Doctores nostros maledictis impetamus, vti ne nosmet potiùs lædamus. Nostra, vt dixi, omnia discutiamus, & neminè penitus maledicemus.
Ecclesi: 3. Reuereamur diem illã, qua illuminati ab illis sumus. Patrẽ qui habet, & si mille patiatur incõmoda, omnia patris reuerentia cõteget. Noli enim, inquit, gloriari in ignominia pa-

nia patris tui, neq; enim tibi tàm gloria, quàm probrũ est, & si sensum amiserit, veniã habe. Longè hæc magis in patre spirituali dicenda sunt; reuerere illũ, quòd tibi diebus singulis diuina ministrat: scripturas relegi facit tui gratia: exornat domum: propter te vigilat: propter te vota persoluit: pro te Deum precaturus adstat, tui causa preces exsoluit. At malus ille est: & hoc ad te quid? Numquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & diuina largitur? absit. Fides enim tua ad omnia valet; neque tibi iustus quispiam proderit, nisi ipse fidelis sis: neq; nocebit malus, si fueris ipse fidelis. Per vaccas in arca operatus est Deus, cùm populum saluare vellet. Num enim Sacerdotis vita, num virtus tantum conferre potuissent? non possunt, quæ Deus ipse largitur, velut Sacerdotali virtute perfici: omnia quippè diuinæ sunt gratiæ: symbolum ipse tantummodò implet. Intuere, quantum inter Iesum & Ioannem interest: & audi dicentem Ioannem: Ego opus Matth: 3.
habeo à te baptizari, & tu venis ad me. Sed tamen, cùm tantùm interest, descendit Spiritus, quem non habebat Ioannes, neque Ioannes ipsum descendere facit. Cur ergo istud fit? vt scias, Sacerdotem symbolum implere tantummodò: Deum autem omnia operari, Deum omnia perficere. Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat; eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis suis; quamque Sacerdotes modo quoq; conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa, minùs. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacrauerat. Qui autem hanc illa minùs aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest, atq; operatur. Hæc igitur scientes (neq; enim absque certa ratione hæc omnia dicta sunt, sed vt sententiam vestram, sensumque corrigamus, cautioresq; in posterum faciamus) omni studio & diligentia conseruate.] Hæc Chrysostomus.

Sed qualescunque isti sunt sacerdotes quos accusatis vestri,

veſtri ſunt, progenies veſtra, veſtro ex ſanguine creti, ex vobis nati, à vobis educati, per vos Eccleſiæ Dei eiuſque Antiſtibus commendati, importuneque, coactè, violenter, toties contra omnem morem maiorum omnemque Eccleſiaſticam diſciplinam intruſi. Homines plerumque ignari, inertes, inepti, quibus ipſis patrono opus eſt, vt fœdiora prætermittam. Qua cauſa commendati? Quæſtus & priuatæ vtilitatis gratia: ſique vobis in illis non paretur, cælum & terram clamoribus completis: quorum cauſa vobis aliquando difficillima apud Deum ratio reddenda erit. Nam & illos hoc modo perditis, & Eccleſiam Dei magno afficitis incommodo: tamen vultis vt delicta perſonarum, contra magnum illum Gregorium, in damnum Eccleſiæ conuertantur, cùm ſanctus ſcribat Leo: Grat: cauſ: 16. quæſt: 6. Si fortaſſis (quod non credimus) apud vos inutiles iudicamur: Eccleſia tamen, cui (permittente Deo) præſumus, non inutilis, ſed caput principiumque omnium meritò ſimul ab omnibus vocatur. Quod igitur intriuiſtis, ipſis vobis deuorandum eſt. Vbique vos ingeritis, omnia eſſe vultis, Doctores, Epiſcopi, ſummi Pontifices. Permittite obſecro diſciplinam Eccleſiaſticam valere atq; vigere; & cognoſcetis, quia iſti ſunt populus, cui benedixit Dominus. Sed vos, neque morbos, neque morborum remedia ferre poteſtis.

Atqui, inquiunt, iſti tui ſacerdotes falſi Prophetæ ſunt, falſam doctrinam adferunt, plebem ſeducunt. Vtrũ igitur vos de ſacerdotum fide & doctrina, an ſacerdotes de veſtra iudicare, & ſtatuere conueniat, videamus. Ad ipſiuſque Dei in hac re incorruptam ſententiam & iudicium appellemus. Quid igitur dicat Dominus, audiamus. Deut: 17. Si difficilè & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Leuitici gene-

ri generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Et in noua lege: Super cathedram Moyſi, ſederunt ſcribæ & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis, facite, ſecundùm autem opera eorum nolite facere. Et: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum eius.

Leuitas, dices, aliam ſortem in populo Dei non habuiſſe, præter decimas; nos autem multos agros, ditia rura, amplas poſſeſſiones habere. Verum eſt, Leuitas & Sacerdotes in prima illa terræ ſortitione, non accepiſſe aliam partem in populo Dei, præter decimas & primitias: eò quòd ad legem tradendam, docendumque populum, eos per omnes tribus ſparſos, non vno aliquo terræ illius angulo concluſos eſſe oportebat. At ſortitione terræ in Num: 35. vndecim tribus facta, præcipit Dominus, vt in omni tribu, vrbes & ſuburbia aſſignentur Leuitis & Sacerdotibus: vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum, ad alenda pecora & iumenta. Itaque ciuitates vniuerſæ Leuitarum, inquit ſcriptura, in medio poſſeſſionis filiorum Iſraël fuerunt quadraginta octo, cum ſuburbanis ſuis ſingulæ, per Ioſuæ 21. familias diſtributæ. Omnis item poſſeſſio ex vrbe conſecrata Domino, ad ius pertinebat Sacerdotum. Liberum etiam fuit, priuata emptione Sacerdotibus agros comparare. Leuit: 17. Sic Abiatharem in agrum ſuum diſcedere iubet Salomon. 3. Reg: 2. Sic Ieremias, iubente Deo, emit agrum à propinquo ſuo: & ſcribit librum poſſeſſionis ſignatum & ſtipulationes, & rata, & ſigna forinſecus. Ierem: 2. Quæ omnia in noua lege munificentiora futura, ex Prophetis demonſtrauimus. Sed qua ratione, & quorum cauſa, & in quales vſus, diſce non ex me, ſed ex Beatiſſimo Martyre atq; Pontifice Vrbano I. qui ante mille & quadringentos annos

G 2 vixit,

Ex lib: D. Vrbani Pap: primi. vixit, illudque scriptum reliquit. [Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratiâ Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, Clericos, sicut in Actibus legitur Apostolorum: Multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi: & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, filius consolationis, Leuites & Cyprus genere, cùm haberet agrum, vendidit illum, & attulit precium ante pedes Apostolorum. Et reliqua. Videntes ergo Sacerdotes summi, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse afferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesijs, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quòd ex sumptibus eorum, tàm præsentibus, quàm futuris temporibus, plurima & elegantiora possent ministrare communem vitam ducentibus, quam ex precio eorum: cæperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipse verò res, in ditione singularum Parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout meliùs potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alijs vsibus, quam Ecclesiasticis,

Actor. 4. (margin note beside "erant illis omnia communia")

siasticis, & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atq; ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Hæc, fratres, valdè cauenda sunt & timenda: quia res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed vt communes, & Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios, quàm in præfatos vsus sunt fideliter dispensandæ: ne sacrilegij reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, vbi traditæ sunt: ne pœnam & mortem Ananiæ & Saphiræ incurrant, (& quod peius est) anathema maranatha fiant: & si non corpore, vt Ananias & Saphira, mortui ceciderint; anima tamen, quæ potior est corpore, mortua & alienata à cõsortio fidelium cadat, & in profundum barathri labatur. Vnde attendendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius vsurpationis contumelia depellenda, ne prædia vsibus secretorum cælestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promouenda est, perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vtatur. Quoniam, iuxta Apostolum, tradere oportet huiusmodi hominem sathanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini. Memoratis ergò augmentationibus ac cultibus, in tantum Ecclesiæ, quibus Episcopi præsident, Domino adminiculante, creuerunt; & tantis maxima pars eorum abundant rebus, vt nullus sit in eis, communem eligens vitam, indigens: sed omnia necessaria ab Episcopo suisq; ministris percipit. Ideò, si aliquis extiterit, modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.] Hactenus beatus martyr.

Eleemosyna, dicunt isti, hæc est, opus misericordiæ & charitatis, non debiti: ad quod obligatur nemo, nisi quãdo vult, cui vult, & quantum vult. Hic verò est error maximus: non enim decimæ, sorsque possessionis Domini eleemosyna est, nec charitatis tantoperè, sed iustitiæ, debitique.

bitique opus: & eius debiti, quod primum & maximum est omnium, Aristotelis etiam & Platonis testimonio: illius nimirum, quod Deo ipsi debetur. Nisi fortè debitum non est, Deum creatorem & datorem rerum omnium recognoscere, prouidentiam & gubernationem eius laudare: Iesum Christum summum Regem, & iudicem vniuersorum confiteri, sortem & partem eius restituere. Nam qui opus charitatis prætermittit, peccat quidem ille ad mortem: ad restitutionem tamen eius rei, quam abstulit, non obligatur. Atqui opus iustitiæ & debiti non facit, non tantùm lethaliter peccat, sed ita peccat, vt non priùs delictum eius auferatur, quàm illud ipsum, quòd ex iure & officio debet, restituat. vt si mendico petenti, in eius summa necessitate, munus non conferas, peccâsti tu quidem; sed vt idem restituas nullo teneris iure: at si per furtum, aut peculatum, aut sacrilegium aliquid abstuleris, ita peccasti, vt nisi illud, quod apud te retines, restituas, à peccato liber esse nullo modo possis. Nisi fortè ille, qui vestem sacram, aut vas sacrum abstulit, sacrilegus esse putabitur: hic qui necessarium victum, omniaque illa, quæ sorti Domini addicta sunt, vitam denique ipsam sacerdotum aufert, sacrilegus non erit? insanæ mentis est iudicium. Qua de re, quid statuat magnus Augustinus, audiamus: [Decimæ enim ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit; & quanti pauperes in locis, vbi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint; tantorum homicidiorum reus, ante tribunal æterni iudicis apparebit: quia à Domino pauperibus delegatum, suis vsibus reseruauit. Qui ergo sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri; reddat decimam, & de nouem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus: ita tamen, vt quicquid excepto victu mediocri, & vestitu rationabili superfuerit, non luxuriæ reseruetur; sed in thesauro cælesti per eleemosynam pauperum reponatur. Quicquid enim nobis Deus

Aug: ser: 219. tom: 10

Deus plus quàm opus est dederit; non nobis specialiter dedit, sed per nos alijs erogandum transmisit: quòd si non dederimus res alienas inuasimus.]

Nolo, inquis, alium in bonis meis, præter me, & hæredem meum Dominum habere. Nolo cum vicino in vno eodemque agro esse. Neque igitur Deum, atq; Christum eius, qui te, & hæredem tuum custodiat, tibique benedicat, in bonis tuis tecum habitare vis? Quid si ille vicissim, & te, & hæredem tuum, itidem ex bonis suis, quæ tu tua appellas, atque adeò æternâ illâ & cælesti patria exhæreditabit; vt sit habitatio tua deserta, fiant filij tui orphani, & vxor tua vidua: Nutantes transferantur filij tui, & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis: Scrutetur fænerator omnem substantiam tuam, & diripiant alieni labores tuos: non sit illis adiutor, nec sit qui misereatur pupillis tuis? Quid si idem Deus te nouem suarum partium dominum esse nollet, atque iusto & vero iudicio ad decimam illam solam partem, quam tu illi negas, reuocabit? Quid dices? aut quo iure cum illo contendes? Docet hoc ita plerumq; euenire Diuus Augustinus: [Audi, inquit, indeuota mortalitas. Nosti, quia Dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium conditori? Non eget Dominus Deus; non præmium postulat, sed honorem; non de tuo aliquid exigit, quod refundas. Primitias rerum & decimas dignatur petere, & negas auare. Quid faceres, si nouem partibus sibi sumptis tibi decimam reliquisset? Quod certè iam factum est, cùm messis tua, pluuiarum benedictione subtracta, ieiuna defecit, & vindemiam tuam aut grãdo percussit, aut pruina decoxit. Quid auidè supputas? nouem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Constat quidem, quod ipse non dederis, sed tamen Deus exigit. Hæc enim est Domini iustissima consuetudo; vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Scriptum est enim: Hæc dicit Dominus: Quia decima agri tui, primitiæ terræ vo-

Psal: 108.

Aug: ser: 219. de Tempore.

ræ vobiscum sunt, vidi autem, & fallere me existimastis intus in thesauris vestris, & in domibus vestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Conuertimini quoque ad me, dicit Dominus omnipotens, vt aperiam vobis catarractas cæli, & effundam vobis benedictionem meam desuper; & non corrumpam fructus terræ vestræ, neq; languebit vitis in agro vestro, & beatos vos dicent omnes gentes. Benefacere Deus semper paratus est; sed hominum malitia prohibetur: quia à Domino Deo sibi vult dari omnia; & non vult ei, quæ possidere videtur, offerre. Quid si diceret Deus: Meus est homo, quem feci: mea est terra, quam colis: mea sunt & semina, quæ spargis: mea animalia, quæ fatigas: mei sunt imbres & pluuiæ, & ventorum flamina mea sunt: meus est solis calor: & cùm omnia mea sint elementa viuendi; tu qui manus accommodas, solam decimam merebaris. Sed quia piè nos pascit omnipotens Deus, amplissimam tribuit minùs laboranti mercedem: sibi tantùm decimam vendicans, nobis omnia condonauit. Ingrate fraudator ac perfide, diuina te voce conuenio. Ecce annus iam finitus est, redde Domino pluenti mercedem. Redime te homo, dum viuis: redime te ipse dum potes: redime, inquam, te, dum precium in manibus habes: redime te, ne dum te mors auara præuenerit, & vitam simul & precium perdas. Sine causa hoc dimittis vxori, quæ forsitan alterum habebit maritum: sine causa hoc marito dimittit mulier, quia aliam sine mora cupit habere vxorem. Frustra parentibus ac propinquis curam tuam iniungis: nemo te post mortem tuam fideliter redimet, quia in vita tu te redimere noluisti. Depone iam auaritiæ sarcinam de ceruicibus tuis: contemne crudelissimam dominam, quæ dum te iugo durissimo premit, iugum Christi suscipere non permittit. Sicut enim iugum auaritiæ in infernum premere, ita iugum Christi in cælum leuare consueuit.] Et hæc quidem Augustinus. Sed longè

clariùs

clariùs hoc idem res ipsa probat. Quis enim non videt, ex istis vestris præsentibus fortunis, vos vix ad decimã partẽ eorum fructuũ, quos maiores vestri totos à Deo percipiebant, reuocatos esse? Itaq; ipsa decima quodammodo parte, vos contentos necessariò esse oportet. An nescitis, quod Deo dicatum quid apud se retinere, domique suæ conseruare, anathema sit, quod & domum dominumque, & omnem possessionem eius exurat? Quid autem & quale hoc ipsum anathema sit, discite ex Scriptura: Filij autem Iosue 7.
Israël præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate: Nam Achan, filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathamate: iratusq; est Dominus contra filios Israël. Cùmque mitteret Iosue de Iericho viros contra Hai, quæ est iuxta Bethauen, ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, & explorate terram. Qui præcepta complentes explorauerunt Hai. Et reuersi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos? Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum: qui statim terga vertentes, percussi sunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta & sex homines, persecutique sunt eos aduersarij de porta vsq; ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est. Iosue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram, coram Arca Domini, vsque ad vesperam, tàm ipse, quàm omnes senes Israël: miseruntque puluerem super capita sua, & dixit Iosue: Heu, Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorhæi, & perderes? vtinam vt cæpimus mansissemus trans Iordanem. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter con-

globa-

globati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra: & quid facies magno nomini tuo? Dixitque Dominus ad Ioſue: Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſraël, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet: quia pollutus eſt anathemate: non ero vltra vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Surge, ſanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Anathema in medio tui eſt Iſraël: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus ſcelere. Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quamcunque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domuſque per viros. Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſraël. Surgens itaque Ioſue mane, applicuit Iſraël per tribus ſuas, & inuēta eſt tribus Iuda. Quæ cùm iuxta familias ſuas eſſet oblata, inuenta eſt familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: cuius domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare, de tribu Iuda. Et ait Ioſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Achan Ioſue, & dixit ei: Verè ego peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci: vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. Miſit ergo Ioſue miniſtros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcondita in

eodem

eodem loco, & argentum ſimul. Auferenteſque de tentorio, tulerunt ea ad Ioſue, & ad omnes filios Iſraël, proieceruntque ante Dominum. Tolens itaque Ioſue Achan filium Zare, argentumque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias eius, boues & aſinos, & oues, ipſumque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem, (& omnis Iſraël eum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, vbi dixit Ioſue: Quia turbâſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Iſraël: & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. Congregaueruntque ſuper eum aceruum magnum lapidum, qui permanet in præſentem diem. Et auerſus eſt furor Domini ab eis. Vocatumque eſt nomen loci illius vallis Achor, vſque hodie.] Et de anathemate quidem hæc Scriptura. An neſcitis Eccleſiaſtica bona, vel aquilarum, vel luporum pennis, aut pellibus ſimillima eſſe quæ permiſta alijs, ſe primùm, deinde omnes alias pennas atque pelles, cum quibus miſcentur, conſumere ſolent. Sic Dei peculium, permiſtum humano, vtraque ſimul conſumit. Vel ipſius Cleri quàm infirmæ & inſtabiles ſint, ex bonis Eccleſiaſticis comparatæ, vbi aliò quàm opus ſit, auertuntur, facultates, videtis: ita vt vix vnquam tertium ex his gaudere hæredem videamus: in primo, vel ſecundo, plerumque deficiunt. Abuſus enim & profanatio rerum Deo dicatarum, exitioſa ſemper mortalibus fuit. Vbi Arca Domini ad Philiſtæos fuit perlata, quæ & qualia mala ſecum attulerat, quas clades & turbas dederat, tradit Scriptura. Aggrauata autem eſt (1. Reg: 5.) manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri, in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate. Et iterum: Percuſſit autem Dominus de viris (1. Reg: 6.) Bethſamitis, eò, quod vidiſſent Arcam Domini, & percuſſit de

cuſſit de

cussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eò, quòd Dominus percussisset plebem plagâ magnâ. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis? Miseruntque nuncios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philistini Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.] Prophanatio sacrorum vasorum, quàm exitiosa fuerit Balthazari Regi, testis est eadē Scriptura. Balthazar rex fecit grande, inquit, conuiuiū optimatibus suis mille: & vnusquisq; secundùm suā bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonozor pater eius de templo, quod fuit in Hierusalem; vt biberent in eis, rex & optimates eius, vxoresq; eius, & concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Hierusalem: & biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabāt Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosq;, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Et eadē nocte interfectus est Balthazar rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos. Hactenus Scriptura. Est enim & dicitur Deus zelotes, id est, qui in societatem rerum suarum non facilè admittit quenquam: Qui vel deipso vnguento & thymiamate, quod templi sui causa confici voluerat, re vt videtur parua, illam fert legem. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo qui-

Dan: 5.

Exod: 30.

mo quicunque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. Non erat etiam illis, qui foris fuerunt, obscurus hic ipse diuinus sensus, cum rebus Deo dicatis, scilicet, societatem periculosam esse. Itaque Alexander Macedo, ne aspicere quidem templum, reliq; templi voluit. Artaxerxes autem summo cum honore vasa templi, quæ maiores sui inde asportârant, remitti curauit: qua de re scribit ad Esdram Sacerdotem, cui hoc totum commiserat negotium, in hunc modum: Omnia inquam, secundùm legem Dei fiant Deo altissimo, ne fortè exsurgat ira in regno regis, & filij, & filiorum eius. Offerantur libationes summo Deo pro rege & pueris eius: oretur pro vita ipsorum.] Idem igitur & nos faciendum esse putemus: excutiamus domos nostras, horrea nostra, arcas nostras, & videamus, num anathema aliquod in eis non delitescat: num hic ignis omnia consumens, ac vsq; ad perditionem deuorans, & eradicans, genimina, alicubi non lateat; num aliquid per rapinam, aut sacrilegium, aut simoniam quæsitum non sit. Si enim ille non putat se veniam consequuturum, etiam si salutem ipsam in domum suam recipiat, qui dicit; siquidem defraudaui, reddo quadruplum, nisi sua iustis dominis restituat: quantò minùs nobis sperandum, qui Deum ipsum, templumq; eius defraudauimus. in quod, vt vel vnum teruncium cum vidua illa paupere inferre, magnæ laudis, magniq; meriti est; ita vt vel vnum denarium auferre ex eo, res plena sacrilegij & impietatis.

3. Esdr: c. 5. & 6.

Tuam, inquis, causam, dum hæc defendis, agis. Non meam verò: nam me quidem Deus immortalis, & hic rex meus, dare potiùs, quàm accipere decimas fecit. Ergò istorum Pontificum principumque Sacerdotum? Ne istorum quidem tantopere. Quanquam ius suum cuique reddere conuenit. Quorum igitur? illorum, inquam, sacerdotum ac Præsbyterorum potissimùm, qui peccata ve- Osee 4.

 stra quo-

Deut: 11. Genes: 3. ſtra quotidiè comedunt: qui aliam partem, vt inquit Dominus, inter vos non habent: qui in ſudore vultus ſui quærunt panem ſuum; quibus ſua non reddere, hominem occidere eſt.

REDDITE IGITVR QVÆ SVNT CÆSARIS CÆSARI, ET QVÆ DEI DEO. Et tùm pax, atque compoſitio cohærebit. Nec Alcidæ duri, qui cum dijs aliquando pugnâſſe dicuntur, eſſe velitis: neue ſitis immaniores cunctis gentibus, barbariſſimis etiam, quæ ſemper dijs ſuis, quantumuis falſis, partem & portionem ſuam reddiderunt. Nota eſt illa Herculis decima, quam qui reddebant, ditiores eos fore putabant. Quin in hoc potiùs Dei gratiam recognoſcat quiſque, illique immortales gratias agat, quòd illum dare potiùs, quàm ab alijs petere dignatus ſit; quod locupletes & fixas ſedes habentem potiùs, quàm vagum & mendicum; ſanum ac alijs mutuantem potiùs, quàm ægrum & obæratum, benigna ſua miſericordia eſſe voluerit. Cogita quanti te redimere iuſtum eſſet, ne illam triſtiſſimam ſimul & iuſtiſſimam ſententiam iudicis audias: Diſcede à me, ſerue nequam & ignaue.
Matt: 21. Matth: 7. & 25. Et illam: Auferte ab illo talentum. Et illam: Ligatis manibus & pedibus eius. Et illam: Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, neſcio vos. Quanta item pecunia illud compararet libenter quis, vt illam vocem audiMatt: 25. Matth: 8. at: Venite benedicti patris mei. Et illam: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui: Recumbe cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum.

Neque tantùm ea, quæ Dei ſunt, Deo, eiuſq; miniſtris reddatis; ſed læti etiam & alacres, perfecto corde & animo, cum illa pulcherrima profeſſione in eius domum
Deut: 26. inferatis. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram, pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis. Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero: creuitq; in gentem magnam, ac robuſtam, & infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptij, & perſequuti ſunt, imponentes onera grauiſſima, & clamauimus ad Dominum Deum Patrum noſtrorum, qui exaudiuit nos, & reſpexit humilitatem noſtram, & laborem, atq; anguſtiam: & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, ingenti pauore, in ſignis atque portentis: & introduxit ad locum iſtum, & tradidit nobis terram, lacte & melle manantem. Et idcircò nunc offerro primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.] Quod eo pleniore ac perfectiore animo, & profeſſione populus Chriſtianus facere debet, quò maiora hic, quàm illi, à Deo ſuo accepit beneficia: vt qui non de manu Pharaonis, hoſtis mortalis & iamiam perituri, ſed de manu diaboli: non ex Ægyptiaca, ſed ex mortis & damnationis æternæ ſeruitute liberatus, in æternam hæreditatis ſortem aſcitus, ac in regni cæleſtis partem, vt hæres quidem Dei, cohæres autem Chriſti, ſit vocatus. Nam etſi nos quidem miniſtri templi, digna factis noſtris, dum à vobis diuexamur, reportamus, qui his bonis quæ vos per vim & inſidias auertitis, ſæpius profuſè, ac inſolenter abuſi ſumus, atque etiam nunc abutimur; qui ea plerumque in prophanos vſus conuertimus; qui denique in luxum & libidinem, in voſque ipſos, in præiudicium pauperum & orphanorum, cultuſque diuini, conferimus: Hic tamen Ieſus Chriſtus, qui ante oculos veſtros in cruce hac pendet, quid fecit? quid commeruit? qui vos his manibus pro vobis transfixis creauit: qui ſanguine ſuo pretioſiſſimo redemit: qui in gentem magnam creſcere fecit: qui per tot periculoſiſſima tempora, & interregna cuſtodiuit: qui Regem nobiliſſimum, & cui in diebus ſuis non eſt ſimilis, vobis præeſſe voluit: qui tot victorias, arces, portus, integras prouincias, vno tempore adiecit:

iecit: qui pacem optatiſſimam, ac ex omnibus, quæ in orbe Chriſtiano hoc tali tempore exſtiterunt, pulcherrimam vobis donauit: qui vos in brachijs iſtis ſuis portat; & vtinam æternùm portet: iſte inquam, quid promeruit, aut quid mali fecit, vt eum parte ſua, hæreditate ſua, ſorte ſua inter vos priuatum eſſe velitis? Aut hæc ipſa, quæ ex hoc ipſo latere eius profluxit, ſponſa eius Eccleſia, quæ vos regno cæleſti, vitæque æternæ, in lauacro fontis regenerauit; quæ in fide Chriſtiana inſtruxit, in qua, quàm diu manetis, Chriſtiani eſtis; quæ cibo & potu corporis & ſanguinis IESV Chriſti, ſponſi ſui, quotidie reficit, quæ Sacramentis condit, orationibus Deo commendat, doctrinâ fouet, mortuos denique intra ſinus & brachia ſua ſuſcipit, ac planè humeris ſuis in cætum ſanctorum deportat: hæc ipſa inquam quid commeruit, vt ei dotem ſuam ereptam eſſe velitis.

Et fuit quidem in veteri more apud omnes ferè gentes poſitum, vt partâ victoriâ, profligatis hoſtibus, pace reddita, ſpolia in templa deorum ſuorum inferrent: aras, & templa eorum, prædâ exornarent: trophæa erigerent. Quod & Deo vero, illa nobiliſſima pectora, feciſſe leguntur, de quibus ſcriptum eſt: Cumque acceſſiſſent principes exercitus ad Moyſen, & tribuni, centurioneſque, dixerunt: Nos ſerui tui, recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam, offerimus in donarijs Domino, ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia ac murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum. Suſceperuntque Moyſes, & Eleazar ſacerdos, omne aurum in diuerſis ſpeciebus, pondo ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & centurionibus. Vnuſquiſque enim, quod in præda rapuerat, ſuum erat. Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij, in monimentum filiorum Iſra-

Num: 31.

rum Iſra-

rum Iſraël, coram Domino. Vos ſoli adeò inhumani, adeò ab omni ſenſu numinis diuini remoti eritis; vt poſt tot bella, poſt tot nobiliſſimas victorias, poſt tantas res geſtas, poſt tot Dei immortalis beneficia, pro eo, quod aliquid in templum Dei & Chriſti ſui inferre debeatis, altaria eius ſpoliabitis? templa & fana ad vaſtitatem reuocabitis? ſacerdotes eius fame & inopia extingui patiemini? quæ aliorum pietate & munificentiâ ſunt donata, ipſi cupidè auferetis? Hæccine eſt pietas? hiccine gratus animus? hoccine Euangelium docet? Verùm hæc hactenus.

Sic igitur eam compoſitionem vtrinque aggrediamini, non tanquam earum rerum, de quibus inter vos componere debetis, Domini & hæredes: ſed tanquam miniſtri atque diſpenſatores ſitis: non tanquam de re veſtra, aut poſſeſſione veſtra componatis, ſed tanquam de ſorte & parte Dei viuentis, de hæreditate Chriſti Domini, de dote Eccleſiæ ſanctæ matris veſtræ, de cultus Diuini ac Chriſtianæ religionis inſtrumentis ac ſubſidijs, de victu pauperum: de vltimis item voluntatibus, ac pietate maiorum veſtrorum conſtituere debeatis: & tanquam eius ipſius pacis & compoſitionis exactam aliquando rationem ante tribunal Iudicis viuorum & mortuorum Chriſti, maiorum veſtrorum, totiuſque poſteritatis, reddituri ſitis: quomodo apud poſteros quidem veſtros æternum decus & gratiarum actionem, non infamiam; apud Deum autem præmium ſempiternum, non pœnam, referre mereamini: & prout ipſi vultis, vt idem ille ipſe ſummus & nouiſſimus procurator, & executor rerum omnium Deus, de veſtra item hæreditate, hæredibuſque veſtris poſt mortem veſtram ſtatuat. Et videte, ne transferatis terminos antiquos, quos conſtituerant patres veſtri: omnemque innouationem ſuſpectam habete. Neue eas decimas partemque hæreditatis Chriſti, quam nunc Deo veſtro, Chriſto veſtro, pendere

dere

dere recusatis, illi reddere cogamini, cui minimè velitis: non ex aliqua frumentorum vestrorum parte tantùm; sed ex ipsis charissimis pignoribus, filijs, inquam, & filiabus vestris, vt seruiant in mendicitate & ferro, vt pertranseat ferrum animam eorum, vt robur & præsidium contra vos patriamque vestram potentis tyranni sint: quod quidem iam multa Christiana regna, multas Prouincias, ob eandem impietatem experiri, gemit populus Christianus: vt seruiatis regi Nabuchodonozor, & sciatis distantiam seruitutis Dei, & seruitutis regis terrarum. Diligit enim Dominus iudicium, & odio habet rapinam in holocausto. Quod ne oculi nostri videant vnquam, Deum immortalem, Christumque eius, supplex deprecor.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0013343

